Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/dehypostasietper0000caro

GRAND SÉMINAIRE
BIBLIOTHÈQUE DES PROFESSEURS
LAVAL

DECLARATIO

AC DEFENSIO SCHOLASTICA

DOCTRINÆ SANCTORUM PATRUM DOCTORISQUE ANGELICI

DE

HYPOSTASI

ET PERSONA

IMPRIMERIE
CONTANT-LAGUERRE

BAR-LE-DUC

DECLARATIO

AC DEFENSIO SCHOLASTICA

DOCTRINÆ SANCTORUM PATRUM DOCTORISQUE ANGELICI

DE

HYPOSTASI

ET PERSONA

AD

AUGUSTISSIMA SANCTISSIMÆ TRINITATIS ET STUPENDÆ
INCARNATIONIS MYSTERIA ILLUSTRANDA

AUCTORE R. P. CLAUDIO TIPHANO
Doctore Theologo Societatis Jesu

EDITIO ALTERA

AUCTA

CRITICA PROLUSIONE R. P. CAROLI MARIÆ JOVENE S. J.

IN SCHOLA THEOLOGICA SUPERIORE PARISIENSI SACRORUM DOGMATUM PROFESSORIS



PARISIIS

BERCHE ET TRALIN, EDITORES

69, VIA DE RENNES, 69

1881

50671

EGREGIIS

SCHOLÆ THEOLOGICÆ SUPERIORIS

AD PARISIENSE VETERIS CARMELI SEMINARIUM INSTITUTÆ

CANDIDATIS

EDITORES PARISIENSES

D. D. D.



IHS

R. P. CAROLI MARIÆ JOVENE S. J.

IN OPUS « DE HYPOSTASI ET PERSONA »

A R. P. CLAUDIO TIPHANO S. J. CONSCRIPTUM

PROLUSIO

AD CANDIDATOS SCHOLÆ THEOLOGICÆ SUPERIORIS

Scientiarum incrementa, egregii Scholæ Theologicæ Superioris Candidati, ex provida investigationum perficiendarum partitione plurimum juvari, recentior earumdem historia oppido demonstrat. Humani enim ingenii vires brevi continentur ambitu, quem si excesseris, infirmitatis documenta edes, non virtutis. Scientiarum contra ambitus patet infinitus. Prudens itaque consilium fuit, quo viri, acumine mentis et plurima in studiis constantia insignes, nervos omnes intenderunt in unam alteramve scientiæ cujusdam partem ac veluti provinciam perlustrandam. Hac quidem ratione, et non alia, maximi accesserunt tum Physicæ universim, tum Astronomiæ, Geologiæ, Chemiæ affinibusque disciplinis progressus. Quod si vel in ipsis infimi subsellii et materiam respicientibus scientiis lex, quam dicere solent, « *partiti laboris* » obtinet; quam validiore jure in sacra Theologia locum sibi vindicare jamdiu debuisset? Objecti enim amplitudine, sublimitate, imo etiam et maxime difficultate quænam poterit nostræ doctrinæ par scientia reputari? Quæ si vera quidem semper extiterunt; majorem adhuc his temporibus evidentiam sunt consequuta. Ampliore enim methodo, ac plures superiorum ætatum theologis minus usitatas disciplinas complectente, theologiam nos modo pertractare, Candidati, non solum juvat; sed imprimis opus est ac necessum. Quare mirari satis, imo dolere non possumus, quum videamus cultoribus nostræ scientiæ cæteroquin præclaris nihil magis novum inauditumque accidere,

quam præfata lege investigationes theologicas esse dirigendas. Pluribus enim nihil utilius ad scientiæ nostræ incrementum, nihil optabilius effingi posse videtur, quam si universa sacrorum dogmatum disciplina a singulis proprio marte atque ingenio pertractetur. Quamobrem, vix e communi turma excesserint aliquam ingenii doctrinæque famam consequuti; illico cogitant de opere in universam theologiam conscribendo, atque etiam moliuntur. Quo quidem consilio nullum theologiæ inutilius, imo exitiale magis funestiusve existit. Quæ quum ita sint; ne aliorum exemplis abducamini, sinite, egregii Candidati qui in hanc Superiorem Theologiæ Scholam ad majora sacræ doctrinæ incrementa, sapientissimo Episcoporum Galliæ consilio, convenistis, ut hodierna prolusione vobis commonstrem ab una « *partiti laboris* » lege rite sancteque servata expectari hodiedum posse illam sacræ scientiæ instaurationem, quam, auspice SS. Leone PP. XIII. non solum desiderare, sed etiam aliqua ex parte, ut ut minima, promovere nostrum est munus atque officium. Ut vero persuasioni operum fœcundæ mea consulat oratio; historica potius et ab exemplis petita utar demonstratione; tum multiplici derivatam inductione legem in præclaro Tiphani opere veluti concretam ostendam, ut probe intelligatis quanam vobis methodo, quibusve auctoribus (varia tamen temporum ratione habita), in magnam theologicæ scientiæ instaurationem, quam exoptat Ecclesia, vobis sit adlaborandum.

I.

Historicam legis, quæ opus scientificæ investigationis ipsis quoque theologis partiendum indicit, demonstrationem aggressura, ad nobilissimos scientiæ nostræ fundatores convolat oratio nostra. Hi autem ipsi sunt Ecclesiæ Patres atque Doctores qui, octo prioribus reparatæ salutis sæculis, inclyta docrinæ scriptis concreditæ fama inclaruerunt. Ne vero videar illorum Patrum abuti exemplis quibus aut persecutionis impetus, aut necessaria doctrinæ nuper revelatæ infantia otium atque opportunitatem scientiæ excolendæ minime faciebant; ad tranquilliora sæcula et ab incunabulis revelationis intervallo sat longo semota me conferam. Imo in sæculis quarto et quinto, quæ maxima in ævo Patristico jure habentur, exempla unice colligam et legi nostræ constabiliendæ accomodabo. Patrum dogmatica opera, de quibus unis nobis sermo est atque dispu-

tatio, sive didascalica sive polemica methodo exarata si diligenter conferamus; legem nostram, Candidati, emicanti ac perenni tantorum virorum exemplo præformatam inveniemus. In unum enim alterumve christianæ fidei dogma enarrandum, expoliendum, vindicandum omnia studia, omnem operam, vitam pæne dixerim omnem, contulerunt collatamque exegerunt. Ne unum quidem reperiemus qui universa theologiæ capita scribendo disserendove fuerit consequutus, neque adeo plures qui multa revelatæ doctrinæ capita *ex professo,* ut dicimus, excoluerint. Qua ratione assequuti sunt ut summum doctrinæ apicem in quæstionibus hac methodo pertractatis attigisse et adhuc, post ingentem sæculorum tractum, obtinere jure videantur. Re enim sane vera, si excipiamus quæ ex historico dogmatum progressu atque ex documentis ope critices provectioris et copiosius conquisitis et diligentius excussis, nostræ scientiæ incrementa sunt comparata; ad doctrinæ summam, vim ac robur quod attinet, quid a recentioribus fuerit aut validius prolatum aut magis dilucide propositum nec facile nec frequenter est invenire. Si tam multa nove dicta ac pæne inventa a summis mediæ ætatis Doctoribus in theologia dogmatica stupemus; vereor ne ex neglecta sanctorum Patrum lectione, tanta admiratio sæpe oriatur. Indolem ac limites quibus continetur nostra de summo Deo cognitio, ubinam majore tum theologicæ tum philosophicæ etiam scientiæ apparatu disputatos ac definitos inveniemus quam in Basilii et utriusque Gregorii Nysseni ac Nazianzeni voluminibus? Concertationem vero adversus Eunomianos, in qua illa quæstio agitabatur, non modo plurium annorum, sed et geminæ vitæ spatio fraternisque opibus protractam affirmat Nyssenus in XII (2. p.) contra Eunomium libro. In augustissimæ Trinitatis mysterio illustrando inter Græcos Cyrillo, Nazianzeno, potissimum vero Athanasio Magno qui propterea « Theologiæ fons » dictus fuit a Concilio Florentino; inter Latinos autem Hilario Pictavorum Episcopo et Augustino Hipponæ Præsuli quinam extiterunt non dicam æquales, sed proximi tantum et secundi? Quod si ad conterminam Dominicæ Incarnationis œconomiam nos convertamus, nonne summos catholicæ veritatis magistros offendemus in orientali quidem Ecclesiæ plaga iterum Athanasium ac Cyrillum Alexandrinorum Archiepiscopum; in occidentali vero plaga Ambrosium, Fulgentium ac Leonem hoc præcipue titulo Magnum? Supernaturalis psychologiæ regio nec rarioribus nec tenuioribus tenebris occulitur quam naturalis psychologiæ provincia.

Verum circumfusas Gratiæ habituali tenebras maxime dissipabunt iterum Basilius ac tertio Cyrillus ille, de quo hanc tulit sententiam Petavius (de Trinitate, lib. VIII, c. 7. n. 12) : « Cui (Cyrillo) divinitus hoc videtur tributum, ut et summam illam atque augustissimam cum hominis natura conjunctionem Verbi Divini accuratius quam cœteri, tum animo comprehenderet, tum oratione declararet; et in posteriore ista infinitisque minore partibus copulatione Spiritus cum sanctorum animis explicanda, pari mentis ac stili facultate regnaret. » Gratiam vero actualem tenebris expedient, illius indolem, proprietates, leges offusis doctrinæ radiis collustrantes, Prosper Aquitanus, Fulgentius, maxime autem utriusque dux ac magister, Augustinus cui proprium Doctoris Gratiæ nomen accessit, atque hodiedum manet.

II.

Verum enimvero vereor ne Augustinum mihi opponant illi theologi qui « *partiti laboris* » legem quasi vincula prorsus intolerabilia excutiunt atque indignantur. Hujusmodi tamen theologis quæ respondeam, plura occurrunt. In primis atque ante omnia, Augustini mens ingeniique acies ac fœcunditas, ex omnium confessione, prodigio similes semper habitæ fuerunt. Prodigia vero extra supraque legem vagari quis neget? Videant interea isti theologi ne eo tantum titulo prodigiosi habeantur, quia exleges existunt! Addam Augustini ætate multo brevioribus nostram scientiam circumscriptam fuisse limitibus, et præterea nondum iis instructam fuisse methodis quæ, dum maximo illi adjumento sunt ad veræ scientiæ nomen ac firmitatem; insuperabili etiam impedimento sunt ne universa theologiæ facultas unius vitæ spatio ac viribus exhauriatur. — Tertium et hoc præcipuum; nego ac vehementer pernego omnia doctrinæ christianæ capita Augustinum in suis libris, prout temporum ratio et rerum dignitas simul ferebant, excoluisse. Concedo plurima futurarum tractationum semina, et fœcunda imprimis, in Augustini voluminibus latere. Verum tranquille citraque æstum reputanti quantum ab illis seminibus distet theologiæ arbor lento sæculorum labore producta, vero similior nostra probabitur sententia qua universam catholici dogmatis scientiam ab Augustino evolutam negamus.

Quæ si abunde sufficiant, ut credo, egregii Candidati, ad omnem

objectionis vim refringendam; multa adhuc supersunt quibus proposita « *partiti laboris* » lex exemplo Augustini proprius inspecto confirmetur ac penitus persuadeatur. Hac enim lege id maxime consulitur ut singula de singulis doctrinæ capitibus opera diuturno labore ac maxime diligenti perficiantur potius quam delineentur. Jamvero is est Augustinus qui opus « *De Civitate Dei* » anno 413 inceptum, juxta diligentiores supputationes, ante 426 annum non absolverit, ita ut longo illud 13. annorum spatio in 22. libros explicuerit in maximam religionis christianæ utilitatem. Atque idem est qui, in epistola libris « *de Trinitate* » præfixa, ita Papam Aurelium alloquatur : « De Trinitate, quæ Deus summus et verus est, libros juvenis inchoavi, senex edidi. » Quantam vero quamque diuturnam posuerit operam Augustinus in libro Geneseos enarrando declarant apprime tentamina terque quaterque ab ipso suscepta ac resumpta totidem operibus ex ordine inscriptis : « *De Genesi contra Manichæos libri II.* » ab Augustino adhuc Presbytero circa annum 389. exarati; « *Liber imperfectus de Genesi ad litteram* » conscriptus a S. Doctore circa annum 400 quum jam Episcopatu insigniretur; « *Libri duodecim de Genesi ad litteram* » ab anno 401 ad 415 concinnati; quibus præiverant postremi tres « *Confessionum* » libri circa annum 400 compositi, et ipsi in Geneseos explanatione occupati. Dimidiam itaque a conversione partem vitæ Augustinus insumpsit in Geneseos nedum integro libro, sed primis tantum capitibus interpretatione donandis. Erat itaque solemne ac sanctum Augustino præcipua doctrinæ christianæ capita multa ac repetita sæpius opera perpolire atque ad perfectionem adducere. Neque ingens ab Hipponensi Episcopo editorum operum catalogus aliam unquam sententiam suggeret consideranti tot opuscula, imo et ampliora opera, si oratoria excipiantur, ad tres vel quatuor classes facile adduci posse, in unius vero ejusdemque classis operibus easdem doctrinas crebra repetitione inculcari. Cœterum adversariorum objectiones nunquam efficient, Candidati, aliam Augustino scribenti methodum fuisse quam in litteris ad Aurelium præcitatis declaratam. Hæc vero nostræ « *partiti laboris partitæque investigationis* » adeo accedit ut una prorsus eademque videatur, Candidati. Quod per vosmetipsos dijudicari velim, litteris ex integro recitatis : « Domino beatissimo et sincerissima charitate venerando, sancto fratri et consacerdoti papæ Aurelio, Augustinus, in Domino salutem. De Trinitate quæ Deus summus et verus est, libros juvenis inchoavi, senex edidi.

Omiseram quippe hoc opus, posteaquam comperi præreptos mihi esse sive subreptos antequam eos absolverem et retractatos, ut mea dispositio fuerat, expolirem. Non enim singillatim, sed omnes simul edere ex ratione decreveram, quoniam præcedentibus consequentes inquisitione proficiente nectuntur. Cum ergo per eos homines (quia priusquam vellem, ad quosdam illorum pervenire potuerunt) dispositio mea nequivisset impleri, interruptam dictationem relique-ram, cogitans hoc ipsum in aliquibus meis scriptis conqueri, ut scirent qui possent, non a me fuisse eosdem libros editos, sed ablatos priusquam mihi editione digni viderentur. Verum multorum fratrum vehementissima postulatione, et maxime tua jussione compulsus, opus tam laboriosum, adjuvante Domino, terminare curavi; eosque emendatos, non ut volui, sed ut potui, ne ab illis qui subrepti jam in manus hominum exierant, plurimum discreparent. Venerationi tuæ per filium nostrum condiaconum charissimum misi, et cuicumque audiendos, describendos, legendosque permisi : in quibus si servari mea dispositio potuisset, essent profecto etsi eas-dem sententias habentes, multo tamen emendatiores atque planiores, quantum rerum tantarum explicandarum difficultas et facultas nostra pateretur. Sunt autem qui primos quatuor vel potius quinque etiam sine procemiis habent, et duodecimum sine extrema parte non parva; sed si eis hæc editio potuerit innotescere, omnia si voluerint et valuerint, emendabunt. Peto sane ut hanc epistolam, seorsum quidem, sed tamen ad caput eorumdem librorum jubeas anteponi. Vale. Ora pro me. »

Audientibus vobis hanc epistolam, Candidati, Venusini vatis verba succurrebant et præceptum quo opus evulgandum « *nonum servetur in annum,* » vult, imo jubet. Hanc epistolam volumus esse nostræ legis commentarium ad ipsius sensum spiritumque hariendum. Quamobrem si qui existant theologi quibus, Augustiniana retractandi ac perpoliendi methodo servata, cuncta christianæ doctrinæ capita scripto complecti per ingenium et Deum O. M. licet, etiam per nos nostramque legem liceat ac benevertat.

Atque in uno Augustino consistere, modumque in enumerandis Patrum exemplis facere præstat, Candidati. Testes enim haberem fere omnes quotquot floruerunt a Tertulliano et Irenæo ad Gregorium Magnum ac Joannem Damascenum scriptores Ecclesiæ præstantissimi.

Exagerari utique oratoria pompa, sed scientifica methodo opponi neutiquam possunt opera ad universam theologicam scientiam tra-

dendam a quibusdam vetustioris ævi scriptoribus, Clemente, Origene, ab ipso posterius Damasceno suscepta. Hujusmodi enim tentamina admodum raro occurrunt ætate quam *patristicam* dicimus; quamvis longe angustior tum pateret scientiæ theologicæ campus universus. Accedit quod hujusmodi opera inchoata quidem a Patribus, imperfecta fere semper constiterint, neque unquam universos theologiæ fines attigerunt. Quamobrem ex litteraria Patrum historia in propositam legem efficax exceptio peti nequaquam potest; si qua vero petatur, in amplissimam nostræ theseos confirmationem redundat.

III.

Labentibus vero sæculis methodus tot tantorumque Doctorum exemplis constituta in oblivionem ac desuetudinem abire visa est. Mos enim, vel ab XI exeunte sæculo, invaluit universas sacræ doctrinæ partes ad unitatem adducendi, veluti totidem unius organismi membra quibus unum theologiæ corpus compingeretur. Nobile imprimis consilium, atque etiam necessarium. Scientia enim, tanto nomine digna, organici cujusdam corporis similitudinem exprimat oportet, in quo multa ac dissimilia membra in unitate substantiæ coagmententur inter se. Utile præterea consilium; discipulorum enim usibus consulebatur ita, ne nimia librorum copia ad sacræ doctrinæ elementa comparanda deterrerentur, imo opprimerentur. Hinc enatæ *Summæ Theologicæ,* quibus tanta doctrinæ fama comparata est mediæ ætati. Verum oblivioni traditum illud minime vellem; *Summas* nempe discentium potius commoda, quam doctrinæ ipsius incrementa spectasse. Quod expressis verbis declarat ille Aquinas cui Principis, imo et Angeli Scholæ nomen a Summa potissimum theologica factum esse denegabit nemo. Prima prologi in universam Summam verba sunt ista : « Quia catholicæ veritatis doctor non solum provectos debet instruere, sed ad eum pertinet etiam incipientes erudire (secundum illud Apostoli 1. ad Corinthios 3. 1 : *Tanquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam*) PROPOSITUM NOSTRÆ INTENTIONIS IN HOC OPERE EST ea quæ ad christianam religionem pertinent EO MODO TRADERE SECUNDUM QUOD CONGRUIT AD ERUDITIONEM INCIPIENTIUM. » Scio non defuturos qui reponant theologos etiam provectissimos vix *incipientium loco ac numero* haberi posse præ doctrina quam tradit Summa Theologica Aquinatis. Verum qui propius, quod mihi contigit,

hujusmodi viros agnoverit; illico stupebit novam demissionis indolem sub illis verbis latitantem. Aquinatem prosequamur. Summarum itaque scopus præcipuus in addiscentium et quidem novitiorum (de his enim agit prologus Summæ Theologicæ,) profectu promovendo erat collocatus. Hic vero rerum tradendarum perspicuitate, sobrietate, tum etiam nexu facili ac perpetuo mirifice comparatur. Quapropter tres existunt præcipuæ *Summarum* dotes : perspicuitas, sobrietas, ordo tradendorum.

Verum, dum utilitates discipulorum adeo curabant Scholæ Magistri, scientiæ ipsius incrementa nullatenus negligebant. At quanam illis ratione prospiciebant? Eadem prorsus qua Patres superius recitati; *partitione,* inquam, *suscepti laboris;* qua non universas singuli quæstiones penitius declarandas suscipiebant, sed singuli singulas. Hac enim methodo conscripta sunt tum *opuscula* de singulari aliquo christianæ doctrinæ capitæ, tum *quæstiones* sive *disputatæ* sive *quodlibetales,* quibus illa aetas maxime delectabatur. Quam quidem methodum unius Aquinatis proposito exemplo juvat illustrare. Qui, quum breviore *Summæ Theologicæ* aut *Commentariorum in libros sententiarum* stylo præcipua doctrinæ capita pro eorumdem dignitate ac momento enarrare non posset; ampliores de eisdem tractatus conscribebat *opusculorum* modo, *quæstionum disputatarum* modo *quodlibetaliumve* titulo distinctos. Quibus propterea nunquam a vobis applicari ita universim, Candidati, vellem canonem hermenenticum quo reguntur Bannesiani in sincera Aquinatis doctrina invenienda : « *Non est tenendum quod alibi dixit Thomas; quæ enim dicit in Summa, sunt tenenda.* » (Franciscus de Sylvestris Ferrariensis in Summa contr. Gent., l. III, c. 102. §. Ad argumenta autem.)

Præterea, quod caput est, synthetica ratio quam Scholæ principes iidemque fundatores præamabant, ipsorum ætati optime congruebat, quæ erat scientiæ sacræ perficiendæ potius, quam fundandæ ætas. Ut enim Patrum ævo scholasticum succedebat, ita et analyticam illorum methodum synthetica Scholæ methodus consequebatur in maximam scientiæ catholicæ utilitatem. Alternis enim analysis et synthesis vicibus scientia floret ac virescit. Optimo itaque sacræ doctrinæ fato magistri Scholæ synthetica ratione expoliverunt, perfecerunt, ac tandem unitate prorsus mirabili donaverunt doctrinas quas Patrum analysis detexerat, inchoaverat, demonstraverat. Sunt enim unicuique methodo ut propriæ leges, ita

proprii fines. Synthesi, quæ colligendo procedit, proposita videtur scientiæ universitas; analysi vero, quæ resolutione constat, præstituta est scientiæ profunditas atque evidentia. Quare dum synthesis plurium aggregatione viget, et plurimorum maxime; analysis contra multa viget partitione, et plurima maxime. Theologo analytica methodo utenti præ oculis versari continuo debent illa Quintiliani verba : « *Non multa, sed multum.* » Inversa formula proponi debet scriptori syntheticam methodum adhibenti : « *Non multum, sed multa.* » Cum itaque indolem adeo diversam, imo oppositam præseferant synthesis et analysis; mirum in qualibet scientia, etsi angustissima atque homogenea, accideret unum eumdemque scriptorem dotibus utrique methodo necessariis præfulgere; id vero impossibile omnino reputari debet in scientia amplissima et elementis valde heterogeneis constante, qualis est Theologia! Quid enim minus homogeneum quam theologica facultas sive rerum tradendarum naturas valde dissitas, sive fontes magis adhuc dissitos e quibus doctrina omnis theologo derivanda est, mente reputetis atque æqua lance ponderetis, Candidati?

IV.

Jure itaque miramur quum, ad posteriora sæcula delapsi, conspicimus Doctores tum etiam analytica methodo uti, quando catholicæ doctrinæ universitatem complecti præoptant. Laudi tribuimus his Doctoribus et magnæ, quod persenserint, post mirabiles christianæ doctrinæ syntheses a Scholæ magistris peractas et in Summa Theologica Aquinatis perfectas, novos ab analysi scientiæ nostræ profectus unice esse expectandos. Id vero vitio vertimus, quod analytice universam theologiam versaverint. Lex enim « *partiti laboris,* » quam inculcamus, est lex analyticæ methodo propria.

Quam legem nisi contempsissent haud mediocri ingenio præditi, iique innumerabili pæne multitudine, theologi; ipsorum opera, pulvere obsita et tineis peræsa, in bibliothecis neglecta minime jacerent. Egregium siquidem doctrinæ monumentum exegissent; si, brevis ingenii et vitæ adhuc brevioris memores, ad partem aliquam universæ theologiæ illustrandam propria studia contraxissent.

Imo tanquam legis hujus in œconomia intellectuali principis oblivios jam mihi liceat incusare ipsos sæculi XVI et insequentium præ-

claros quidem Doctores totam theologiam analysi pertractantes. Equidem fateor adeo præstanti singularive ingenio viris sperare licuisse, ut aliquam præfatæ legi exceptionem suo exemplo inferrent. At nobilitatem ingenii vicit legis universalitas. Quanta vero scientiæ theologicæ pernicie id factum fuerit, nemo unquam dicendo cogitandove assequetur. Qualem enim quantamque doctrinæ utilitatem allaturi fuissent Medina, Capreolus, Vasquesius, Ysambertus, Gonetus, Bannesius, Amicus, Arriaga, Tournelius aliiqui, si singuli singulos de theologia tractatus edidissent, quis unquam dicet?

Verum et illa ætate Doctores extiterunt præclarissimi qui nostram legem executioni demandarunt. Præcipua nomina referri volenti primus occurrit, et suo quidem jure, Melchior Canus; qui in præclarissimo « *De locis Theologicis* » tractatu ampliora sacræ doctrinæ fundamenta jecit, tum etiam regulas apprime definivit ad quas omnis tractatio theologica exigenda sit, ut scientiæ nomen et dignitatem assequatur. Quamobrem veluti alter theologiæ novis viribus auctæ ac validiore methodo utentis parens celebratur Canus, eximium Dominicanæ familiæ ornamentum. Occurrunt ex eadem familia tum Franciscus de Sylvestris Ferrariensis, edito in Summam contra Gentes commentario præclarissimus atque in hoc scribendi genere cæteris omnibus, mea quidem sententia, longe superior; tum Dominicus Soto magnam apud theologos omnes famam promeritus quod multis curis præcipuas de Justificatione quæstiones agitatas in concilio Tridentino, cui inter primores Theologos adfuerat, tribus « *de Natura et Gratia*, » libris fuerit prosequutus. Occurrit ex seraphica ff. Minorum familia Andreas Vega libris XV « *de Justificatione* » conscriptis celeberrimus. Cujus operis tanta vel ab initio fama extitit, ut illud B. Canisius denuo vulgandum curaverit, atque his verbis commendarit : « Eoque carior in hoc opere Vega nobis esse debet, qui Tridenti doctissimos theologos et sapientissimos Patres tunc disserentes audivit, cum de Justificatione multis est mensibus acerrime disputatum, ipseque cum disputantibus aliis sua sensa studiosissime contulit. » Occurrunt Walenburgenses Fratres ingenio, eruditione, episcopali dignitate æquales, qui duobus controversiarum fidei editis voluminibus fundamenta quibus reformatores potissimum nitebantur, diruerunt ac prorsus disjecerunt. Walenburgensibus vero succedunt ex Italia Ballerini Fratres qui in angustiore Pontificii primatus campo ampliorem adhuc laudem sibi compararunt. Occurrit e Sorbonica Facultate Andreas Duvallius

præstantissimus et ipse Pontificiæ potestatis adsertor in volumine recenter typis iterum commisso.

Atque, ut cæteros omittam, quorum nomina sponte recurrent cuique ad breves horas in theologicis bibliothecis obversato; liceat mihi Ludovicum Molina, Leonardum Lessium atque Joannem de Lugo nominare, præstantissimos in Societate Jesu theologiæ triumviros. Molina coæqualium exemplis obsecundans, universam D. Thomæ Theologicam Summam commentariis adornandem susceperat. Verum suscepti laboris magnitudine deterritus, constitit in XIV primæ partis quæstione enarranda et totum se transtulit ad « *Concordiam Divinæ Gratiæ cum libero hominis arbitrio* » describendam, quo major ac diuturnior eidem fama contigit quam licuisset ex universis in Summam Thologicam commentariis sibi despondere. Neque alia fuit Leonardo Lessio in sacris dogmatibus scripto declarandis ratio, qua id obtinuit, ut omnium recentiorum theologorum unus antiquam Patrum sapientiam ac gravitatem referre optimis quidem judicibus visus fuerit. Eadem usus est methodo Joannes de Lugo; tanta vero felicitate, ut illum theologiæ alterum a D. Thoma principem habuerit in moralibus quidem argumentis S. Alphonsus M^a^ de Ligorio (*Theol. Mor., l. III, n.* 552.), in dogmaticis vero Joannes Cardinalis Franzelin (*De Divina Traditione, etc., pag.* 649. *Romæ* 1875.). Istius verba testimonium prioris amplificantia juvat referre. « Mihi itaque doctrina Cardinalis de Lugo (*de Fide, disp.* 1. *sect.* 6.) omnino vera videtur, quam argumentis sive vetustiorum sive recentiorum theologorum qui eam omni molimine expugnandam susceperunt, non solum non labefactatam, sed potius magis confirmatam esse existimo, cum nihil hactenus ab eis actum esse videam, nisi ut vel manifesto falsa aut nihil ad rem pertinentia dicant, vel sententiam Cardinalis in alienum sensum deflectant, ac tandem ipsimet in explicationibus consistere cogantur, quæ cum vero sensu hujus principis inter theologos coincidant. *In hoc itaque capite, sicut in pluribus aliis verum puto,* quod ait doctor Ecclesiæ S. Alphonsus : « Doctissimus Lugo, *qui post D. Thomam non temere inter alios theologos facile princeps* dici potest..... sæpe nullo præeunte falcem ita ad radicem ponit, ut rationes quas ipse in medium adducit, difficulter solvi queant. »

V.

Cum vero tam honorificum inter theologos locum assequutus sit, et optimo judicio, Cardinalis de Lugo; præstat ab ipso excipere legem quam sibi in edendis libris sanctissime servandam constituerat. Non solum enim in confirmationem eorum quæ superius proposita sunt aptissime quadrant Lugonis verba; sed rationem præformant qua theologi libros scientiæ promovendæ opportunos jam conscribere valeant.

Primum scholasticæ theologiæ volumen editurus, in hunc modum præfatur sapientissimus Auctor : « His, et ejusmodi aliis (rationibus) oppugnabar quotidie, sed non expugnabar, nec adduci unquam poteram, ut scripturientis sæculi consuetudine dicam, an vitio? abriperer, quo *scribimus indocti, doctique volumina passim.* Videbam, quam sit difficile post tot tantorumque virorum lucubrationes theologicas, quibus omnem jam prorsus veritatem videntur occupasse, eos vel assequi, vel quidquam adjicere libro dignum; nisi velimus ea, quæ ab illis recte sunt dicta, transcribere, et pro nostris, una vel altera ratione aut responsione addita, venditare. Rivulus exiguus unius repentinæ pluviæ accessione facile excrescit. Magna flumina quantis egent imbribus ut exundent? Theologiam nostram, dum parvula adhuc erat, non ita fuit fortasse difficile promovere : at ubi provecta jam est, et per omnem ubique sui planitiem expatiata; uberrimis opus est doctrinæ et solertiæ imbribus, ut vel modicum augeatur. Hæc me retardabant. Accessit tandem eorum imperium, quibus non jam solum debebam fidem, sed obedientiam. Acquievi hoc pacto, ne cogerer ea transferre in codices meos, quæ ab aliis optime jam tractata et comprobata inveniuntur. Experientia enim didici quam agatur inique cum Theologiæ professoribus, quibus jactura gravior nulla est quam temporis, dum easdem rationes, responsiones, positiones ter, quater, septies apud totidem auctores in singulis quæstionibus legere coguntur. Ego itaque nolo meum librum solum legi, sed cum aliis et post alios, quorum appendix est; a quibus quæ dicta sunt bene, brevissime supponam magis, quam dicam : si quid vero vel pro eorum argumentis explicandis, confirmandis, tuendis, vel e contra objiciendum dubitandum re occurrerit, adjungam; hoc saltem nomine de lectore benemeritus quod difficultatem nodumque non dissimulabo, etiam ubi solutio-

nem plene compertam non habuero. Habemus enim in pretio venaticos canes, qui prædam quam apprehendere non valent, ostendunt. Sic apud ingeniosum lectorem gratiam habet, qui difficultatis latentis vel dubii prædam indicat, quam ipse postea ingenii proprii cursu solertiaque assequatur. » Modestiam an sapientiam Lugonis miremur magis, nescio, Canditati.

VI.

At unius Suaresii exemplo lex est confirmanda. Suaresius enim, viginti quinque ab ipso conscriptis voluminibus legis propositæ antithesis videtur præclarissima. Verum jam liceret concedere in Suaresio legi demonstratæ exceptionem illatam fuisse, tum etiam contendere exceptionibus, præsertim adeo raris ac fere unis, leges confirmari potius quam infringi. Hoc quidem verum et ad propositæ objectionis apprime sufficiens apud æquos rependeretur judices. Habeo tamen, quo forsitan probem a Suaresio nullam præstitutæ legis exceptionem fuisse inductam. Eximii Doctoris volumina diligentius conferri non possunt, quin ipsa in duplicem veluti classem necessario partienda videantur; alteram nempe quæ complectitur opera in *commentariorum* aut etiam *prælectionum* formam digesta; alteram vero quæ, commentariorum in D. Thomam itemque prælectionum in schola habendarum forma seposita, præcipuum aliquod doctrinæ caput omni ope illustrandum aggrediuntur. Maxima vero eximii Doctoris opera posteriore hac classe contineri patebit eorumdem titulos recordanti : *De Legibus, De Religione*, *Metaphysicæ Disputationes, De Divina Gratia.* Exemplum itaque Suaresii legem, qua scientifici laboris æqua partitio sancitur, nedum infringat, obsignat potius ac penitus demonstrat.

Incomparabiles vero Roberti Cardinalis Bellarmini, *polemicæ* theologiæ fundatoris, *Controversiæ* quatuor voluminibus comprehensæ illis unis fucum difficultatemque facient, qui non adverterint speciali quadam ratione tantum, polemica nempe, theologiam istis voluminibus contineri, neque universam sed ea tantum parte qua ex reformatæ religionis auctoribus impetebatur.

Dionysium Petavium et Ludovicum Thomassinum, summos theologiæ *positivæ* magistros, nominasse sufficiet ut quælibet theologiæ excolendæ ratio vere utilis lege « partiti laboris » dirigenda esse videatur.

VII.

Atque hic ubi finem enumerandis auctoribus facere constitueram, animum subit Clementis Schrader e S. J. Pontificii primo iterumque theologi, atque emeriti in Romana, Vindobonensi ac Pictaviensi facultatibus professoris sententia, quam in colloquiis sæpe adhibebat atque præclaro de « *Unitate Romana* » opere præformaverat : Singulas, nempe, theologiæ partes singulis jam esse suscipiendas; quod si aliquando eidem plures, nunquam tamen uni omnes. » Hæc verba Theologi inter sapientissimos ætatis nostræ jure referendi, cuique propterea optime perspectæ erant novæ sacrarum disciplinarum conditiones, præsertim quoad ampliorem subsidiorum sive ex patrologia, sive ex critica tum scripturali, tum historica, sive ex ipsis naturæ scientiis repetendorum suppellectilem, longe aliæ itemque longe difficiliores ac in retroactis ætatibus; hæc, inquam, verba canonis didascalici instar existere vellem vobis egregiis superioris Theologicæ Scholæ Candidatis, quo vestra studia in posterum dirigantur, atque ita in majorem Theologiæ profectum viritim adlaboretis.

VIII.

Non est quod generatim improbem rationes illorum theologorum qui universam scripto theologiam adhuc complecti student in suorum auditorum gratiam et utilitatem. Verum et hos professores diligenter attendere ad verba Lugonis, tum etiam considerare velim utrum ex bene perspecta et vere urgente auditorum utilitate ad hujusmodi quas vocant « *completas institutiones* » conscribendas se conferant, an potius ex nobili famæ theologicæ sibi comparandæ studio. Si primum : laudibus maximis hujusmodi professores prosequemur. Prima enim ac maxime sancta Professoris lex discipulorum utilitas esto. Si alterum : melius profecto ac tutius proprii nominis gloriæ consulent de singulis quæstionibus singulos tractatus, pro vitæ spatio atque ingenii virtute, conscribentes; quam theologiam omnem aliquot voluminibus contrahentes. Reputent, quæso, nomina præteritorum theologorum qui *theologicis institutionibus completis* toto vitæ suæ curriculo adlaboraverunt, tum eamdem sibi ac illis sortem impendere sinceri pervideant. Oblivioni potius, quam famæ apud posteros extituræ ne adlaborent tum

vereantur. Quod si scientiæ ipsius utilitas spectetur; nulla potest esse dubitatio, utrum ex specialibus tractatibus seu « *Monographiis* » an ex completis institutionibus seu « *Encyclopædiis* » melius, efficaciusve promoveatur. Si « *Monographiæ* » eumdem honoris locum apud theologos, quem apud reliquos scientiarum cultores, obtinerent; unius sæculi spatio (cum tantus extet in sacris disciplinis excolendis animorum fervor,) vel ad summum alterius, omnia præsto essent et optima documenta ad novam « *Summam Theologicam* » conscribendam : dummodo Deus O. M. virum tanto operi moliendo parem terris immittere dignaretur. Cæterum etsi nova hæc Summa minime conficeretur; adessent profecto pro tot tantisque in theologia agitatis quæstionibus responsiones ad cunctas scientificæ methodi normas exactæ; quas hodie, post tot sæcula ingeniorum, studiorum ac librorum plena imo redundantia, in theologia adhuc desiderari nemo unus, qui sincerus ac rei peritus simul existat, denegabit.

Hanc itaque methodum, quam « *partiti laboris* » ratione contineri præstituimus, in vestris studiis primum, ac deinde in libris theologicis conscribendis servetis, Scholæ Superioris Candidati, qui jam plurium annorum spatio universum theologiæ conspectum estis assequuti. Librorum edendorum, et ad scientiæ theologicæ profectum utilium quidem, occasionem vobis maturam suppeditabunt *Theses*, ut supremum Theologiæ Magisterium referatis, pro viribus enodandæ. Quantum vero hæ rite diligenterque exaratæ incrementum scientiæ procurent, demonstrant apprime *Theses* in Sorbonica Litterarum Facultate pro Doctoratu propositæ, quibus præcipua doctrinæ capita vel novis demonstrationibus donantur, vel novis curis multum amplificantur.

IX.

Adolescentibus equidem præclaram methodum præmonstrasse minus sufficit, nisi nobile ac quasi vivum addatur exemplum in quo methodus ipsa concreta perspiciatur : « *longa* enim *et difficilis via per præcepta, brevis et facilis per exempla* » ut fert vulgati proverbii sapientia. Hinc necessum fuit seligere opus aliquod theologica scientia insigne et singulari cuidam quæstioni extricandæ destinatum. Diu ancipitibus esse non licuit nobis cupientibus opus edere, quod intimo nexu cohæreret cum tractatibus de Sanctissima Trinitate et de Incarnatione, quos attigimus sive in quotidianis prælectionibus sive in Theologica D. Thomæ Academia; ut amplior

fructus ex opere typis in vestram gratiam iterum commisso in vos vestraque studia redundaret.

Jamvero augustissima Trinitatis et Incarnationis mysteria diligenter perscrutantibus et ad scientificam methodum exigentibus vobis patuit, Candidati, præcipuum locum doctrinam Personalitatis sibi vindicare ita, ut utrumque Mysterium in uno Personalitatis veluti cardine verti totum videretur. Quamobrem vera de Hypostasi et Persona doctrina universæ theologiæ præfulgeat necesse est, ne ista scientiarum omnium regina tenebris obfundatur densissimis. Id probe perspexit Claudius Tiphanus, nobilis e Societate Jesu, in Universitate Mussipontana olim Theologus. Cum vero in libris theologicis describendis ea fuerit methodo usus, quam « *partiti laboris* » toties nominavimus, quæque de singulis quæstionibus singulos edi tractatus indicit; opus ab ipso « de *Hypostasi et Persona* » concinnatum vobis, Scholæ Theologicæ Superioris Candidatis, veluti egregium methodi vestris studiis propriæ exemplum proponi posse visum fuit.

X.

Claudium Tiphanum propositæ « *partiti laboris* » legi obsequutum fuisse asserui; quo nihil verius. Etsi enim inter præcipuos ætatis suæ theologos haberetur, vix tria toto vitæ suæ tempore edidit opera, seu potius opuscula.

Primum gallica lingua exaratum inscribitur : « *Advertissement à Messieurs de la Religion prétendue de Metz, sur le dernier livre de leur Ministre Ferry. Au Pont-à-Mousson, par Melchior Bernard, imprimeur de l'Université,* 1618, » (pet. in-8°, 402 pp.)

Occasionem huic admonitioni conscribendæ præbuit disputatio inter P. Veronium insignem tunc Societatis Jesu, a qua postea discessit, theologum et Paulum Ferry reformatæ religionis ministrum inita. Nec colloquiis tantum, sed editis etiam libris utrimque certatum fuit. Primum a Veronio vulgatum opus, multorum mensium spatio interlapso, refutare aggressus est minister Ferry. Tum in locum Veronii successit Tiphanus, sed tacito nomine; atque admonitione, cujus titulum dedimus, ministri calumnias perstrinxit. Admonitionem diuturnum silentium protestantium excepit; quum vero ill[i] alter a Ferry minister finem intulit, Claudius noster, graviora

in theologiæ commodum opera molitus, a manibus iterum adversus protestantes conserendis abstinuit.

Alterum, idemque princeps, opus edidit Tiphanus sequenti titulo distinctum : « *Declaratio ac Defensio Scholasticæ Doctrinæ Sanctorum Patrum Doctorisque Angelici de Hypostasi et Persona ad augustissima sanctissimæ Trinitatis et stupendæ Incarnationis mysteria illustranda. Auctore R. P. Claudio Tiphano Doctore theologo Societatis Jesu.* » Mussiponti, Typis Philippi Vincenti Thypographi Jurati Universatis. Anno Domini M. DC. XXXIV. Quod opus, pag. 445. in 4° constans præter præfationes, indices, etc.; prodiit cum facultate tum Præpositi Provincialis, tum Rectoris Universitatis Mussipontanæ, utriusque e Societate Jesu, volumini præfixa. De quo plura mox dicenda occurrent.

Tertium tandem opus, verum tacito nomine itemque non exhibita Præpositi Provincialis facultate, evulgavit Auctor noster, eique titulum fecit : « *De Ordine : deque Priori et Posteriori liber, ad varias et celebres theologiæ et philosophiæ quæstiones enodandas; auctore N. N. Doctore Theologo.* » Remis apud Franciscum Bernard, Illustriss. Archiepisc. Ducis Rem. Typog. sub signo Griphi aurei M.DC.XL. Cum Approbatione. Opus constat p. 400. in p. 8. præter præfationes, indices, etc.

XI.

In hoc opere nova mediaque Bannesianos inter ac Molinistas via, ad quæstiones maxime arduas *de Præscientia, de Concursu et Prædestinatione* enodandas, contendit Tiphanus. Veritatis jura amicitiæ juribus potiora postquam asseruisset in præfatione, atque his unis ad propriam sententiam urgeri; hæc verba subjunxit : « Neque vero Patres Dominicani omnes pro qualitate prædeterminante, neque Patres Societatis omnes pro scientia media pugnant; nec verum est, quod scribit Didacus Alvarez hos *ex regulis et studiorum suorum ordine astringi ad scientiæ mediæ defensionem.* » Vereor ne Claudius noster sensum decreti a Præposito Generali Aquaviva lati minime fuerit assequutus et ad Scientiam Mediam ipsam transtulerit quæ disserit Aquaviva de *formali* gratiæ efficacis *ratione,* quam Molina defenderat. Decretum Claudii Aquavivæ prodiit die 14 Decembris 1613., viginti et septem annis ante evulgatum *De Ordine* opus. Cæterum ea mente Tiphanus opus suscepisse videtur, qua novam

profundioris inquisitionis occasionem theologis afferret potius quam certam quæstionis adeo impeditæ solutionem. His enim verbis præfationi finem imposuit. « Cæterum quoniam, ut ait Augustinus, *minus malum est indoctum esse quam indocilem,* non ita insident animo quas complexus sum opiniones, *quin ab eis* FACILE *me deduci patiar* validioribus, si cui occurrant, argumentis. Quin magnam ille inibit gratiam, qui ea in medium produxerit, *tantumque abest,* quod cum Tullio et sentio et dico, *ut scribi contra nos nolimus, ut id etiam maxime optemus. In ipsa enim Græcia, Philosophia* (etiam nunc in academiis *Theologia*) *tanto in honore nunquam fuisset, nisi doctissimorum contentionibus, dissentionibusque viguisset, et refellere sine pertinacia et refelli sine iracundia parati sumus, etc.* »

XII.

Desponsam a Tiphano gratiam iniisse dicendus est Franciscus Annatus, præclarus in Tolosana provincia theologus, ætate suppar, religione vero Claudio sodalis. Is omnes animi ingeniique vires in præcipuas divinæ gratiæ doctrinas singulis disputationibus illustrandas intenderat. Quæ disputationes seorsim primo evulgatæ, in tria denuo volumina « *Opusculorum theologicorum ad Gratiam spectantium* » collectæ prodierunt. Primi vero voluminis, quod est de « *Scientia Media contra novos ejus impugnatores defensa* » disputatio secunda inscribitur : « *Auctor Anonymus libri de Ordine, deque Priori et Posteriori.* » Quam disputationem quinto post evulgatum Tiphani librum anno editam fuisse demonstrat approbatio R. P. Richardi Mercier Tolosonæ Provinciæ Præpositi, anno 1645. Decem argumenta adversus Scientiam Mediam a Tiphano proposita Annatus generali prius refutatione exigit ad leges theologicæ methodi proprias; singula deinde singulis refutationibus adoritur. Rem ipsi feliciter obtigisse silentium a Tiphano, aperte et viritim lacessito, servatum probat melius quam ipsa disputationis conclusio his verbis comprehensa. « Hæc habui quæ cum hoc Doctore disputarem : quæ spero illi eo fore gratiora, quod intelligam ab eo me honesta provocatione invitatum, dum se cum Tullio *et sentire et dicere profitetur, tantum abesse ut scribi contra se nolit, ut id etiam maxime optet. Neque enim ita insidere animo quas complexus est opiniones, quin ab eis se facile deduci patiatur validioribus si cui occurrant argumentis.* Quod candidissimi pectoris testimonium bono animo esse jubet, si quos

forte illius secessio turbaverat. Quin et fieri facile potest, ut animo potius virium experiendarum, quam opinione sententiæ quam impugnat evertendæ consilium illud inierit. Atque ut mos est ludicrorum certaminum, in quibus Galli Castellanos, Castellani Gallos mentiuntur, ut quos superare conantur, invictos probent; ita crediderit ipse firmiora visum iri amicorum propugnacula, novis hisce conatibus nequicquam impetita. Hoc si palam fecerit, et quæ incognitus improbavit, manifestus confirmaverit, nihil ille quidem *ab ea qua excellit sapientia prudentiaque* fecerit alienum. Sin autem mea me fallit expectatio; eruditi Lectoris judicium esto, satisne ista refutatione confectum sit, ut quod sponte facere noluerit, invitus pati cogatur. » Erudito et nos lectori, utriusque opera diligenter conferenti, judicium remittimus; utrum ea fuerit Tiphano scribenti mens, itemque is fuerit Annato refutanti exitus, adeoque felix. Unum et alterum verbum addam; primum quo constet disputationem de Scientia Media, editis etiam libris inter duos Societatis Jesu Theologos institui per ejusdem Societatis superiores licuisse, quod apud alios religiosos ordines in simili quæstione haud licuisse demonstrabo quum primum tempora novam opusculi theologici per quam rarissimi editionem sinent : alterum quo de illis conquerar theologis qui adversam Scientiæ Mediæ Tiphani quidem sententiam commemorant atque pro jure suo amplificant; refutationem vero ab Annato perfectam nedum extenuent, prorsus silent proprium officium obliti.

XIII.

Me diutius immoratum in historia libri « *de Ordine* » retexenda nemo vestrûm incusabit; cum de illo silere non liceret, paucis vero dici non posset. Ad alterum modo, quod vobis nova et meliore forma recusum exhibetur, Claudii opus reversus, eximii Scholæ Theologicæ Superioris Canditati, operis momentum, methodum, partitionem, stylum ac denique meritum breviter, prout rerum dicendarum indoles patietur, edisseram.

Quantæ utilitatis, imo necessitatis sit instituta de Hypostasi quæstio, superius attigi; verum ipse persenserat et in prima operis fronte uberius declaraverat P. Tiphanus : « Doctrina (inquit) de Subsistentia et Persona necessaria est cum philosopho ad substantiæ primæ et particularis, quæ, auctore Aristotele, est maxime ens et proprie ac principaliter substantia, perfectam cognitionem; tum

in primis theologo, ad dogmata fidei et præcipue ad Trinitatis et Incarnationis summe ardua et incomprehensibilia religionis nostræ mysteria altius penetranda, subtilius distinctiusque, cum opus est, exponenda et contra adversarias hæreses validius propugnanda; illud quidem contra pugnantes Arii et Sabellii de Deo hæreses; hoc vero contra oppositas Nestorii et Eutychetis de Christo errores. » Quod ingens quæstionis momentum ætate nostra nedum imminutum, auctum potius agnoscimus omnes. Occurrunt enim recentiores de Personalitate theoriæ a philosophiæ, quam separatam vocant, cultoribus Germanis præsertim inductæ et magna contentione terrarum ubique, in Galliis etiam, propagatæ; quæ si semel admittanturr, de sanctissimis Trinitatis et Incarnationis mysteriis actum erit. His vero erroribus refutandis utile opus Tiphani omnes declarant theologi nostra ætate subtilius de his rebus disputantes, et Claudii nostri vestigia prementes.

XIV.

In demonstratione vero adornanda, ubi dogmatica res agitur, præcipuum argumentorum robur est in Patribus Ecclesiæque Doctoribus, itemque Conciliis jure collocatum. Quantam adhibuerit Claudius diligentiam in Patrum voluminibus versandis, ab ipso ad exemplum excipiamus, Candidati. « In quo (opere) ea usus sum diligentia, ut quæ affero testimonia aliorum, *uno aut altero excepto,* in ipsis auctoribus legerim; quamvis errore librariorum in eorum locis ac numeris citandis mendum interdum irrepserit. » Profecto et alia menda provectior ætatis nostræ critica deprehendet in Tiphano præcedentium ætatum scriptores referente; verum æquus ac bonus judex ætati potius in quam incidit, quam ipsi auctori ea vitia attribuet. Neque enim erat theologi, quamvis eximii, critices subsequentium ætatum progressus in textibus recensendis et operibus authentia donandis aucupari.

In philosophicis vero quæstionibus maximæ, qua in Aristotelem et D. Thomam ferebatur, religioni vertendum est, si illorum vestigiis tam fideliter inhæserit. De Claudio nostro Nicolaus Coïffeneau, Dominicanæ familiæ inclytus theologus idemque Episcopus, disserere per summam laudem his verbis est exauditus : *Si malo unquam fato Aristotelis vel S. Thomæ opera deperiissent, ipsa ex una Tiphani memoria posse instaurari.* » Verum nemo retur Tipha-

num auctoritate potius quam ratione in istis quæstionibus enodandis regi. Ipsi hoc unum erat propositum, rationes, quibus fulcirentur suæ sententiæ ab illis Duumvivis derivare, ut omnibus pateret quanto jure Philosophiæ principes ipsi haberentur, quantaque utilitas redundaret cuique eorumdem volumina adeunti. Quo quidem consilio nullum hac tempestate juventuti studiosæ sanctius proponi potest. Romanus enim Pontifex SS. DD. Leo XIII, et frequentibus adhortationibus, et præclaris exemplis, ac tandem Encyclicis ad universum Christianum orbem litteris in S. Thomæ, ac proinde in Aristotelis etiam ipsius, disciplinam nos invitat ac ducit. Excultissimæ in summis illis viris rationis lumina potius, quam gravissimum auctoritatis pondus exquisiisse Tiphanum in Aquinatis et Stagyritæ Schola adeo manifestum est, ut nihil magis. Cæterum ipsius mentem ab ipso excipiamus. Inciderat (cap. XLII) in quæstionem de reali distinctione essentiæ ab existentia in substantiis finitis, quam præcipuam in Angelica doctrina semper duxerunt Bannesiani, quique Bannesianis consentiunt omnes. Tiphanus ultro concedit S. Thomam stetisse pro reali distinctione; at validum nihilominus ex præformata doctrina argumentum contra illam sententiam perseverare contendit. Tum subdit : « Qua in re, si licuit D. Thomæ ab Aristotele et Alensi præceptore suo discedere; nobis etiam concedi potest ab eodem S. Doctore, bona ejus venia, cum plurimis aliis theologis ac philosophis dissentire, præsertim cum *hanc ejus sententiam*, præter ipsius auctoritatem, *nihil probabilem faciat*, quæ multis iisque firmissimis expugnatur argumentis. In scientiis autem et deligendis opinionibus plus, vel ipso judice S. Thoma, rationum momentis, quam cujusvis auctoritati tribuendum est. » Aurea prorsus verba, et summis scholarum omnium parietibus inscribenda!

XV.

Ne vero recentiores quidam, apud quos zelus scientiæ vices gerit, Tiphanum S. Thomæ indigne calumniari clamitent; quum illum videant sententiam, præcipuas rationi præ auctoritate humana partes in philosophicis scientiis tribuentem, Angelici Magistri calculo confirmare; verba S. Doctoris ex I. p. q. I. art. 8. eruta proferamus; quibus lex in universa Summa Theologica sanctissime servanda sancitur. « Sacra doctrina hujusmodi auctoritatibus (philosophorum, etc.) utitur quasi extraneis argumentis et probabilibus.

Auctoritatibus autem canonicæ Scripturæ utitur proprie et ex necessitate argumentando; auctoritatibus autem aliorum Doctorum Ecclesiæ quasi arguendo ex propriis, sed probabiliter. Innititur enim fides nostra revelationi Apostolis et Prophetis factæ qui libros canonicos scripserunt, non autem revelationi, si qua fuit aliis Doctoribus facta. Unde dicit Augustinus (in ep. ad Hieronym. 19. cap. 1. prop. fin.) : *Solis eis Scripturarum libris, qui canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum auctorem eorum in scribendo aliquid errasse firmissime credam. Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem quod ipsi ita senserunt (vel scripserunt).* »

Verum enim vero si hujusmodi lex vel in theologica doctrina, magistris Thoma et Augustino, a quo prior eam didicit, jure obtinet; quid de *philosophica* disciplina existimandum putamus? Hanc profecto tunc primum methodo ab Aquinate proposita et inculcata tractabimus; quum, « *cujuslibet Doctoris quantalibet sanctitate doctrinaque præpollentis* » auctoritate prolata, « *non ideo verum putemus quod ipse ita senserit vel scripserit.* » Imo si cœlesti revelatione edoctus perhibeatur, haud ideo ipsius auctoritas auctoritati Prophetarum vel Apostolorum exæquanda erit, aut argumenti ad certitudinem in nobis gignendum apti loco habenda. Quibus præclaris verbis Angelicus Magister videtur præoccupasse quorundam argumentum quo ipsius doctrina, divino veluti obsignata sigillo, proponenda aliquando erat tanquam theologicæ ac philosophicæ sapientiæ jus ac norma.

XVI.

Quæ quum adeo rata sint ac certa in Aquinatis doctrina, ecquis inveniri jam possit qui in disciplinam B. Thomæ se totum minime conferat? Quis vero subscribere detractet formulæ a SS. DD. Leone XIII propositæ : « Thomæ sapientiam ab ipso Thoma repetamus? » Quam verbis vix aliis proferre jam diu me audistis, egregii Canditati : « Thomam ex Thoma interpremur. » Ex Thomæ scilicet tum parallelis quæstioni enarrandæ locis, tum maxime methodo ab ipsomet tradita atque ad veram scientiam comparandam aptissima. Hac enim methodo scientificus ipse Aquinatis spiritus continetur, quem si forte neglexeris, angelicæ doctrinæ litteram vel nullatenus assequeris, vel vix mortuam; atque utinam non etiam mortiferam assequaris!

Profecto si præfatam methodum adhibuissent illi ætatis nostræ scriptores qui multam angelicæ doctrinæ in scholas reducendæ operam navârunt, præclara ad difficiliores Aquinatis sententias enodandas volumina edidissent. Cum, re quidem vera si perpaucos excipias, vix aliud effecerunt quam versiones plus minusve accuratas, sive latina sive vernaculis linguis exaratas : in quibus, dum quæ latent in Angelico magistro, profecto minime patent; plura contra quæ patent in illo, sæpe ac penitus latent. Qua quidem agendi ratione nihil magis exitiale in præstantissimam potest doctrinam D. Thomæ excogitari. Jamdiu enim insidet multorum animis sententia, adversæ etiam scholæ artibus firmata, philosophicam Aquinatis sapientiam nulla donari posse evidentia, nullaque scientiæ propria demonstratione muniri; auctoritate tantum posse suaderi, et cœco quodam excipi fidei obsequio.

Pluribus vero egregiæ doctrinæ viris philosophica systemata diuturno ac sincero examine versantibus atque conferentibus contraria prorsus incessit persuasio. Quam persuasionem in animos vestros deducere conatus sum in primis Academiæ a S. Thoma nuncupatæ conventibus, et quemadmodum ex pluribus indiciis conjicere licuit, haud omnino inutiliter. Philosophica enim Aquinatis doctrina, pro varia quæstionum indole, solidis semper innititur argumentis et sæpius fœcunda placitorum, quibus ætas recentior superbit, semina præcontinet. Metaphysica insuper theoremata nunquam cum physycis problematibus temere in unum conflavit præceptor Angelicus, quemadmodum videre est in opusculo ad Magistrum Philippum « *de forma mixtorum* » conscripto. Quod si hac ratione philosophica S. Thomæ sapientia pertractetur, nihil est cur reformidet recentiora philosophiæ systemata vel novas provectiorum scientiarum naturalium non solum hypotheses, sed etiam doctrinas. Quinimmo cum his mira consensione conspirare videbitur; ut, magna ex parte, egregie quidem demonstravit R. P. Tilmannus Pesh S. J. in opere (1) nuperrime edito, quo vix aliud præstantius vulgari potest ad cosmologicas Aquinatis theorias illustrandas et omni adversus naturales scientias pugnæ suspicione liberandas. Verum ad Tiphanum regrediamur, Candidati; a quo longius fortasse digressi sumus. At illius methodus in tradenda Aquinatis doctrina erat exponenda, atque ipsius Angelici Doctoris auctoritate commendanda.

(1) Institutiones Philosophiæ Naturalis, secundum principia S. Thomæ Aquinatis.

XVII.

Hac itaque mente ad doctrinam de Hypostasi enucleandam accessit Tiphanus. Ordinem vero dicendorum ad demonstrationis efficaciam et ad doctrinæ perspicuitatem plurimi faciendum esse optime ratus; ita dispustationem digessit, ut multam totis prioribus XVII. capitibus in apta Hypostasis definitione tum exponenda, tum vindicanda operam navaret. Tum de hypostasis intrinseca et objectiva ratione sermonem arripit, illumque protrahit ad caput XXI. in quo totius doctrinæ caput, veluti legitimum analysis in præcedentibus capitibus institutæ corollarium, tandem proponit : *Hypostasim nempe et Personam a natura singulari et integra ratione tantum distingui.* Quam doctrinam, a Patribus erutam, Incarnationis mysterio declarando prorsus sufficere tum omnigenis demonstrat argumentis ab auctoritate Patrum, ab analogia fidei atque a ratione deductis; tum ab adversariorum cavillationibus tuetur. In Doctorum auctoritatibus versandis præcipuus fit Angelico Magistro locus totis quinque capitibus, vigesimo sexto nempe, vigesimo septimo, trigesimo tertio, trigesimo quarto ac trigesimo quinto.

Doctrina distinctionis *virtualis* tam firmiter præstituta, ad realem Hypostasis a natura singulari quidem et integra distinctionem evertendam transgreditur Typhanus; indirecta quidem, at non minus efficaci ratione præformatam sententiam confirmaturus. Quod cum pluribus efficiat argumentis; illud in primis notatu dignissimum existit, quo demonstrat (cap. XXXVII) « Subsistentiam re aut modaliter a natura diversam cum mysterio Incarnationis non posse consistere. » Omnes enim probe sciunt oppositæ sententiæ *rationem*, seu potius *occasionem*, potissimam extitisse impossibilitatem fidei de Incarnatione aliter explicandæ. In adversarios argumentum retorquet Tiphanus; quod est supremum dialecticæ pugnæ magisterium. Quoniam vero, ut majorem propriæ doctrinæ fidem conciliarent atque ipsius incolumitati melius prospicerent theologi, *modalis distinctionis* patroni, novam et antiquis philosophis inauditam *Modorum* doctrinam (a quo *Modistæ* ipsi dicti fuerunt,) in metaphysicam induxerunt; hujus doctrinæ refutationem præterire non poterat Tiphanus, quin exitum causæ a se susceptæ ac tot curis protractæ neglexisse accusaretur. *Modorum* enim doctrinæ usus erat maximus in quæstione de Hypostasi; imo, ut facile demonstrat Tiphanus, erat unica tantæ novitatis excitandæ ratio, profecto neque necessaria, neque sufficiens.

Hæc vero disputatio producitur a capite XL. ad caput LX. Ne tam longa de *Modis* intercedens disputatio, vitio ipsi verteretur, cavit Auctor his verbis in præfatione Lectori Candido et Erudito conscripta. « Si quis demum meo hoc in libro id vituperandum putet, quod cum de Hypostasi tantum et Persona tractare proposuerim, multus tamen fuerim in excutienda modorum doctrina, is eo me consilio id fecisse sciat. Primum, ut multorum precibus hac in parte facerem satis. Deinde, quod hodiernæ philosophiæ ac theologiæ pars non exigua in illis modis occupetur, vixque ullo a me loco de iis aptius, quam ubi de *modorum omnium principe*, SUBSISTENTIA ageretur, tractari posse existimavi. Postremo ne tales modi, indicta caussa, condemnati dicerentur, atque ut iis, quæ a me in utramque partem allata sunt, a te, benigne Lector, cognitis et perspectis, tanquam prudens et æquus arbiter de causa tota melius certiusque pronuntiares. »

XVIII.

Præterea ratio conscribendi *commentarios* seu *monographias*, quo genere continetur præsens Tiphani opus, non uno capite ab his legibus distat quibus tractatus ac libri reliqui reguntur. In illis enim vix ullus est arti locus. Quæstionis quaquaversus agitandæ ac, si fieri possit, finiendæ ratio est tota scribendi occasio simul et norma. Quare cum nova *modorum* doctrina maximam sententiæ a Tiphano demonstrandæ difficultatem inferret; penitior illorum discussio negligi non poterat quin ipsa libri editi ratio corrueret.

Hypostasis et Personæ forma, seu ratione objectiva, in tuto collocata; Tiphanus de utriusque proprietatibus breviter disserit in cap. LXI., tum in subsequenti theologica quædam corollaria ex præmissis proprietatibus deducit. Diversas Hypostaseos sive simplicium sive compositarum species enumerat cap. LXIII. Duo quæ sequuntur capita quæstionem de compositione *Hypostasis Christi* in scholis vehementer agitatam conficiunt. Reliqua, a LXVI. ad LXXI., capita varias quæstiones potentiæ Dei absolutæ, cujus erant valde curiosi præteritæ ætatis theologi, penitius scrutandæ plus minusve aptas pertractant, sobrie tamen et digne. Tum capite LXXII, ne videatur ordinis in proposita disputatione servandi oblitus; Auctor colligit « *Summam et brevem illationem fere omnium, quæ hoc opere continentur, ex uno principio et ex una definitione Hypostasis.* » Caput LXXIII. idemque ultimum inscribitur *Epilogus.*

XIX.

Stylus, ubique perspicuus sit oportet, et in argumentis difficilibus maxime. Perspicuitatis in sermone parum sollicitum extitisse Tiphanum fateor, imo profiteor. Phrases obstruncatæ non semel occurrunt; periodi inversa syntaxi ductæ et fallaci interpunctione distinctæ sæpius, quam par sit, lectoris oculos retardant animumque. Quam negligentiam eo libentius incuso, quo video ipsam ab obscuritate idearum minime profectam. Idearum e contra perspicuitas mira sermonis obscuritatem ubique transverberat. Ex animo ad exitum nimis festinante, quæ recensui, styli menda derivasse suspicor et credo. Quamobrem sinceras, egregii Candidati, D. Josepho Drioux benemerenti D. Thomæ in Galliis vulgatori, gratias habeatis, qui multam in editione hujus operis curanda operam posuit ac diligentiam, tantam vero religionem ut ne unius quidem verbi immutationem sibi licitam arbitraretur.

XX.

At nitidioris styli defectus doctrinæ in theologico opere propositæ meritum imminuere nequidquam valet. Istud vero tantum nunquam dixerim, ut omnia et singula doctrinæ capita a Tiphano propugnata probanda penitus asseram. In minoribus doctrinæ capitibus peccasse Tiphanum, raro tamen, concedam ultro ac sponte. Ipsum erroris arguit sua quidem ætate Dionysius Petavius (*Dogm. Theol., de Incarn., l. VI.*); itemque, anno superiore, Aloysius Fernandus Stentrupp S. J. in OEnipontana Universitate sacræ Theologiæ præclarus professor (*De Verbo Incarnato, prælectiones dogmaticæ*), quod minus recte senserit de composita Christi Persona. Verum fundamenta ipsa quod attinet operis, quæ duo sunt, et duplici realis tum *subsistentiæ* tum *modorum præsertim substantialium* a substantia prima singularisque distinctionis negatione continentur; Tiphanum non modo nulli errori obnoxium, sed potius doctrinæ deinceps optimis quibusque theologis probatissimæ instauratorem fateamur necessum est, Candidati.

Ac de *subsistentia* quidem nulla potest esse hodiedum dubitatio; ut duobus vel tribus auctoribus in exemplum prolatis cuique patebit. R. P. Josepho Kleutgen, in Angelici Magistri doctrinis vindicandis vix alium æqualem protulit ætas hæc nostra. Is vero est qui, licet primum sententiæ realem subsistentiæ distinctionem

asserenti adhæsisset, re tamen maturius perpensa in negantem sententiam his verbis concessit. « Propugnatores realis distinctionis inter naturam et hypostasim confiteri solent a philosophia nullas apodicticas rationes pro tali distinctione, nullas contra subministrari, et propterea solum eam retinent quod necessarium doctrinæ fidei consectarium eis esse videatur. *At res non ita se habet,* si, admissa etiam sententia *distinctionis virtualis,* explicari potest quod in Christo humana natura integra sit et propria tamen personalitate careat. Quoniam autem id ostensum supra fuit ex solutione difficultatum, concedendum est quod HYPOTHESIS DISTINCTIONIS REALIS CARET OMNI FUNDAMENTO. » (*Von Erlöser n.* 136. *seqq.*) Nominare etiam liceat, honoris causa, P. Fr. Thomam Zigliara, quum « *Summam Philosophicam* » conscriberet, nondum amplissimo Patrum Cardinalium Collegio cooptatum. Qui multa quidem ex Cajetano profert ad realem Hypostasis a natura distinctionem insinuandam; sed unum tantum textum ex ipso Aquinate citat in III. Sententiarum ad Cardinalem Annibaldum (*Summa Philos., tom. I. p.* 352). Verum, venia sapientissimi scriptoris, textum istum discutere neque vacat, neque licet. Desumitur enim ex opere inter spuria S. Thomæ scripta, communi criticorum sententia, rejecto (1). Tertium addere condecet ex eadem Dominicanorum familia P. F. Albertum Lepidi in Lovaniensi Collegio studiorum regentem, ingenii et eloquii felicitate nemini secundum, scientifica vero animi moderatione inter suos facile principem. In « *Elementis Philosophiæ Christianæ* » (vol. 2. pag. 194) postquam utriusque sententiæ probabilitatem, imo distinctionem virtualem intellectu faciliorem agnoverit : in nota paginæ subjecta hermenenticam de mente S. Thomæ quæstionem instituit. Perspicuitatis gratia plures Aquinatis textus qui pro hac controversia adduci possent in quinque distribuit classes, atque e quatuor prioribus nil posse in favorem realis distinctionis deduci diserte fatetur; tum subdit : « 5. Ultimo D. Thomas in 3ª. p. q. 4. art. 1. ad 3um. et art. 2, *si presse ac propria* significatione sumantur hæc verba, quibus asserit quod, si Christus assumpsisset naturam angelicam vel naturam humanam cum propria personalitate, personalitas angelica vel humana debuisset *destrui* et *corrumpi*, videtur dicere subsistentiam esse modum quemdam positivum, ab essentia individua realiter distinctum; quod enim cor-

(1) Confer tom. 22. Operum S. Thomæ, in præmonitione ad Lectorem. Parmæ, Fiaccadori.

rumpitur vel destruitur, altero manente, est aliquid positivum, realiter distinctum ab eo, a quo per corruptionem separatur. » Verum ne verba S. Doctoris « *presse* et *propria significatione* » sumantur, vetat ipse textus nobis objectus (q. 4. art. 2. ad 3^{um}.).

Etenim S. Doctor non suam, sed Innocentii III sententiam « *Persona Verbi consumpsit humanam naturam* » expendens animadvertit : « consumptio ibi non importat *destructionem* alicujus quod prius erat, sed impeditionem ejus quod aliter esset. Si enim humana natura non esset assumpta a Persona divina; natura humana propriam personalitatem haberet. » Quod si P. Lepidi scire cupiat, utrum illa personalitas, quam impedivit Verbi persona, sit aliquid positivum realiter a natura humana individua et concreta distinctum; se referat ad responsionem proxime præcedentem ad 2^{um}. ejusdem articuli, ubi S. Doctor ait : « Ad secundum dicendum, quod naturæ assumptæ *non deest propria personalitas* PROPTER DEFECTUM ALICUJUS quod ad perfectionem humanæ naturæ pertineat, sed PROPTER ADDITIONEM ALICUJUS quod est supra humanam naturam, quod est unio ad divinam Personam. » Quid clarius in rem nostram dici aut exoptari posset? Si enim personalitas humana esset positivum quid realiterque a natura distinctum, etsi minimum; jam aliquid *deficeret* in natura assumpta; jam personalitas humana deesset *propter defectum alicujus;* quamvis per *additionem alterius* suppleretur ille defectus. Qui dicendi modus quantum distet a verbis S. Thomæ modo prolatis, nemo est qui non viderit. Quamobrem ex isto articulo nedum objectio ulla in Tiphani sententiam deducatur, valida contra suboritur confirmatio.

Quid vero respondebimus, Candidati, ad alium textum a præcedentis articuli responsione ad 2. depromptum? Dicemus *primo* S. Thomam exponere doctrinam aliorum qui ideo Angelum non posse a Verbo assumi ajebant, quod tunc personalitas Angeli jam præexistens corrumperetur. Angelicus Doctor hoc responsum minus aptum ita ostendit : « Potest enim Deus producendo novam angelicam naturam copulare eam sibi in unitatem personæ, et sic nihil præexistens ibi corrumperetur. » Quis non videt hanc S. Thomæ animadversionem in Doctores ab ipso commemoratos eo contineri responsionum genere quæ « *ex dato et non concesso,* » ut in scholis dici solet, repetuntur? Cujusmodi responsiones frequenter adhibentur, quum non vacat adversarii doctrinam data opera refutare, sed præstat breviter conficere ex ipsius principiis, etiam per hypothesim datis, non sequi consequentiam ab ipso derivatam : in

casu impossibilitatem Angeli assumendi a Verbo. Hac autem methodo usum fuisse S. Thomam patet ex 2ª. responsione articuli in eadem quæstione immediate subsequentis et superius recitata; nisi quis eo usque progrediatur ut asserat D. Thomam aliter de angelica personalitate, aliterque de humana sensisse circa realem utriusque a propria natura distinctionem; atque de prima affirmasse distinctionem quam negat de secunda. Verum P. Lepidi nunquam his monstro quam vero similioribus subterfugiis abutetur. Hoc unum miramur, Canditati, quomodo responsio ad 2ᵘᵐ. secundi articuli, inter duos textus a præclaro philosopho nobis objectos media, ipsius oculos effugerit. Ille enim textus, in hac controversia vere fundamentalis, si Pᵉᵐ. Lepidi minime latuisset, nunquam illud argumentum molitus fuisset; cujus medius terminus « *destructio et corruptio presse ac propria significatione sumpta* » supponit personalitatem, angelicæ humanæve naturæ propriam, *deesse* in doctrina D. Thomæ « *per defectum alicujus quod ad naturæ perfectionem pertineret* ». Nam sine hujusmodi defectu corruptio et destructio nedum sit, ne concipi quidem potest « presse et propria significatione ». At S. Thomas e contrario per *additionem alicujus,* omni excluso defectu, naturæ a Verbo assumptæ propriam deesse personalitatem affirmat.

Ergo ex his *secundo* colligentes quid futurum fuisset in hypothesi qua Verbum angelicam naturam propria personalitate præditam assumpsisset; dicendum est juxta principia D. Thomæ, generationem potius quam corruptionem, positionem potius quam destructionem fore obventuram. Angelica enim personalitas in illa quoque hypothesi desineret non « *per defectum alicujus* quod pertineret ad naturæ perfectionem, sed per *additionem alicujus* quod est supra illam naturam. » Ergo nulla destructio, corruptio nulla « presse et propria significatione » esset pertimescenda : nisi quis item jam vereretur ne, duabus unitatibus binario numero ad quaternarium conflandum additis, binarium destrueretur et corrumperetur « destructione et corruptione proprie dicta! »

Omnem profecto dubitationem seposuisset R. P. Lepidi, si reliquos textus, et præcipuos quidem atque ex genuinis S. Thomæ operibus derivatos, iis addidisset quos in quinque classes distribuit. Plures citat Tiphanus; præcipui vero videntur duo textus Aquinatis ex propriis in Magistrum commentariis. III. Sent. dist. 5. q. 3. a. 3. ad 3. « Dicendum *quod separatio dat utrique partium totalitatem,* et in continuis dat etiam utrique esse in actu; unde *supposito quod homi-*

nem deponeret (Verbum), *subsisteret homo ille per se in natura rationali, et hoc ipso* acciperet rationem *personæ.* » Et iterum III. dist. 6. q. 1. a. 2. ad 5. « *Hoc quod facit conjunctum ex anima et corpore esse hominem,* NON EST *præter animam et corpus et unionem* ALIQUID POSITIVE; *sed ex hoc ipso quod ipsum compositum ex anima et corpore non adjungitur alteri subsistenti; in natura composita sequitur, quod conjunctum sit homo* (persona). *Unde si Christus humanam naturam quam assumpsit, deponeret,* EX HOC IPSO ESSET HOMO ILLUD COMPOSITUM *ex duabus substantiis* » (anima et corpore). R°. P^i^. Lepidi grati tamen esse volumus ac debemus, Candidati, quod sententiam ab Auctore nostro propugnatam nobilissimos in Dominicana Schola patronos habuisse profiteatur; Franciscum Victoria nempe, et Dominicum Soto cum summis omnium ætatum theologis jure conferendos. Imo Dominicum Soto, PP. Quétif et Echard in opere « *Scriptores Ordinis Prædicatorum* » asserunt maximum extitisse suæ ætatis theologum non modo in Domenicana familia, verum etiam in ipso Concilio Tridentino, ad quod convenerant ex orbe universo theologi omnium præstantissimi.

Gravior superest, Candidati, de *modis* difficultas, seu potius æquivocatio prorsus eliminanda. Modorum, ac præsertim substantialium, realem ab ipsa substantia distinctionem refutaturus Tiphanus apprime distinguit ipsos inter et accidentia. Horum enim et realem quidem a substantia distinctionem, dummodo sint physica, clare profitetur et viritim defendit ita, ut accidentia in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento seorsim a subjecto divinitus existere pluries affirmet in cap. XLII. Quam doctrinam his coarctatam limitibus non omnes fortasse complectentur; erroris vero arguet nemo qui sapiat.

XXI.

At enim insignium quorumdam theologorum judicia de Tiphano prolata jam præstat audire, egregii Candidati. DIONYSIUS PETAVIUS, et religiosæ familiæ et singularis amicitiæ vinculo Auctori nostro devinctus, his verbis opus « *de Hypostasi,* » tacito scriptoris nomine, laudat (*in III. de Incarnatione Verbi libro cap.* 16. *n.* 1). « Non appellabo nominatim partium principes, uti mos est in scholasticis contentionibus. Sed unius (Claudii Tiphani) tantum habebo rationem, qui pressius nuper ac subtilius quæstionem enodavit istam, et vegrandem librum in hanc solam de Hypostasi controversiam insumpsit; *vir sane doctus, et non sine honorifica mentione nominandus.* »

Amplior in laudibus Tiphani extitit Thomassinus, inclytum Oratorii decus, (*in libro III. de Incartione Verbi cap.* 21. *n.* 10.) « His ducibus addicti omnes fere Theologi sunt cæteri. E recentissimis hanc nostram sententiam (de constitutivo Hypostasis) luculentissime illustravit Tiphanus eruditis sime, Societatis Jesu præstantissimus theologus, libro de Hypostasi, cujus nobis copia tum demum facta est, cum huic nostræ dissertationi extremam manum imponeremus. Pauciora ille e Patribus delibavit, plura e Scholasticis acervavit theologis : commode id accidit, ut hinc antiquorum Patrum, illinc recentiorum theologorum accumularenur numerosissima testimonia et unanimis utrinque consensio firmaretur. Rursus illam quidem copulæ hypostaticæ partem, quæ in eo est posita, quod humanitas, non seorsim, non sua sibi sit; sed Verbo accedat, ejusque propria et veluti membrum aut portio fiat, hanc inquam partem Tiphanius copiosissime persequutus est; alteram autem petitam ab immeatione atque insessione superioris naturæ in inferiorem, intactam prætermisit, quo gravius in eam elucidandam incumbere nos ex re fuit, nec iis contentos esse, quæ non parce supra in id argumentum digessimus. »

Recentiorum theologorum encomia libro Tiphani tributa recensere neque vacat, neque opus est. Sunt enim in omnium cognitione. Maximo in honore apud severiores sacræ doctrinæ cultores habetur tractatus « *de Verbo Incarnato* » ab Em. cardinali *J. B.* Franzelin tum editus, quum dogmaticam Collegii Romani cathedram teneret atque singulari doctrinæ laude cohonestaret. Verum egregius Auctor repetitis vicibus profitetur doctrinam de Personalitate, tanto plausu exceptam, a libro Tiphani in proprium opus se derivasse. OEnipontanæ Universitatis Professor Hugo Hurter S. J., voluminibus in theologicæ juventutis gratiam editis præclarus, qua sit in Tiphanum mente atque æstimatione, et pluries in eximio « *Theologiæ Dogmaticæ Compendio* », et nuperrime in subjecta epistola quam Parisiensibus Editoribus humanissimus dedit, honorifice testatus est.

Quæ quum ita sint, egregii Scholæ Superioris Theologicæ Candidati; unum restat ut opere, quod novis atque elegantionibus typis excusum vobis a Pariensibus editoribus dicatur, diligenter utamini, tanquam exemplo ad imitandum proposito, in vestris studiis, mox vero vestris etiam in elucubrationibus, quas, A. M. D. G. et ampliorem scientiæ sacræ profectum, edetis supremam *Theologici Magisterii* lauream relaturi. Quod, auspicibus SS. Jesu et Mariæ Cordibus, faustum vobis accidat universis et fortunatum.

A. BERCHE ET J. TRALIN

CLARISSIMIS EDITORIBUS PARISIENSIBUS.

Magno gaudio excepi nuncium, quo mihi relatum fuit vos novam editionem curare libri plane egregii, Tiphani e S. J. *de Hypostasi et Persona*. Fuit enim Tiphanus, si Petavium et Thomassinum summos illos duumviros theologiæ positivæ audiamus, theologus sane doctus, præstantissimus, non sine honorifica mentione nominandus. Argumentum vero quod tractavit summi est momenti ad illustranda maxima fidei nostræ mysteria, augustissimæ scilicet Trinitatis et Incarnationis. Quantum enim in iis declarandis pendeat a genuina Hypostasis et Personæ notione, nemo est qui ignoret. Porro in hac determinanda felicissime solidissimeque est versatus auctor noster duces sequens Sanctos Patres doctissimosque Scholæ Theologos. Eo magis autem laudandum est vestrum consilium, quod præsertim hac nostra ætate etiam theologi alioquin catholici circa Hypostasis et Personæ notionem plus minusve erraverint non sine damno puritatis fidei catholicæ. Quare in magnum scientiæ theologicæ commodum cedet tanti operis editio, in quo collectum, illustratum, defensum reperimus quidquid præcipui theologiæ sanioris coryphæi de argumento tam subtili et simul tam gravi litteris consignarunt. Omnia itaque vobis fauste in hac editione cedere spero ac confido.

OEniponti 28 Oct. 1880.

H. HURTER, S. J.

R. P. CLAUDII TIPHANI

e Societate Jesu Sacerdotis Professi Vita.

Claudius Tiphanus, vulgo Tiphaine, natus est anno R. S. 1571, in oppido a *Domina Nostra Virtutum* nuncupato (hodie *Aubervilliers*) prope Parisios. Adolescentiam pietate ac litteris conspicuam exegit; tum vigesimum ac secundum annum assequutus, Societati Jesu nomen dedit anno 1593. Decimumquintum a suscepta religiosæ vitæ ratione annum vix attigerat; quum solemnia Professorum vota nuncupavit. Philosophiæ primum, Theologiæ deinde cathedras magna ingenii atque eruditionis laude obtinuit plurium annorum spatio. Aristotele imprimis et S. Thoma delectabatur magistris, quorum doctrinæ, vel in minimis sententiis, tanta institit religione ut vix latum aliquando unguem ab Aristotele in philosophicis, a S. Thoma in theologicis dogmatibus discedere pateretur. Qua in re memoriæ proditum est honorificum Nicolai Coëffeteau, Massiliensis Episcopi, eloquentiæ doctrinæque fama præclarissimi Dominicanæ familiæ ornamenti, de Claudio nostro testimonium. Dicere enim solebat : « Si unquam Aristotelis vel S. Thomæ volumina deperiissent, universam eorumdem doctrinam in uno P. Tiphano inventum iri (1). »

Quam sententiam verbatim placuit referre ut omnibus pateat quanta fuerit Tiphani in Aquinatem religio vel illorum arbitrio, qui vitam in Angelici Magistri voluminibus versandis, ex voto concepto, integram insumunt. Neque enim deerunt qui operis de Hypostasi denuo excusi doctrinam levius attingentes, librum et auctorem tanquam Angelico Doctori adversos calumnientur.

Tantam doctrinæ laudem præstanti virtutum omnium, quotquot religiosum virum condecent, comitatu extulit Tiphanus. Singulari prorsus eluxit prudentia, qua factum fuit ut plurimis annis a schola abesse cogeretur et interea Collegiis Rhemensi, Mussipontano, Metensi ac Flexiensi præesset. Imo Mussipontanæ Universatis Cancellarius primum, deinde Rector renuntiatus fuit. Egregii moderatoris partes adeo præclare explevit, ut universæ Provinciæ Campaniæ cura ipsi demandaretur. Tam ampli, tamque diuturni honores Tiphano stimulos adebant, ut quibus auctoritate præficeretur, in religiosæ vitæ palæstra longe anteiret. Assiduum ipsi, vel a primo tyrocinio, studium fuit in animi motibus extinguendis aut saltem compescendis.

(1) « Si Aristote et saint Thomas venaient à périr, on pourrait retrouver toute leur doctrine dans la tête du seul P. Tiphaine. »

Mira in omnes, potissimum vero in adversarios, animi lenitate, beneficiis malefacta rependebat. Hinc « hominis omnium mitissimi » profectum est elogium, quo apud omnes honestabatur. Faciles ad ipsum aditus et jucundi imprimis. Colloquia ut verbis et exemplis ad pietatem alendam aptis respersa, ita ab omni prorsus scurrilitate aliena instituebat.

Qua quidem ratione magno, quo in animarum lucra ferebatur, zelo satis ipse faciebat; ajebat enim maximam christifidelibus religiosos viros adeuntibus utilitatem ex istorum colloquiis oboriri. Verum majores adhuc religiosi zeli partes vivo religiosæ vitæ exemplo explendas censebat. Quare tam intento ad singulas vitæ suæ actiones animo utebatur, tamque exactam etiam minimorum rationem a semetipso exposcebat, ut de Tiphano per jocum dictitarent ipsius sodales : « Si unquam aliquando ullum peccatum esset admissurus, id puræ malitiæ tribuendum fore; siquidem de omnibus a conscientia se fideliter præmoneri ipse fatebatur. » Quamobrem, vel in ipsis fortuitis atque inopinis casibus animum suipsius compotem ac dominum præseferebat Tiphanus noster; ab omni vero terrestri affectione vacuum adeo ut, quum Campaniæ Provinciæ Præpositus Parisios aliquando negotiorum causa venisset, noluerit ad finitimum Dominæ Nostræ Virtutum pagum divertere et consanguineos plurium annorum absentia mœrentes solari. In D. N. Jesum Christum præcipuo ferebatur studio et amore. Cujus studii et amoris pignus esse voluit ipsum de *Hypostasi* librum quem Jesu Christo tanquam « tenellum animi sui fœtum primum offert ac commendat, quo illi simul et Auctori Jesus sit ac Servator. » Alterum a Filio locum Matri Mariæ in intimis præcordiis tribuebat Tiphanus; eidemque quotquot a Deo consequutus fuerat dona gratus referebat : quare et alterum Virgini Deiparæ opus de *Ordine* inscripsit ac dicavit.

Quibus adeo præclaris atque assiduis virtutum omnium exemplis effectum est, ut Claudius noster rerum spiritualium Præfectus in Parisiensi Professorum domo, religiosæ vitæ veteranis patente, junior adhuc renunciaretur anno 1615. Virtutum exercitationi perennes adhibebat comites philosophiæ ac theologiæ disciplinas, Angelicum Doctorem hac quoque parte imitatus. Bonitas quidem divina unus fuit ipsi in susceptis laboribus finis, et una spes. Eam vero tam alte insculptam mente animoque gessit toto vitæ suæ curriculo, ut, quum in extremo morbo delirio laboraret, has voces « *Bonitas Dei mei* » plusquam millies ingeminaverit. Quas dum adhuc obmurmuraret; ad Divinam Bonitatem detracto velo conspiciendam ipsius anima evolavit Senone, die 27 Decembris anno 1641. C. M. J.

Conferri poterit de Claudii Tiphani vita ac rebus gestis liber qui inscribitur : « L'Université de Pont-à-Mousson par le P. Abram, publiée par le P. Carayon. Documents inédits concernant la Compagnie de Jésus. XXII, Poitiers, 1870.

JESU CHRISTO

UNICO DEI VIVI

ET

MARIÆ VIRGINIS

FILIO

ORBIS UNIVERSI DOMINO

MUNDIQUE REDEMPTORI.

Ut familiare parentibus est, quos sinu suo aliquandiu blandiusque fovere filios, nisi commendatitiis instructos litteris, non ante a se ac domo sua ablegare; ita ingenii partus mentisque liberos, seu libros qui procrearunt, cum eos non minori studio et amore complectantur quam parentes filios, ubi dare illos luci et quasi domo emittere visum fuerit, sic prospiciunt eorum incolumitati, ut sine gratiæ conciliatricibus litteris abire in vulgus non patiantur. Eos itaque, prout variæ vel operis vel auctoris rationes ferunt, dicare variis et commendare solent; nunc maximo et præpotenti Principi cujus nominis splendore, non tantum illorum fronti decoris aliquid, sed præsidii etiam auctoritate accedat; nunc doctissimo sapientissimoque viro, cujus judicio probentur ac approbentur. Sunt qui benefactori et amico, tum grati animi, tum amicitiæ monumentum esse velint. Alii denique illorum nomine inscribi cupiunt, quorum res agitur in eo, quod tractant, argumento. His aliisque plurimis, bone Jesu, adductus

causis, tibi tenellum hunc animi mei fœtum primum offero ac commendo, quo illi simul et auctori *Jesus* sis ac Servator. Te enim quis dignitate et potentia major, *cui data est omnis potestas in cœlo et in terra?* Quis sapientior eo, *in quo sunt omnes divitiæ plenitudinis intellectus, omnesque thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi*? Et cui cum Petro dicere licet; *Domine, tu omnia nosti.* Cui amico, aut benefactori plus debeam quam ei qui, ut cum Apostolo loquar, *dilexit me et tradidit seipsum pro me?* Accedit quod ipse es præcipuum libri argumentum, qui in eo versatur potissimum ut sacrosanctam tuam Humanitatem doceat ex stupendo et incomprehensibili cum tua Divinitate commercio, in bonis suis naturalibus detrimenti nihil accepisse. Itaque cum tot nominibus sit tuus, etiam si quid in eo veri est, si quid eruditi, omnino a te datum est, qui gratiæ et veritatis fons es inexhaustus, *de cujus plenitudine nos omnes accepimus.* Quod autem in eo meum (meum appello errorem et ignorantiam), ignosces, Benignissime Jesu, et emendabis, tuique etiam amore ignoscent et tui. Cumque tu, *via, veritas* et *vita,* certiores nos feceris (Joan. 17) quod *hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum, et qui missus es* Jesum Christum, dabis etiam ut te deinceps cognoscam amplius, amem validius, colam religiosius, spes mea unica, solus, ac protectio mea. *Si fide te inveniunt qui ad te refugiunt, fidem da; si virtute, virtutem; si scientia, scientiam,* et fac bonitate et misericordia tua infinita, ut ubi tu es, ipse sit aliquando.

August. oliloq. cap. 1.

Indignus ac inutilis in Societate tua servulus tuus.

Claud. TIPHANUS.

LECTORI CANDIDO ET ERUDITO.

Vereor, mi lector, *ne meæ hujus scriptionis lectio plus tibi molestiæ afferat quam voluptatis duabus de causis. Altera* quod in multa sapientia multa sit indignatio; et qui addit scientiam, addit et laborem; *quod a Spiritu sancto per Salomonem dictum est, non de ipsa studendi discendive difficultate, nec de curis, vigiliis ac diuturnis laboribus ad scientiam comparandam necessariis, sed de ea animi molestia quæ partam scientiam consequitur, atque ab ejus natura et excellentia oritur.*

Hunc enim dolorem animi magnus ille Rex regumque sapientissimus, non nisi post comparatam multam et exquisitam rerum plurimarum cognitionem, sensisse et expertum se ipse diserte declarat. Locutus sum (*inquit superioribus versibus*) in corde meo dicens : Ecce magnus effectus sum, et præcessi omnes sapientia, qui fuerunt ante me in Jerusalem; et mens mea contemplata est multa sapienter et didici. Dedique cor meum ut scirem prudentiam atque doctrinam, erroresque et stultitiam. *Statimque post subjungit;* et agnovi quod in his quoque esset labor et afflictio spiritus.

Quam *Spiritus afflictionem, non contentioni animi in studendo, nec humori melancholico aut bilioso sapientis, nec ejus arrogantiæ, si qua turgeat a scientia, sed uni adscribit sapientiæ multitudini et abundantiæ* : eo quod (*quæ particula causalis est*) in multa sapientia multa sit indignatio, *inquit, id est a majori et præstantiori rerum*

cognitione frequentior majorque animi impatientia nascitur. Et qui addit scientiam, addit et laborem. *Incrementum enim scientiæ molestior doloris sensus consequitur graviorque indignatio.*

Etenim *pingendi arte præstans, si (quod sæpe accidit) in ineptas imagines, aut egregius musicus in voces dissonas et quivis eximius artifex in artis suæ opera imperfecta incurrat; eorum vitiis longe gravius offenditur majorique indignatione commovetur, quam picturæ, musicæ artisque illius ignarus. Eruditi grammatici aures in accentu, aut syntaxi, peccari vix sustinent; semperque sapiens stulte, prudens temere, probus improbe dicto aut facto magis commovetur. Sic in quavis facultate videas libros non paucos, quos cum imperiti minusque docti avide et magna cum admiratione perlegant, doctiores quique et ingenio atque scientia præstantiores, non nisi cum stomacho, iis offensi vitiis, quæ alios latent quæque ipsi in auctorum vel doctrina et judicio, vel ordine ac methodo, vel scribendi explicandique ratione legendo deprehendunt.*

Vereor *autem ne ut tu de horum sis lectorum numero, ita et meus hic liber de horum genere sit, in quibus peritiores non pauca desiderent. Neque enim tenuitatis meæ conscius, meo amplius aut etiam tantum dare possum ingenio, quantum alieno. Et cum Augustino* sentio quam multa figmenta pariat cor humanum. Et quid est cor meum, nisi cor humanum? *Absolutum et perfecte elaboratum in unoquoque genere opus rarum est, ac plerumque longe plura improbes quam probes.* Perversi difficile corriguntur et stultorum infinitus est numerus, *ait Sapiens, hoc est, ut secundum Hœbreos vertit Vatablus, quod depravatum est non potest corrigi, et defectus non possunt numerari.*

Lib. IV de Trinit. in procemio

Eccl. I, 15.

Altera *molestiæ tuæ causa fuerit, quod aliis forsan a nostris sententiis et contrariis iis, quibus insistimus, principiis imbutus pridem et informatus fuerit. Ut enim* omnium prima nos magis delectant *et quibus longo usu assuevimus non solum notiora, sed etiam nobis jucundiora sunt; ita insolita nobis ingrata, peregrina, obscura, sæpe etiam molesta esse solent : et jam comprehensæ animo penitusque insitæ opiniones novis sese offerentibus non minus obsistunt et repugnant, quam corpus alteri corpori locum suum subeunti. Deinde a natura, ab habitu et a consuetudine, quæ natura altera, aut (ut ille ait) acquisita est, abduci violentum est : violentia autem dolorem affert*, et tristis semper est necessitas. Arist. Polit. cap. 17. Evenus apud Aristol. 5. Metaph. text. 6.

Probi *nihilominus ingenii est rationum momentis cedere, cognitæ veritati obsequi, ejusque bonum cujuscumque amicitiæ et auctoritati præferre.* Sanctum est, *inquit Philosophus*, veritatem amicis anteponere, rectiusque oportere videtur pro ejus salute quemque, sed maxime philosophos, etiam sua propria dogmata refutare. *Cumque* error, *ut ait Augustinus,* quanta possumus cura cavendus sit, non solum in majoribus, verum etiam in minoribus rebus; *veritatis amator semper cavere debet, non solum ne decipiatur ipse, sed etiam ne alii in fraudem inducantur, sive ratione aliqua falsa, sive magni cujusdam viri auctoritate : a cujus bene inventis et recte traditis recedere, aut ad ejus, si quæ sunt, doctrinæ vitia, illius amore et magna existimatione accedere, æque turpe ac vitiosum est.* Eth. I. cap. 6. in Enchiridio cap. 17.

Quod *sicubi nos etiam errore ducimur, ab aliis docti certioribusque, si quas habent, rationibus persuasi, libenti animo resiliemus. Cum enim, teste Platone,* duo sint animi vitia maxima, ignorantia et improbitas, in Sophista

pessimum ignorantiæ genus est arbitrari ea scire quæ nescias.

Lib. III. de Trinitate in Procœmio.

Te *tamen, candide lector, Augustini et affectu et verbis monitum velim,* noli litteras meas ex tua opinione vel contentione, sed ex divina lectione vel inconcussa ratione corrigere. Si quid in eis veri comprehenderis, existendo non est meum; at intelligendo et amando et tuum sit et meum. Si quid autem falsi conviceris, errando fuerit meum; sed jam cavendo, nec tuum sit, nec meum.

Rationem *autem consilii mei in hoc opere habes in capite primo ejusdem. In quo ea usus sum diligentia ut quæ affero testimonia aliorum, uno aut altero excepto, in ipsis auctoribus legerim; quamvis errore librariorum in eorum locis ac numeris citandis mendum interdum irrepserit.*

Si *quis demum meo hoc in libro id vituperandum putet, quod cum de Hypostasi tantum et Persona tractare proposuerim, multus tamen fuerim in excutienda modorum doctrina, is eo me consilio id fecisse sciat. Primum, ut multorum precibus hac in parte facerem satis. Deinde, quod hodiernæ philosophiæ ac theologiæ pars non exigua in illis modis occupetur, vixque ullo a me loco de iis aptius, quam ubi de modorum omnium principe subsistentia ageretur, tractari posse existimavi. Postremo ne tales modi, indicta causa, condemnati dicerentur, atque ut iis, quæ a me in utramque partem allata sunt, a te, benigne lector, cognitis et perspectis, tanquam prudens et æquus arbiter de causa tota melius certiusque pronuntiares.* Arbitros *autem*, non adversarios esse oportere, qui, quod verum est, recte judicaturi sunt, *sapienter monet Philosophus.*

Lib. I. De cœlo text. 101.

APPROBATIONES.

Ego infrascriptus legi accurate tractatum *de Hypostasi et Persona* a R. P. Claudio Tiphano theologo doctore Societatis Jesu conscriptum; in quo nihil ab orthodoxa fide alienum, aut bonis moribus contrarium; sed omnia Angelici Doctoris doctrinæ apprime conformia et ad explicanda augustissimæ Trinitatis ac Divinæ Incarnationis mysteria maxime idonea offendi. Ideoque opus illud luce publica dignum judicavi. Metis in Palatio Episcopali 24. Julii 1634.

M. MEURISSE *Episcopus Madaurensis, Suffraganeus, et Vicarius generalis Episcopatus Metensis.*

Ego infrascriptus Doctor Sacræ Theologicæ Facultatis Parisiensis vidi, evolvi et accurate legi librum, cui titulus est : *De Hypostasi et Persona, ad augustissima Sanctissimæ Trinitatis et stupendæ Incarnationis mysteria illustranda*, R. P. Claudio Tiphano Societatis Jesu doctore theologo, ad communem studiosorum utilitatem evulgatum, in quo nihil contrarium fidei, Ecclesiæ, aut moribus reperi, sed omnia summa eruditione plena, ac prælo digna judicavi. Datum Mussiponti anno 1634. die Maii 8.

F. G. GALHAULT.

Ego infrascriptus sacrosanctæ Theologiæ Doctor testor me perlegisse librum, qui dicitur : *Declaratio ac defensio scholastica doctrinæ Sanctorum Patrum Doctorisque Angelici S. Thomæ de Hypostasi et Persona*, scriptum ab admodum R. P. Claudio Tiphano Societatis Jesu doctore theologo et Mussipontanæ Universitatis alias professore, Cancellario, ac etiam Rectore : quo quidem in libro, non modo nihil deprehendi a fide orthodoxa alienum, verum et maxime subtilem ad ejusdem fidei explicanda præcipua quæque mysteria doctrinam, summa cum scribendi facilitate, solerti perspicuitate, ac singulari modestia conjunctam miratus sum. Datum Mussiponti in monasterio nostro Sanctæ Mariæ Majoris, ordinis Præmonstratensis, die 28. Junii. 1634.

F. HIERONYMUS NICOLAUS.

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS

Provinciæ Campaniæ Societatis Jesu.

Ego infrascriptus Provinciæ Campaniæ Societatis Jesu Provincialis, potestate mihi ad hoc facta a R. admodum P. N. Generali Mutio Vitellesco, facultatem concedo, ut hæc *Declaratio ac defensio scholastica doctrinæ Sanctorum Patrum Doctorisque Angelici de Hypostasi et Persona, a Patre* Claudio Tiphano *sacræ Theologiæ doctore composita* et ab aliquot ejusdem Societatis theologis approbata, typis mandetur. Datum Mussiponti 12. Aprilis 1634.

IGNATIUS ARMANDUS.

FACULTAS R. P. RECTORIS UNIVERSITATIS MUSSIPONTANÆ.

Ego infrascriptus, Sacræ Theologiæ Doctor ac Universitatis Mussipontanæ et Collegii Societatis Jesu in ea fundati Rector, permitto, ut *Declaratio ac defensio scholastica doctrinæ Sanctorum Patrum Doctorisque Angelici de Hypostasi et Persona*, a R. P. Claudio Tiphano, e Societate Jesu, Sacræ Theologiæ Doctore composita, imprimatur. Mussiponti, 8. Julii 1634.

LEONARDUS PERINUS.

Non erit memoria sapientis similiter ut stulti in perpetuum, et futura tempora oblivione cuncta pariter operient; moritur doctus similiter ut indoctus.

Ecclesiastæ II, 16.

DE HYPOSTASI ET PERSONA

AD

AUGUSTISSIMA SANCTISSIMÆ TRINITATIS, ET STUPENDÆ INCARNATIONIS MYSTERIA ILLUSTRANDA.

CAPUT I.

Rationes suscepti operis, ejusque Utilitas, Dignitas, Methodus, et Partitio.

1. Scientia de Hypostasi, et solida, exactaque doctrina de Subsistentia et Persona necessaria est, cum Philosopho, ad substantiæ primæ et particularis, quæ, auctore Aristotele, est maxime ens, et proprie ac principaliter substantia, perfectam cognitionem; tum in primis Theologo, ad dogmata fidei, et præcipue ad Trinitatis et Incarnationis, summe ardua et incomprehensibilia Religionis nostræ mysteria altius penetranda, subtilius distinctiusque, cum opus est, exponenda, et contra adversarias hæreses validius propugnanda; illud quidem, contra pugnantes Arii et Sabellii de Deo hæreses; hoc vero, contra oppositos item Nestorii et Eutychetis de Christo errores. Eademque scientia, ad objectiones et difficultates varias, quas vel hæreticorum versutia, vel humanæ rationis imbecillitas menti nostræ, contra prædictorum mysteriorum veritatem opposuerit, et ad multas tam Philosophicas quam Theologicas quæstiones non difficulter, ut patebit, expediendas, utilissima est. Itaque Anastasius Sinaita Patriarcha Antiochenus hæreticos quosdam Alexandrinos merito ridet et carpit, quod de fidei dogmatibus et de Hypostasi disputantes, quid esset hypostasis, ignorarent.

In Præd. cap. de sub. et 7 Met. text. 7.

In ὁδηγῷ. cap. 1.

Causæ suscepti operis.

2. Quas ob causas suscepta à nobis nunc est hæc de Hypostasi et Persona tractatio, Christo Jesu auspice, ejusque potissimum gratia et amore, ad sanctissimam illius Humanitatem illibatam, et naturalem ejus integritatem, perfectionemque substantialem omni ex parte illæsam, inviolatamque defendendam : Si quidem hoc, salva de Incarnationis œconomia catholica veritate, fieri potest, ut omnino potest : Imo aliter, ut opinor, esse non potest, quantum ex Scriptura, Conciliis, Patribus, et scholæ antiquioris Theologis fere omnibus, ac præcipue ex S. Thomæ doctrina, denique ex plurimis ac firmissimis rationibus, et argumentis colligere licet.

3. Est enim Christus Dominus noster, ut habet Symbolum Athanasii, non solum Deus et homo, sed perfectus Deus, et perfectus homo. Quod Concilia, et SS. Patres cum declarant, aiunt, cum Paulo ad Heb. 2. et 4. eum nobis *per omnia* (scilicet naturalia) similem esse, *absque peccato*; intellige etiam absque ignorantia, quæ peccati radix est; Eorum verba, ac testimonia referuntur plurima infra Cap. 30. nunc hæc pauca tantum Lector prælibabit. *Ille prius, ut Deus opulentus, postmodum inops factus est, et homo nobis in omnibus similis redditus est, excepto peccato,* inquit Athanasius tract. 3. de natura assumpta contra Apollinarem : et Damascenus lib. de duabus voluntatibus. *Si quam naturalem proprietatem non accepit, non esset perfectus homo, sed aliquid ei deesset.* Et Anastasius Sinaita sup. cap. 17. *Omnia quæ hominibus sunt communia et naturalia, nullique reprehensioni in nobis obnoxia, sicut docet Paulus, assumpsit; ideo ipsum in humanitate etiam perfectum confitemur.* Sed plura, ut dixi, postea de SS. Patribus.

D. Paulus. Athanasius. Damascenus. Anastasius.

4. Quibus plane consentiens S. Thomas ita loquitur 4. contra gentes cap. 43. *Derogaretur perfectioni Incarnationis Dei Verbi, si aliquid eorum, quæ naturalia sunt homini, ei deesset.* Et Paulo post. *FIDES per omnia, sine peccato, similem eum nobis in naturalibus confitetur.* Veriusque nihil est, quam quod idem docet 3. parte q. 4. art. 2. ad 2. et ab eodem fusius declaratum est Opusc. 2. quod est Compendium Theologiæ cap. 211. et opusc. 3. contra Græcos et Armenos cap. 6. *Quod naturæ assumptæ Christi non deest propria personalitas propter defectum alicujus, quod ad perfectionem naturæ humanæ pertineat, sed propter ADDITIONEM alicujus, quod est supra humanam naturam, quod est unio ad divinam personam.*

D. Thomas.

5. De qua unione loquens S. Maximus Monachus et Martyr

S. Maximus.

Epist. ad Nicand. Episc. eam ait, *nihil eorum, quæ naturalia sunt lædere, sicut nec naturas ipsas, tametsi has per se ipsas in unum secundum hypostasim cogit, et conjungit.* Et paulo post. *Hac unione non lædente res, neque differentiam earum, quin potius accommodate ad ipsum appellationem nominis, in unum copulante, quæ copulata omnino sine diminutione ac perfecte, quæ secundum naturam differunt, in ea ipsa unione, salva sunt : nullam depravationem, neque confusionem subeuntia, nec in substantiis ipsis, nec in voluntatibus, nec in operationibus, nec in re quapiam naturali.* Et opusc. ad Marinum Discip. *Non venit,* inquit, *ut naturam adulteraret, quam ipse condiderat; sed venit, ut naturam ex toto deificaret, quam ipse volens bona voluntate Patris, operante pariter Spiritu Sancto secum, secundum unam et eandem hypostasim copulavit, cum omnibus, quæ naturaliter in ea sunt, præter peccatum.* Cujus rei rationem affert optimam et a priori, quam suo loco referemus. Et S. Leo Pontifex sermone 1. de Nativitate, *Salva proprietate utriusque Substantiæ, et in unam coeunte personam, suscipitur a majestate humilitas, a virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas.* Et sermo. 8. *Utrique naturæ in suis proprietatibus permanenti tanta est unitas facta communis, ut quicquid ibi est Dei non sit ab humanitate disjunctum, quidquid autem est hominis, non sit a Deitate divisum.*

6. Et certe si creata et supernaturalis gratia Dei, animam nostram ita perficit et sanctificat, nihil ut ejus substantiam lædat, aut ullum accidens naturale, et inhærens ab ea excludat, quidni præstet idem humanitati Christi Dei Verbi persona, ejusque cum ea ineffabilis unio substantialis? Si eadem Christi humanitas, ut ait Ecclesia, Matris, ex qua prodiit, integritatem non minuit, sed sacravit, cur illa ipsa integra, et sine ulla suæ substantiæ, vel ullius suæ formæ, aut actus naturalis detrimento ac diminutione, a Filio Dei, in unitatem suæ personæ assumi, sanctificari, suaque personalitate propria destitui non possit, quantumvis personalitas humana sit quid reale et positivum? In Secreta Missæ Concept. et Nativ. B. Virginis.

Id licet prima fronte cuipiam paradoxum, et impossibile videri possit : tamen rem esse et solide veram, et intellectu facilem, et summe probabilem omnes, credo, statim intelligent, vel ex his paucis, quæ præfamur.

7. Etenim, ut præclare ratiocinatur S. Thomas opusc. 2. supra citato. *Hæc nomina, Persona, hypostasis et suppositum, integrum* D. Thomas.

quiddam designant, et id, quod per se et seorsim sumptum, est quid totum et integrum, proindeque persona et hypostasis, cum propter conjunctionem cum alio, interdum desinat esse integrum, jamque se habeat ut pars, desinit esse hypostasis, aut persona. Suppositum dicit rationem totius et integri. *Unde in aliis a Christo hominibus unio quidem animæ et corporis constituit hypostasim, et suppositum, quia nihil est aliud, præter hæc duo. In Domino autem JESU Christo, præter animam et corpus advenit tertia substantia, scilicet Divinitas, quæ quia in Christo non est ut pars, sed semper ut aliquod totum et integrum, quod sibi naturam humanam per ineffabilem quandam unionem assumpsit, propterea persona, hypostasis et suppositum in Christo se tenet tantum ex parte naturæ divinæ; anima vero et corpus trahuntur ad personalitatem personæ divinæ, adeo ut in Christo non sit aliud suppositum, alia hypostasis, aut alia persona, quam persona æterna Filii Dei.* Hæc et plura ibidem S. Doctor, qui etiam in 3. dist. 5. q. 3. art. 3. ad 3. et dist. 6. q. 1. art. 2. ad 5. diserte asserit, quod si Verbum humanitatem assumptam deponeret, *ex hoc ipso,* acquireret rationem suppositi et personæ humanæ.

Personalitas pro pria acquirendo perditur et perdendo acquiritur.

8. Itaque Humanitas Christi, contra quam plerique putent, Personalitatem propriam acquirendo perdit, et perdendo acquirit. Hypostases enim et personæ, cum aliæ sint increatæ et Divinæ, aliæ creatæ; illæ quidem omnino incorruptibiles et inseparabiles sunt a natura divina, quod integritatem suam amittere nequeant. Cum enim sint infinitæ perfectionis, nulli earum quicquam, quo fiat major, accedere, aut quo fiat minor, quicquam decedere potest, totamque divinæ naturæ perfectionem quælibet continet : neque omnes simul sumptæ sunt perfectiores una seorsim, nec una tribus, ut post Augustinum lib. 8. de Trinitate c. 1. et l. 15. c. 3. notat S. Thomas 1. parte q. 42. art. 4. ad 3. Incorruptibiles igitur sunt, et prorsus inseparabiles a natura divina, sive sola, et disjuncta a creata substantia, sive alicui conjuncta, ut in Christo, quia augmenti et decrementi substantialis sunt omnino incapaces. Verbum enim divinum ab humanitatis assumptæ substantia nullo modo perficitur. *Majestati Filii Dei corporea nativitas nihil abstulit, nihil contulit : quia Substantia incommutabilis nec minui potest, nec augeri.* Inquit S. Leo Pontifex serm. 7. de Nativitate. Et S. Thomas in 3. dist. 3. q. 2. art. 3. ad 1. *Bonum creatum se habet ad increatum sicut punctum ad lineam,*

Hypost. divinæ cur inseparabiles a natura divina

cum unius ad alterum nulla sit proportio. Unde sicut punctum additum lineæ non facit majus : ita nullum bonum creatum additum in persona bono increato facit melius. Deinde quia Deus est omne bonum, et in eo est ratio tota bonitatis omnium bonorum, propterea nullius boni, quod in eo non sit, additio fieri potest.

Hypostases creatæ cur, et quot modis a natura separabiles nempe Additione et Detractione.

9. Creatæ vero hypostases et personæ corruptibiles sunt, et separabiles a natura, ea remanente, quia substantiæ sunt finitæ perfectionis, ideoque capaces augmenti, et decrementi substantialis. Quibus duobus modis suam integritatem, et totalitatem, suumque complementum ultimum substantiale, quod est de ratione hypostasis et personæ, amittere possunt, nempe *Detractione, et Additione.* Non secus ac numeri, qui addita, vel detracta unitate; aut rerum essentiæ, quæ sublata, vel adjecta una differentia pereunt, ex Philosopho 8. Metaph. tex. 10. Etenim omne Totum finitum et integrum in ratione totius perit, non solum ablato aliquo, quod ei inerat, sed solum addito ei aliquo, quod non inerat, solaque ejus cum altero conjunctione, ut ostendetur c. 23. Omnis autem persona, omnisque hypostasis totum quoddam est, et quid integrum : Præterea terminus ultimus talis esse desinit, vel sola adjectione ulterioris : hypostasis autem est terminus ultimus.

Jam vero Christi humanitas personalitate propria caret, non primo modo, detractione, aut jactura formæ, vel modi alicujus realis in aliis hominibus et personis humanis existentis, ut existimant plerique Theologi recentiores; sed secundo modo, sola *Additione* et unione cum persona Verbi, ut ante S. Thomam et Doctores scholasticos antiquiores, docent SS. Patres, apud quos nullum est vestigium Subsistentiæ modalis, aut ullius entitatis realis ab humanitate Christi exulantis : Imo contrarium disertis verbis constanter asserunt, ut suo loco dicetur, constabitque plenius ex iis omnibus quæ deinceps uberius exposituri sumus.

Quanti sit momenti suscepta disputatio.

10. Hæc autem quæstio tum ob ejus subtilitatem, tum propter excellentiam mysterii Incarnationis et dignitatem Personæ Christi, cum sit gravissima, diligenti et accurata disquisitione indiget. Ut enim vere sapienterque admonet Cassianus lib. 1. de Incarnatione c. 2. *Non minoris est erroris Domino JESU Christo impropria addere, quam propria derogare. Quod enim de illo, non ita dicitur, ut est, etiam si honor videatur, injuria est.*

11. Præterquam quod a paucis sive Theologis, sive Philosophis

etiam recentioribus hæc materia pro ejus dignitate, necessitate et utilitate hactenus tractata est. Nam plerique Theologi cum de Trinitate, aut Incarnatione scribunt, ubi de hypostasi et persona, ad divinas explicandas agendum est, lectorem remittunt ad Metaphysicam, eaque supponunt, quæ sunt vel omnino falsa, vel non satis probata et cognita. Ex falsis autem veritas, ex obscuris claritas, non magis, quam e tenebris lumen prodire potest; et ut vulgo dicunt, ex male suppositis non est bene argumentari. Nonnulli quæstionem perstringunt valde leviter, et perfunctorie, interdum etiam satis intricate.

12. Ac inter cæteros Cajetanus, vir alioqui et ingenio et doctrina præstans, de Theologia, et S. Thomæ doctrina plerisque in locis bene meritus, in hac materia mihi parum feliciter versatus esse videtur. Cum enim, ut constabit ex iis quæ postea dicturi sumus, in ipso limine offenderit, hoc est, in Hypostasis ac substantiæ natura bene constituenda a S. Thomæ sententia aberrarit, incredibile est quam sæpe postea suis in tertiam partem de Incarnatione Commentariis, quamque violenter S. Thomæ textum per se facilem et planum, in alienum, eumque pravum sensum detorserit, et quam multas parum probabiles in Theologiam sententias invexerit, quas plerique postea Thomistæ, et alii, quod eas S. Thomæ esse, ejus Commentatoris nomine et auctoritate ducti ac decepti, existimarent, sine scrupulo passim defenderunt. Exempli gratia. *Præter subsistentias relativas in Deo esse quartam communem et absolutam : Eam esse personam incompletam : In ea sola Incarnationem fieri potuisse : Hypostasim Christi* (quod antiqui omnes Theologi dicere reformidant, et merito) *esse compositam : Eam esse, et dici posse personam humanam : Humanitatem Christi existere, non sua, sed Verbi divini existentia,* et similes, quas a S. Thomæ mente, et a veritate remotissimas esse suis locis ostendetur.

Admonitio de Cajetano.

13. Ex alia parte Philosophi plerique, ac Metaphysici, cum de Subsistentia disputant, Theologos agunt, dicuntque cum Cajetano, *ejus sive existentiam, sive rationem propriam, sive a Natura distinctionem, nulla via naturali cognosci posse : Aristoteli et antiquis omnibus Philosophis fuisse omnino incognitas : Illas non nisi ex mysterio Incarnationis colligi : Ex eo haberi, subsistentiam esse modum a Natura a parte rei realiter, seu modaliter diversum : Sine tali forma et modo mysterium Incarnationis, nec esse, nec intelligi posse.* Quæ omnia falsa, item et doctrinæ S. Thomæ con-

traria esse ostendemus : imo vero talem modum, Incarnationem reddere impossibilem evincere conabimur : ita tamen ut quæ dicturi sumus omnia, et Ecclesiæ, quæ columna veritatis est, definitioni, et Doctiorum judicio subjiciamus. Nam *Contra rationem, nemo sobrius, contra Scripturam, nemo Christianus, contra Ecclesiam, nemo pacificus senserit,* ut ait Augustinus lib. 4. de Trinit. cap. 6.

14. Quamvis autem propriæ *Hypostasis* et Personæ rationes, cum re et ratione a materia abstrahant, sint metaphysicæ, quia tamen in ordine ad Hypostases Divinas, quæ non nisi fide ac Dei revelatione nobis notæ sunt, et ad Incarnationem Christique, Domini Personam distinctius cognoscendam de iis præcipue disputamus; ea utemur methodo ad id quod occurret explicandum et confirmandum, ut rationes et probationes Theologicas, cum Philosophicis conjungamus, et una cum quæstionibus philosophicis, non paucas Theologicas ab illis pendentes pertractemus. Methodus.

In deligendis vero sententiis, et sequendis, aut deserendis auctoribus consilium sequemur Philosophi admonentis *diligendos omnes, adhærendum certioribus.* Neque ex eo quod, ut idem scribit 2. Met. t. 2. *Non solum illis agendæ sunt gratiæ, quorum opinionibus quis acquiescet; sed illis qui superficie tenus dixerunt. Conferunt enim aliquid etiam isti. Habitum namque nostrum exercuerunt, etc.* propterea existimandum est eos, a quibus dissentias, et quorum dogmata veritati, ut tibi videtur, parum consentanea improbes, despici et contemni. Studemus tamen imprimis D. Thomæ; quam fideliter ac feliciter, aut secus, qui Lector intelligens, idem Judex idoneus erit. 12. Met. text. 45.

15. Tres autem in partes generales hoc Opus distribui potest. Prima, quæ 20. primis capitibus continetur, in Hypostasis et Personæ quidditate ac ratione propria vestiganda, declaranda, et defendenda consumitur. Secunda agit de ejus distinctione a Natura, a 20. Capite ad 59. In qua de Modis in universum pluribus necessario disputatum est, ut solide ac perspicue intelligeretur, quomodo Subsistentia sit modus, et quomodo non sit, juxta doctrinam Recentiorum quorundam de Modis. Tertia vero, quæ est a dicto Capite 59. ad finem operis, Hypostasis proprietates, et species exponit, ac nonnullas de ea quæstiones, et difficultates dissolvit. Partitio operis.

CAPUT II.

De Nominibus Hypostasis, Substantiæ, *et* Subsistentiæ.

Nomen hypostasis varia significat.

1. Ut igitur ab ipso nomine exordiamur, ὑπόστασις vox græca est, quæ cum apud Græcos varia significet, videlicet, Essentiam, Substantiam, Personam, Basim, Rem solidam, et non apparentem, fulcimentum, insidias, vini sedimentum, et crassiorem cujusvis liquoris partem in imo subsidentem, aliaque hujusmodi; a Philosophis de Substantia; et a Theologis ac SS. Patribus de mysteriis Trinitatis, et Incarnationis disserentibus communiter non nisi pro Subsistentia, Supposito et Persona sumitur.

Controversia olim de vi et notione hypostasis in mysteriis fidei.

2. Quæ vox Græca, propter ejus æquivocationem, an ad dogma fidei de sanctissima Trinitate exponendum adhibendum esset, necne, magna olim in Ecclesia extitit controversia, non solum Græcos inter, et Latinos Patres, sed etiam inter ipsosmet Græcos : ut constat ex Basilio Epist. 41. 64. et 78. Hieronymo epist. 57. ad Damasum, Rufino lib. 1. suæ historiæ c. 29. Socrate lib. 3, c. 5. Niceph. lib. 10. c. 15. aliisque scriptoribus Ecclesiasticis.

Nam cum ὑπόστασις Græce, ut dictum est significet et οὐσίαν, id est, rei quidditatem seu essentiam, quæ definitione explicatur, ut apud Athanasium orat. 5. contra Arianos, et Epiphanium hæresi 69; et Personam, seu substantiam individuam, et singularem per se ac seorsim existentem; ut notat Leontius de sectis scholæ Actione 7. in Deo tres esse hypostases, hypostasi primo sensu accepta, erat hæresis Arii : unam vero tantum esse, hypostasi secundo modo accepta, error erat Sabellii unam in Deo essentiam et Personam solis nominibus, et operationibus distinctam asserentis. Propterea hæc vox Græcis et Latinis Patribus, in Trinitate declaranda, visa est initio valde periculosa. Hinc illa Hieronymi ad Damasum supra : *Quisquis tria esse, hoc est, tres esse hypostases, id est,* οὐσίας *dicit, sub nomine Pietatis tres naturas conatur asserere.* Et paulo post. *Taceantur tres hypostases, si placet, et una teneatur : venenum sub melle latet.*

Hieronymus.

3. De qua controversia Gregorius Nazianz. orat. 21. de laudibus Athanasii versus finem ita scribit. *Cum essentia una, et tres hypostases a nobis pie dicerentur (quod alterum Divinitatis naturam, alterum trium Personarum proprietates declaret), atque eodem quidem modo apud Romanos intelligerentur; cæterum, ob linguæ ejus angustiam, et verborum inopiam, Hypostasim ab Essentia distinguere non possent, eoque factum esset, ut pro ea, ne tres substantias admittere viderentur, Personarum vocabulum induceret,* etc. *Utraque parte leniter et benigne accita, verborumque sententia diligenter et accurate perpensa, posteaquam concordes reperit, nec, quantum ad doctrinam, ullo modo inter se dissidentes, ita negotium transegit, ut nominum usum concedens, rebus eos constringeret.* Eadem tradunt Anastasius Sinaita in ὁδηγῷ cap. 12, Facundus Hermianensis lib. 1. cap. 3. et alii. Plura de hac voce, ejusque controversia vide apud Baronium ad annum Christi 362. num. 186. et seqq. Jacobum Sirmondum nota 8. et 9. ad lib. 2. prædicti Facundi, Didacum Ruiz tota fere disputatione 31. de Trinitate. Floravantium lib. 1. de Trinitate c. 2. et lib. 2. sect. de Persona in universum. Gregorius Nazianz.

4. Cum itaque, ut notat Baronius ad annum Christi 372. num. 53. ex pluribus Orientalium sermonibus innotuisset Occidentalibus, in eum sensum hypostasim a Græcis accipi, ut significaret id quod per se ac seorsum subsistit, nullamque huic voci sic acceptæ subesse fallaciam, ab iis ita recepta et frequentata est, ut in Latinitatem frequenti usu transierit, eadem notione, qua *Persona et Subsistentia.* Atque ad tollendam æquivocationis fallaciam, simulque Arianam hæresim cum Sabelliana excludendam, οὐσίαν pro sola natura et essentia, ὑπόστασιν vero pro natura cum proprietatibus, seu pro eo quod per se et seorsim subsistit, Græcis Latinisque Patribus deinceps usurpari placuit. Unde Athan. tract. de distinct. Columna 3. *Aliud*, inquit, *est Natura, aliud Hypostasis. Si quis ergo de divinitate quærat, Quot confitearis naturas; Responde unam, hypostases vero tres : Quod si quis de Incarnationis dispensatione interroget, Quot naturas confiteare; Responde duas, unam vero hypostasim.* Baronius.

5. Paris periculi suspicione, eadem de causa, et ob similem æquivocationem Latina vox *Substantia* in mysterio Trinitatis declarando laboravit. Hæc enim cum etiam apud Philosophos, aliosque auctores accipiatur, nunc pro essentia et quidditate; ut cum Substantia.

Substantia nomen dupliciter sumitur.

homonyma definiunt, *Quorum nomen commune, ratio vero substantiæ diversa* in Prædicam. c. 1. Alias pro hypostasi et persona, seu substantia singulari per se subsistente, ut a Philosopho 5. Metaph. t. 15. a D. Paulo ad Hebræ. 1. cum ait Filium Dei esse figuram substantiæ, id est, personæ Patris. Primo quidem sensu, ex rei veritate, et ex doctrina fidei, una est in Deo substantia, id est, essentia, non tres substantiæ, ut volebant Ariani : at secundo sensu, tres sunt in Deo substantiæ, id est hypostases, non una tantum, ut volebant Sabelliani. Tres enim in Deo esse substantias, scilicet relativas et personales recte dici posse admonet S. Thomas 1. p. q. 30. art. 1. ad 1. et qu. 9. de pot. art. 2. ad 9. docetque pluribus Didacus Ruiz de Trinitate disp. 33. sect. 3. et 4.

Quo sensu dicant Patres in Deo esse tres substantias.

Augustinus.

itaque locutos esse SS. Patres, præsertim Augustinum lib. 7 de Trinit. cap. 4. *Dictum,* inquit, *est a nostris Græcis una essentia, tres substantiæ : a Latinis autem una essentia vel substantia, tres personæ, quia non aliter in Latino sermone quam substantia solet intelligi,* et lib. 8. cap. 1. *Ideo, inquit dici tres Personas vel tres substantias, non ut aliqua intelligatur diversitas essentiæ, sed ut vel uno aliquo vocabulo responderi possit, quid tres, aut quid tria :* Et Isidorum lib. 7. Etymologiarum c. 4. §. ultimo. *Tres hypostases,* inquit, *quod resonat in latinum tres substantias, quoniam vere apud Græcos substantia intelligitur non natura.* Et certe si *substantia* hypostasim significat ergo tres hypostases erunt tres substantiæ, scilicet personales et hypostaticæ. Deinde tres hypostases divinæ tria sunt entia, non accidentia, ergo necessario substantiæ tres.

Isidorus.

Sozomènus.

6. Nihilominus quoniam, ut scribit Sozomenus lib. 6. Tripart. cap. 11. *de Substantia et Subsistentia quæstio turbabat Ecclesias, sapienter decretum est* (*in Concilio scilicet Alexandrino*) *ut his nominibus contra Sabellianos solum utamur, ne vocabulorum inopia idem putaretur esse substantia, quod subsistentia.* Itaque ad nominis æquivocationem, et prædictarum hæreseon periculum vitandum, Substantiæ nomen, cum de Trinitate agitur, et SS. Patres Græci ac Latini, et Doctores scholastici vulgo pro sola essentia usurpant, unamque in Deo esse substantiam, id est, essentiam communiter dicunt : ac loco substantiæ pro hypostasi acceptæ utuntur nominibus *Subsistentiæ, Suppositi, vel Personæ.* Quare licet, ut dictum est, tres in Deo esse substantias vel absolute, vel saltem cum adjectione, tres substantias relativas, seu tres substantias

personales recte dici possit, et, ut notat Augustinus lib. 7. de Trinitate cap. 4. *Sic Græci in Deo dicant tres substantias, unam essentiam, quemadmodum nos,* id est Latini, *dicimus tres personas unam essentiam, vel substantiam;* tamen, ut idem monet cap. sequenti, *Fortassis commodius dicuntur tres personæ, quam tres substantiæ.* Augustinus.

7. Quod attinet ad nomen *Subsistentia*, varie item usurpatur, sicut et ipsum *subsistens* ac *subsistere*. Primo enim subsistere idem est ac esse ens verum, reale solidum, oppositum ficto, apparenti, intentionali, et repræsentativo. Quo sensu S. Dionysius 1. de Divinis Nom. c. 4. ait *malum non habere hypostasim* id est entitatem realem et positivam, et Auctor libri de mundo ad Alexandrum, *Eorum,* inquit, *quæ in aere cernuntur alia apparent, alia sunt secundum Hypostasim;* id est habent realem entitatem, et vere talia sunt, qualia apparent. Et in Proœmio introduct. Porphyrii *Mox de generibus, et speciebus : illud quidem sive subsistant* (id est, an sint entia realia et extra animam) *sive in solis nudis intellectibus posita sint : et subsistentia, an corporalia sint, an incorporalia.* 2. Subsistere est existere. Job 7. *Si mane me quasieris, non subsistam;* quo sensu etiam accidentia subsistere dicuntur. *Sciendum,* inquit Leontius 1. de sectis scholæ Actione 7. *Hypostasim duo significare. Nam significat id quod simpliciter existit, quo significato dicimus accidentia Hypostasim habere, licet in aliis esse suum habeant : significat et id quod seorsum et per se existit, qualia sunt individua substantiarum.* 3. Subsistere est esse substantiam, seu habere rationem entis oppositam accidenti : quo pacto omne, quod non est accidens, subsistit, ut partes substantiæ. 4. Idem est ac substare vel subjici alicui, ut materia formæ, subjectum accidenti, vel etiam unum accidens alteri, ut perspicuitas lumini. 5. Idem quod aliis supponi et in imo subsidere. 6. Subsistere est motu interrupto quiescere, gradu sistere, nec ulterius continue progredi. 1. Regum 9. *Tu autem subsiste paulisper,* inquit Samuel ad Saul, *ut indicem tibi verbum Domini.* 7. Idem est ac esse Hypostasim et Substantiam Primam, individuam, singularem, totam, per se et seorsim existentem. Variæ acceptiones subsistentiæ

8. Atque hæc est maxime propria tam verbi *subsistere,* quam vocis *subsistentiæ* acceptio, quod in rem nomine subsistentiæ ita acceptæ significatam, superiores omnes notiones quodammodo confluant, simulque reperiantur. Nam substantia prima, tota et et maximè propria.

per se; est ens maxime reale et firmum, non intentionale nec apparens tantum : est maxime existens, cum per se et non in alio existat : est maxime substantia accidenti opposita, ex Philosopho in Prædicam. Eademque est subjectum accidentium, et etiam secundis substantiis subjicitur, quæ de ea essentialiter prædicantur, eique omnia insunt, ex Philosopho ibidem. Præterea in ordine categorico, imo loco residet, subjiciturque quoad prædicationem, et secundis substantiis et accidentibus. Cumque sit substantia sola, per se separata atque adeo non communicata alteri per modum partis, seipsa quasi contenta, se quodammodo sistit, nec tendit ulterius, aut se communicat alteri, quo sibi adjuncto ejus perfectio substantialis magis extendatur.

Quid nominis subsistentiæ.

9. Recte igitur hoc septimo modo nomen *subsistentiæ* communi usu tam SS. Patrum quam Scholasticorum, accipitur, aliudque nihil est, quam Hypostasis et substantia per se ac seorsim existens, vel substantia individua et singularis. Singularis, inquam, singularitate, non solum Logica, quæ est prædicabilitas de uno tantum, opposita communitati Universalis, et prædicabilitati de pluribus, sed etiam singularitate, ut ita dicam, Physica et reali, quæ realem et actualem dicit ab alia distinctionem et separationem. *Singulare enim,* inquit S. Thomas 1. part. q. 13, art. 8. in corp. *ex hoc ipso quod est singulare, est divisum ab omnibus aliis.* Unde SS. Patribus contra Nestorium disputantibus duas in Christo esse subsistentias, et Humanitatem a Verbo esse divisam idem sunt : ab eique subsistentia definitur, *Substantia separata* ut dicetur cap. 15. Quare Hypostasis et Subsistentia significant substantiam singularem, id est, divisam ab alia, vel non conjunctam alteri, nec in alio, ut pars in toto; et *subsistere* idem est ac in se, per se, et non in alio stare.

10. Quod autem Hypostasis et Subsistentia nomina sint, non abstracta, ut plerique putant, sed concreta, non minus quam vox *Substantia,* aut nomen *Persona* ostendetur infra capite quarto ubi nonnullas alias voces, quarum apud Auctores de hypostasi loquentes interdum usus est, exposuerimus. Id enim et faciunt, et sedulo in hac disputatione faciendum esse expresse monent Anastasius Sinaita in ὁδηγῷ cap. 1. Leontius de sectis scholæ act. 1. et Theod. Abucara Episc. Cariæ disp. 2. His verbis. *Iis qui verorum dogmatum studiosi sunt et defensores, necessaria est vocum, in quibus Philosophi versantur, explanatio et distinctio. Harum*

enim cognitionem perfectam, quia multi ex iis qui sapientes esse videbantur, ignoraverunt, a veritate aberrarunt, etc.

CAPUT III.

Exponuntur voces SUPPOSITUM, RES NATURÆ *et* HOC ALIQUID.

1. SUPPOSITUM ex Etymologia nominis, idem est ac sub alio positum. Sub alio autem poni, ut hic accipitur, dupliciter accidit, vel Physice, vel Logice. Physice, ut materia formæ, aut ut subjectum accidenti inhærenti, ut ignis calori. Logice item dupliciter aliquid alteri supponitur : vel ut inferius superiori quoad prædicationem, ut homo animali; vel ut concretum abstracto, ut homo humanitati, atque adeo ut totum quasi suæ parti formali. Itaque hypostasis seu substantia individua et perfecta, suppositum et est et appellatur, quia ita est sub aliis posita, et physice et logice, ut ei nihil aliud supponatur, neque sicut inferius superiori, neque sicut concretum abstracto, nec ut subjectum accidenti; sed stat per se, nec ulli alteri inest, aut de ullo prædicatur.

Suppositum quot modis dicatur.

Quid proprie.

2. UNDE patet quod licet homo v. g. et humanitati, ut concretum abstracto, et animali, ut inferius superiori, et risibili, ut subjectum suæ proprietati specificæ subjiciatur, quia tamen habet aliquid sibi suppositum, ut inferius superiori, nempe Petrum, Paulum, aliosque particulares homines, non est suppositum.

Cur homo communis

3. SIMILITER licet materiæ primæ nihil aliud supponatur, sed ipsa subsit formæ, ideoque nonnunquam hypostasis et suppositum, vel subjectum respectu formæ appelletur, non est tamen proprie hypostasis aut suppositum de quo nunc agimus, quia non est substantia tota et perfecta, sed tantum pars, nec proprie stat per se, sed per formam. Sola igitur substantia 1ª. per se stans est suppositum.

et materia 1ª. non sint supposita.

Cur substantiæ primæ appellentur supposita

PRÆDICTAM autem notionem Suppositi tradit Boetius lib. de duabus naturis. *Græcia*, inquit, *Essentiam* οὐσίαν, *subsistentiam* οὐσίοσιν, *Substantiam* ὑπόστασιν, *Personam* πρόσωπον *appellat. Ideo autem hypostases Græci substantias individuas vocarunt, quoniam cæteris subsunt, et quibusdam quasi accidentibus subjectæ suppositæque sunt.* Substantiæ igitur 1æ. et individuæ dicuntur supposita; quod et secundis saltem Logice, et cæteris accidentium Categoriis etiam Physice, velut basis et subjectum supponantur. Nam *Tantum hypostasis est,* inquit S. Thomas 3. p. q. 2. art. 3. in corp. *cui attribuuntur operationes et proprietates naturæ, et ea etiam, quæ ad naturæ rationem pertinent in concreto. Dicimus enim quia hic homo ratiocinatur, et est risibilis, et est animal rationale : et hac ratione hic homo dicitur esse suppositum, quia scilicet supponitur his quæ ad hominem pertinent, eorum prædicationem recipiens.* Ita S. Doctor, qui aliam rationem reddit 1. p. q. 39. art. 1. ad 3. *Quia,* inquit, *naturæ rerum creatarum individuantur per materiam, qua subjicitur naturæ speciei, inde est quod individua dicuntur subjecta vel supposita vel hypostases.* Idemque fere habet art. seq. in corpore.

Suppositum nomen est et 1æ. et 2æ. intentionis.

4. DE quo nomine *Suppositi* duo occurrunt adnotanda. Primum esse nomen et 1æ. et 2æ. intentionis. Ut nomen 1æ. intentionis aliud nihil est quam hypostasis, significatque hoc aliquid, seu substantiam in ratione entis et substantiæ, adeo, ut ita dicam, firmam et perfectam, ut non solum stet ipsa per se, nec sit in alio, ut accidens in subjecto, nec ut pars in toto, sed etiam sit habens, tenens, et veluti sustinens reliqua omnia, quæ in eo sunt, sive partes, sive accidentia, et iis, quasi basis, supponatur. Ut vero nomen est 2æ. intentionis est eadem substantia prima ut secundis, et aliis accidentium categoriis Logice supponitur, id est, ut de ea genera et species substantiæ essentialiter, aliæ vero categoriæ accidentaliter et denominative prædicantur. 1mo. modo nomen Suppositi sumit S. Thomas q. 9. de pot. art. 2. et opusc. 2. c. 211. Et alibi cum de persona et hypostasi disserit. At 2do. modo sumit, cum ait esse nomen 2dæ. intentionis 1. p. q. 29. art. 2. Secundo est notandum ex omnibus nominibus secundæ intentionis *Suppositum* unicum esse, quod soli substantiæ convenit, ut notat Armandus de Bello visu lib. de declaratione Terminorum cap. 264.

5. RES NATURÆ vocabulum est ab Hilario pene solo ex Patribus usurpatum, ut observat Didacus Ruiz. de Trinit. disp. 32.

sect. 10. A Scholasticis tamen præsertim antiquioribus usurpatur, ut a S. Thom. 1. p. q. 29. art. 2. et 3ᵉ. parte quæstion. 16. art. 12. ad 2. et Opuscul. 34. de oppositis cap. 4. Alensi 3. part. q. 7. membro 1. art. 1. et 2. Alberto magno 1. p. q. 43. memb. 2. art. 1. et 2. Magistro sententiarum dist. 34. c. 1. et aliis. Quod nomen non significat esse aliquid naturæ, et ad eam pertinere per modum vel partis, vel accidentis illi inexistentis, ut videtur insinuare Ruiz loco citato; sed idem prorsus est quod Suppositum, significatque quamlibet substantiam singularem et naturam individuam, ut contradistinguitur ab universali. *Res naturæ,* inquit Armandus de Bellovisu libro de declaratione terminorum, cap. 42 : *dicitur ab actu substandi naturæ communi.* Quod repetit cap. 46 et 47. Cum enim, ut docent Philosophi, natura quælibet duplex esse habeat, unum intentionale et rationis in anima, quod est universale et commune multis; alterum reale, et extra animam quod est singulare : sicut illud dicitur Ratio naturæ vel ratio quidditatis, aut ratio substantiæ apud Philosophum 5 Metaph. t. 2. et in Prædicamentis initio, vel essentia et natura communis, quæ ratione et definitione explicatur; ita hoc *Res naturæ* appellatur, et quia est ipsa res et natura realis a parte rei existens, et quia natura communis nonnisi in illo et per illud realiter existit, et ab eo suam habet realitatem. Nam secundæ substantiæ, non nisi in primis; et Universalia, non nisi in singularibus subsistunt.

Res naturæ idem quod suppositum.

Armandus.

Suppositum cur res naturæ.

6. Ita *rem naturæ* intellexisse Hilarium patet ex ejus verbis lib. 8. de Trinit. *Non est idem,* inquit, *Natura quod res naturæ; sicuti non idem est homo, et quod hominis est; Nec idem est ignis, et quod ignis ipsius est, et secundum hoc non idem est Deus, et quod Dei est.* Quasi diceret : Non est idem ratio naturæ et essentia communis, quod natura singularis et suppositum; nec idem est homo, id est, ratio quidditatis, et natura communis hominis, quod res hypostasis et suppositum hominis; *nec idem ignis* scilicet communis, *et quod ignis ipsius est,* id est, suppositum ignis, seu ignis singularis, ob rationem quam habet S. Thomas 1. p. q. 13. art. 8. *Quod Intellectus intelligit naturam cujuslibet speciei per abstractionem a singulari, propterea esse in uno supposito singulari, vel in pluribus est præter intellectum speciei.* Hæc ille. Deinde quia Natura divina simplex una et eadem, communis nihilominus est tribus Personis, communitate

Hilarius.

non universali, sed reali et per identitatem : Ipsæ vero personæ divinæ non sunt communes, sed propriæ, et ab invicem relationibus ac proprietatibus personalibus realiter distinctæ, propterea dixit Hilarius quod *non idem est Deus,* id est, essentia divina, *et quod Dei est,* id est, quælibet Persona et hypostasis divina.

7. Ita etiam *rem naturæ* intellexere qui hoc termino usi sunt
Alensis. Philosophi et Theologi, ut Alensis 1. parte q. 55. memb. 5. *Hypostasis*, inquit, *nihil aliud est quam res naturæ,* et S. Thomas 3. p. q. 2. art. 5. ad 2. *Filius Dei non assumpsit humanam naturam prout est in sola consideratione intellectus, quia sic non assumpsisset ipsam rem humanæ naturæ :* et q. 16. art. 12. ad 3. ait, Rem naturæ in genere substantiæ significare quiddam per se ac seorsim subsistens, eoque sensu naturam humanam in Christo non esse rem naturæ. Et loco citato 1. par. q. 29. art. 2. ubi quoniam paucis omnia fere habet, quæ nos hactenus de substantia, hypostasi, subsistentia, supposito, et re naturæ diximus, placuit
D. Thomas. ejus verba hic transcribere. *Dicendum,* inquit, *quod secundum Philosophum 5. Metaph. Substantia dicitur dupliciter; uno modo dicitur substantia et quidditas rei, quam significat definitio, secundum quod dicimus, quod definitio significat substantiam rei, quam quidem substantiam Græci* οὐσίαν, *quod nos essentiam dicere possumus. Alio modo dicitur substantia subjectum vel suppositum quod subsistit in genere substantiæ, et hoc quidem communiter accipiendo nominari potest et nomine significante intentionem, et sic dicitur suppositum. Nominatur etiam tribus nominibus significantibus rem, quæ quidem sunt Res naturæ, subsistentia et hypostasis, secundum triplicem considerationem Substantiæ sic dictæ. Secundum enim quod per se existit et non in alio, vocatur Subsistentia : Illa enim subsistere dicimus, quæ non in alio sed in se existunt. Secundum vero quod supponitur alicui naturæ communi, sic dicitur res naturæ, sicut hic homo est res naturæ humanæ : secundum vero quod supponitur accidentibus dicitur hypostasis et substantia. Quod autem hæc tria nomina significant communiter in toto genere substantiarum, hoc nomen, Persona, significat in genere rationalium substantiarum.*

8. Tandem Suppositum dicitur *Hoc aliquid :* Cujus appellationis ratio et notio propria ut intelligatur tria adnotanda sunt.

I. Nomen *Aliquid* dupliciter accipi. 1. transcendens. Nam quemadmodum *quid* seu quidditas et essentia ex Philosopho 1. top.

c. 7. vagatur per omnes categorias, ita et *aliquid. Dicimus enim aliquid,* inquit, S. Thom. q. 1. de verit. art. 1. *quasi aliud quid, unde sicut ens dicitur unum in quantum est indivisum in se, ita dicitur aliquid in quantum est ab aliis divisum.* Ut igitur et *quid et unum* sunt transcendentia : ita et *aliquid :* et sicut Unum transcendens, est ens in se indivisum, ita Aliquid transcendens, est ens vel quid aliud, seu quid divisum ab alio. 2. sumitur *aliquid,* ut non transcendens, pro sola substantia. Sicut enim *quid* simpliciter dictum proprie significat substantiam 4. Met. t. 19. eo quod Substantia fit primum ens, primaque quidditas ad quam omnium accidentium quidditates ordinantur, (Nomen enim analogum simpliciter positum sumitur pro suo primo analogato) ita *Aliquid, et hoc aliquid* pro sola substantia sumitur, ut lib. 1. de Anima, text. 6. et 78. et maxime pro prima, quæ est potissimum substantia, quam Philosophus in Prædicam. Cap. de substantia, ait significare *Hoc aliquid.* Licet enim partes substantiæ, ut notat S. Tho. 1. parte q. 75. art. 2. ad 1. *Aliquid* vel *hoc aliquid* quodammodo dici possint, quatenus scilicet non sunt in alio more Accidentis, atque adeo sunt aliquo modo per se; tamen proprie sola substantia tota et completa est et dicitur *hoc aliquid.*

Hoc aliquid est nomen transcendens

et non transcendens.

3. Phys. tex. 3.

9. — 2. Inter adjectivum *Aliquis,* et substantivum *Aliquid* hoc esse discriminis, quod neutrum genus, cum significationem habeat absolutam, importat alietatem seu diversitatem non tantum Suppositi, sed etiam essentiæ, ut notat S. Tho. 3. parte q. 17. art. 1. ad 3. et ad 7. Ideoque *Aliquid* idem est ac Aliud quid. Masculinum autem genus, cum significationem habeat magis contractam, importat solam diversitatem et alietatem suppositi vel personæ : unde *Aliquis,* idem est ac *alius quis,* etiamsi non sit diversitas in natura. Propterea in divinis Pater recte dicitur aliquis, vel alius a Filio, non tamen aliquid, vel aliud quid a Filio. Hoc enim naturæ et essentiæ, illud vero solam suppositi et personæ diversitatem importat, ex D. Tho. 1. parte q. 31. art. 2. quamvis recte dicatur, quod Pater et Filius sunt aliquid ab Angelo, aut a Sole.

Discrimen inter Aliquis et Aliquid.

10. — 3. Pronomen demonstrativum *Hoc,* nomini, *Aliquid,* præfixum, significare singularitatem et determinationem, quandam in supposito, quæ triplicem ab eo communitatem et indeterminationem excludit : scilicet communitatem et indifferentiam universalis. Nam universale communicatur et identificatur multis. Deinde communitatem et indeterminationem individui vagi, quod importat quidem

Pronomen Hoc addit determinationem.

modum essendi particularem oppositum communitati, seu modo essendi naturæ universalis, sed illum non nisi vage et indeterminate significat. Denique excludit communitatem et indeterminationem partis in toto. Pars enim quatenus pars, et non divisa a toto, est aliquo modo indeterminata ideoque non potest proprie dici *hoc aliquid* vel, aliud quid.

Hoc aliquid idem quod hypostasis.

Ex quibus patet, quod *Hoc aliquid,* idem est ac hypostasis et suppositum significatque substantiam primam et suppositum.

CAPUT IV.

De Nomine Personæ.

Nomen Persone quibus primo impositum.

1. Quemadmodum Græca vox πρόσωπον vi sua primaria faciem significat, ex Philosopho lib. 3. de Partib. ajal. c. 1. *Prosopum* inquit, id est, *facies*, *quod inter caput et collum hominis est, nomen a re ipsa accepisse videtur. Quod enim unus animalium homo erectus est, solus prospicit anteversus, vocemque anteversus mittit.* Deinde ad oris vultusque humani larvam, quæ ementita quædam facies est, postea ad eos, qui in theatris comedias aut tragœdias cum larvis agunt : inde ad quemlibet particularem totumque hominem significandum accommodata est : Ita Latina vox *Persona,* illi correspondens, prima sua impositione vultum et faciem significat : Deinde larvam, et spectrum hominis, ut Sap. 17. *Personæ tristes illis apparentes pavorem illis præstabant.* Tum Tragœdos et Comœdos, quod scilicet personati et larvati plerumque in theatrum prodirent, ut observavit Boëtius lib. de duabus naturis; *Nomen personæ,* inquit, *videtur aliunde traductum, ex his scilicet personis, quæ in comœdiis tragœdiisque, eos, quorum interest, homines repræsentabant.* Qui etiam ibidem ejus vocis etymologiam ita refert. *Persona dicta est a personando, circumflexa penultima Quod si acuatur antepenultima, apertissime a sono dicta videbitur : Idcirco autem a sono, quia concavitate ipsa major necesse est volvatur sonus.* Persona igitur a *personando* dicta est, producta secunda syllaba, sive quod major, graviorque sub larva comœdorum et tragœdorum audiretur sonus, ut vult Boetius, sive quod aliorum sonum

Boëtius.

Personæ nomen unde.

vocemque imitarentur, sive quod per os ipsum larvæ sonum vocemque transmitterent, ut vult Gellius lib. 5. cap. 7.

2. Postea vero nomen personæ a Comœdis et Tragœdis ad quemlibet hominem singularem, et quodvis individuum ac suppositum humanum significandum, traductum est; quod homo ut dictum est, solus animalium sit erecto corpore, et os sublime, ac elegantem faciei dignitatem habeat : vel quod, ut ait S. Thomas, ea sit naturæ præstantia, ut libertate polleat, et suarum actionum dominus sit. Hinc etiam factum, ut nomen *Personæ* hominibus dignitate aliqua et potestate præcellentibus peculiariter tribuatur. *Persona res juris est,* id est excellentiæ, *Substantia res naturæ,* inquit Paschasius Rom. Eccl. Diaconus lib. 2. de Spiritu Sancto Cap. 4. Unde in Ecclesiis *Personæ* dicuntur, qui dignitate et officii eminentia cæteris præstant; Et persona a quibusdam definitur, *hypostasis naturæ proprietate ad dignitatem pertinente distincta.* Denique id nominis ad nobiliores substantias, ut sunt Angelicæ, et ad hypostases Divinas extensum est, quod faciei pulchritudo, et majestas saltem metaphorice in Scripturis sanctis eis tribuatur : et quod naturæ dignitate, agendique vi ac libertate cæteris omnibus præstent. Paschasius.

3. Persona igitur aliud nihil est, quam *hypostasis rationalis,* seu *substantia singularis et intellectiva;* differuntque hypostasis et persona, ut magis et minus commune. Omnis enim persona hypostasis est, non contra, omnis hypostasis est persona; cùm illa dicatur de omnibus substantiis singularibus per se subsistentibus; hæc de solis intellectivis et rationalibus. Quo differunt persona et hypostasis.

4. Cæterum de vocabulis hactenus expositis tria adhuc supersunt hic adnotanda. 1. Verissimum esse quod notavit Gabriel Vasquez 3. part. disp. 16. c. 3. et disp. 32. cap. 2. num. 11. Sanctos Patres hypostasis, subsistentiæ, suppositi, et personæ nominibus nullo discrimine usos esse, eosque pro concretis semper habuisse. Nam Suarez, qui tomo 1. suæ Metaphys. disp. 34. sect. 6. ait subsistentiam a Conciliis interdum sumi in vi abstracti, nullum Concilium refert, nullumque ex Patribus citat. Falsum autem quod subjungit Vasquez, Scholasticos Doctores a modo loquendi Patrum recedentes, hypostasis et subsistentiæ voces pro abstractis usurpasse. Nam etsi ita eas accipiant quidam Theologi posteriores, tamen Hugo et Richardus Victorini, et Alensis, Altisiodorensis, Magister sententiarum, Albertus Magnus, S. Bonaventura, Richar- Hypostasis et subsistentia sunt nomina concreta.

dus, Durandus, Scotus et alii meliores et antiquiores Theologi, illas eodem modo et sensu, quo SS. Patres semper usurpant. Neque usquam in S. Thoma, qui sexcentis fere locis de persona, hypostasi, et subsistentia ex professo disputavit, reperias, eum inter subsistens et subsistentiam seu suppositum et hypostasim, vel inter personam et personalitatem aliud discrimen posuisse, quàm hominis ab humanitate, Petri a Petreitate, hoc est abstracti Metaphysici a suo concreto, et hoc adhuc rarissime. *Subsistentia* enim inquit, 3. p. q. 2. art. 3. in corp. *idem est quod res subsistens, quod est proprium hypostasis, juxta Boëtium lib. de duabus naturis* et Quodlib. 9. 4. 2. art. 2. *Nomen hypostasis significat individuam substantiam, et nomen Persona substantiam individuam rationalis naturæ, et similiter nomen suppositum, vel res naturæ, et unumquodque eorum significat aliquid ut subsistens.* Itaque hypostasim et subsistentiam, licet Recentiores plerique pro abstractis, iisque physicis solum habeant, eorumque formale significatum a supposito et subsistente, ut partem a toto, formam a subjecto, modum et terminum a natura, quam afficit a parte rei distinguant; nos tamen SS. Patrum et superiorum Theologorum more, in tota hac disputatione indiscriminatim pro concretis habebimus; adeo ut *hypostasis et subsistentia* nobis nomina sint non minus concreta, quam vox, *substantia.*

Vasquez.

6. In quo sequimur regulam optimam, quam tradit Vasquez 1. p. disp. 125. num 12. his verbis. *In nostræ* (inquit) *fidei mysteriis is modus loquendi omnino tenendus est, quo Patres et Concilia utuntur, contra vero rejiciendus ab omnibus est modus, qui Patrum et Conciliorum phrasi adversatur.* Ex qua eos, qui subsistentiam absolutam in Deo ponunt, merito reprehendit, quod SS. Patres de mysteriis Trinitatis, vel Incarnationis loquentes hypostasim et personam pro eodem usurpent, nec nisi tres in Deo agnoscant. Nunc autem cum in usu nominum hypostasis, et subsistentiæ una cum aliis Modistis, a sua ipsius regula discedat, in suam incidit reprehensionem, et in quo alios judicat, seipsum condemnat. Et certe si ὑπόσατσις Græcis concretum nomen est, ut omnes fatentur, quidni etiam latinitate donatum Latinis? Cur non et subsistentia? cum omnes Græcorum Patrum et Auctorum latini interpretes, ὑπόστασιν communiter non nisi subsistentiam et personam latine reddant. Denique ratio, propter quam a modo loquendi Conciliorum, Patrum, et antiquorum Scholasticorum nonnulli dis-

Hypostasis subsistentia Persona sunt concreta nomina.

cedunt, nulla est, cum nullus sit subsistentiæ modus a natura modaliter diversus, ut pluribus postea ostendemus.

7. Quare hypostasis et subsistentia nobis erunt nomina concreta, ut SS. Patribus, et antiquis Scholasticis, apud quos subsistentia [quod, ut dixi, rarissimum est] non nisi pro abstracto metaphysico usurpatur : quemadmodum *Personalitas et Suppositalitas*, quibus S. Thomas 1. parte q. 39. art. 3. ad 4. et alii tam antiqui quam recentiores Theologi interdum utuntur, ut abstractis abstractione, non physica per modum formæ a materia, aut accidentis a subjecto, aut modi realis ab eo quod modificat, sed Metaphysicâ, vel ut loquuntur Logici, abstractione ultima; non secus ac entitas, unitas, perseitas, Deitas, humanitas, Petreitas et similia. Quæ abstracta idem quidem, et eandem realem entitatem significant, quam concreta ens, unum Deus, homo et alia : at modo diverso. Quod enim concreta per modum Totius, hoc ejusmodi abstracta, per modum partis ac formæ simplicis, ipsum concretum, ut totum quoddam Metaphysicum constituentis, significant. Itaque res significata eadem est, at modus significandi diversus. Scite autem et intelligenter Contarenus in Compendio primæ Philosophiæ lib. 1. sub finem, eum, qui legitime philosophari voluerit, admonet, ne Concretum et Abstractum, Individuum et Naturam, quæ mens cogitatione secernit, re distincta esse existimet. Hanc unam ex decipulis esse, quibus longe a veritate perspicienda distrahimur. Hinc de Ideis sententiam Platonis ortum duxisse. Quæ admonitio quam vera et utilis sit, non in prima tantum, sed etiam in Secunda et Naturali, nec non in Supernaturali Philosophia, seu Theologia, hic liber aperiet. Interim quomodo tria hæc nomina *Essentia, Subsistentia, et Substantia* aliquando usurpentur ut concreta, ut quod, ut significantia aliquid per modum totius; aliquando ut abstracta ut quo, ut significantia, aliquid per modum partis docet Armandus de Bellovisu.

Contarenus.

Fallacia diligenter cavenda.

Lib. de Declar. Term. cap. 43, 44 et 47.

8. Notandum 2. Quod licet ab Auctoribus usus obtinuerit, ut dicatur hypostasis hominis, suppositum Petri, subsistentia equi, Persona regis, Patris, Filii, et similes locutiones in ore sint omnium, in rigore tamen minus congruæ videntur, sive Grammatice, juxta regulas Despauterii.

Apponens conjunge pari casu duo fixa,
Esto res eadem, declaratumque præito. Et
Si duo continue jungantur fixa, nec una, Sit res, etc.

Sive Philosophice : quia talis loquendi formula indicat hypostasim aut personam esse vel partem, vel proprietatem, vel aliquid ejus, quod significatur nomine genitivo apposito : hypostasis autem et persona nullius sunt, neque sunt id quo, nec in aliquo, nec habentur ab ullo : sed sunt id ipsum quod est, et quod habet quidquid est in quolibet. Quemadmodum igitur non recte dicitur, homo patris, homo regis, vel cujus est persona? sed homo rex, homo pater, aut quæ est persona? ita melius diceretur hypostasis Petrus, quam Petri, et persona pater, quam patris; Nam, ut idem Auctor admonet in suo Commentario, licet juxta prædictas regulas rectius diceretur Virtus Deus, Sapientia Deus quod hæc sint Deus ipse, vulgo tamen dicitur virtus Dei, sapientia Dei, eo quod hac loquendi formula recte utamur, cum de Angelis, aut hominibus loquimur, in quibus ejusmodi perfectiones sapientiæ et virtutis non sunt idem quod ipsi, sed quædam eorum formæ et accidentia. Verum quoniam, ut dicatur hypostasis aut persona Dei, Angeli, aut hominis, obtinuit usus, sive propter fœmininum genus illorum nominum, sive quod per modum formæ enuncientur, licet revera non sint : formæ enim sive Metaphysicæ, sive Physicæ concipiuntur, ut alicujus, et ut partes alicujus totius; et præterea quia sentiendum ut pauci, et loquendum ut multi, communem sequemur loquendi modum.

Despauterius.

9. Notandum 3. Illa eadem nomina *hypostatis, suppositi, et personæ* dupliciter accipi. 1. stricte et proprie, prout præcise aliud nihil significant, quam substantiam per se subsistentem, secundum eam rationem, quæ est in genere substantiæ, et excludit accidentia ei inhærentia. 2. latius et minus proprie, ut comprehendunt, non tantum ipsam rem naturæ substantialis, sed etiam realitatem accidentium, quæ ei insunt, atque adeo est aggregatum ex substantia et accidentibus singularibus : Quo 2. modo hypostasim et personam sumunt Damascenus lib. 3. de fide orthodoxa cap. 6. Epiphanius Diaconus in 7. Synodo generali Actione 6. aliique SS. Patres, cum eam definiunt, Naturam cum proprietatibus et notis characterici : sumit Theorianus in legatione ad Armenos, cum ait hypostasim *esse substantiam per se existentem in qua congeries accidentium insit* : sumit S. Thom. q. de unione Verbi art. 1. in corpore et art. 3. ad 14. et in 3. Sentent. dist. 5. q. 1. art. 3. cum ait, quod ratio personæ est, ut sit subsistens distinctum, et omnia comprehendens, quæ in re sunt, aut cum ait, suppositum in Angelis re distingui a natura.

Prædicta nomina sumuntur stricte et late.

Nos autem in hoc tractatu prædictas voces primo modo usurpabimus, et de Hypostasi et Persona stricte sumptis disputabimus.

CAPUT V.

An sint HYPOSTASES *et* PERSONÆ.

1. DARI a parte rei Hypostases, ac Personas esse ei, qui vim illarum vocum intelligit, tam certum et evidens est, quam certum est et perspicuum dari, substantias particulares, et substantias primas per se existentes. *Individua* enim *substantiæ* (Inquit S. Thomas 1. p. q. 29. art. 1. in corp.) *habent aliquod speciale nomen præ aliis. Dicuntur enim hypostases, vel primæ substantiæ.* Deinde certum est fide divina in Deo esse tres personas et tres hypostases. Itaque Guillelmus Ocham lib. 1. sent. dict. 23. quæst. unica, cum ait suppositum et personam non habere quid rei, sed tantum quid nominis, non negat suppositum esse formaliter ens reale. Postea enim diserte asserit nomen suppositi esse primæ intentionis, et non verificari nisi de rebus prout sunt a parte rei : Et suppositum definit, ens completum : refellitque etiam eorum opinionem, qui dicunt suppositum, ultra naturam et entitatem positivam, non dicere nisi negationem communicabilitatis per modum sive universalis, sive partis. Sed vult solum quid nominis suppositi prius exponendum esse, quam quid rei : vel suppositum non esse rem et essentiam aliquam a natura et substantia a parte rei distinctam. Ocham.

2. ET QUONIAM, ut adnotavit Toletus, cum de re aliqua in scientiis, *An sit*, quæritur, non is ejus quæstionis sensus est, an actu existat, necne, aut quod plerumque rerum existentia sensu et experientia adeo nota est, ut quæri non debeat (est enim quæstio scientifica, rei latentis et incognitæ investigatio); nec ullo signo aut argumento evidentiori probari possit : aut quod existentia actualis nulli rei, nisi Deo, necessario insit; scientia autem est de necessariis : aut quod existentia tantum sit singularium, scientia vero est de universalibus, quæ singularia omnia sive actu existant, sive non, sub se complectuntur. Propterea prædictæ quæstionis *An sit,* sensus est, An res illa, de qua agitur, sit ens reale positivum, necne, sive In cap. 2. l. 2. post. Quid quæratur quæstione an sit

actu existat, sive non. Quare quæ prima de Hypostasi et Persona occurrit difficultas est, An ea, ejusque adæquata ratio tota quanta est, sit ens reale, an rationis; et an sit positiva, an negativa, vel partim positiva, partim negativa.

S. Thomas.

3. De qua S. Thomas 1. par. q. 30. art. 4. in quo quærit An nomen (*Persona*) sit commune tribus personis Divinis, ubi præmonuit esse commune, non communitate rei, sed communitate rationis, illam nominis et rationis communitatem ut exponat, duas primum diversas sententias refert et refellit; suamque deinde aperit et confirmat his verbis. *Quidam dixerunt quod est communitas negationis, propter hoc quod in definitione personæ ponitur incommunicabile. Quidam autem dixerunt, quod est communitas intentionis, eo quod in definitione personæ ponitur individuum; sicut esse speciem est commune equo et bovi. Sed utrumque horum excluditur per hoc quod nomen Persona, non est nomen negationis; neque intentionis, sed nomen rei : Et ideo dicendum, quod etiam in rebus humanis hoc nomen Persona, est commune communitate rationis, non sicut genus et species, sed sicut individuum vagum, ut aliquis homo, quod significat naturam communem cum determinato modo essendi, qui competit singularibus, ut scilicet sit quid per se subsistens distinctum ab aliis.* Ex quo infert quod nomen *personæ* commune est secundum rationem tribus Personis divinis, quia hoc illis commune est secundum rationem, quod unaquæque earum subsistat in natura divina distincta ab aliis.

Persona quomodo nomen commune.

4. Verum cum, ut ait, in definitione tam Personæ, quam Subsistentiæ ponantur voces *individui et incommunicabilis,* quarum significatum formale, ut videtur, importat negationem; cum earum rationes, per non esse partem, non esse in alio, non esse unitum alteri digniori, et similibus negationibus vulgo declarent; cum sublatis his negationibus pereat, quæ erat, persona et subsistentia, et iis positis ponatur, quomodo adæquata ratio Personæ et Subsistentiæ sit quid reale et positivum, nullamque in suo conceptu formali involvat negationem, non ita facile est expedire.

5. Quam difficultatem non effugiunt, nec dissolvunt, qui Subsistentiam a parte rei realiter, sive modaliter a Natura distinguunt. Cum enim in definitione tam suppositi et personæ, quam sui illius Modi apponant vocem (*incommunicabilis*) dicantque unum ex effectis formalibus illius Modi esse, naturam, quam afficit, reddere incommunicabilem alteri, adeo ut (quod omnes, uno fere aut altero

excepto, confitentur) contradictionem implicet, naturam tali Modo affectam uniti alteri naturæ, aut supposito, et hæc incommunicabilitas sit effectus negativus, quomodo negatio non sit de conceptu Personæ, aut suppositi ostendere debent.

Vera nihilominus est S. Doctoris sententia, ejusque veritas manifesta erit, ubi quid formaliter sit hypostasis et subsistentia, quid personalitas propria definiendo declaratum fuerit.

CAPUT VI.

Referuntur variæ sententiæ de Quidditate Hypostasis, *ejusque Distinctione a Natura.*

1. Natura hic idem est ac Substantia. Cum enim multis dicatur modis apud Aristotelem, et a Philosophis accipiatur modo pressius pro materia et forma, ex quibus inexistentibus, primo et per se constant res naturales, suntque in eis principium motus, et quietis : vel etiam pro ipsismet Substantiis naturalibus : modo latius pro cujuslibet rei essentia quidditate ac definitione. Nam quæ realitas, quatenus est veluti forma, qua aliquid in ordine entium constituitur, potestque existere, *Essentia* dicitur : *Quidditas, seu quod quid* quatenus satisfacit quæstioni quid res sit : *Ratio formalis et definitio,* quatenus rationem nostram de ea cogitantem sistit ac terminat, et quam res habet entitatis portionem sui generis ac differentiæ propriæ limitibus definit; eadem *Natura* appellatur, ut est in quoque primum, et alicujus actionis principium vel finis : quo modo amplissimo natura de Substantia et Accidente dicitur. In hac tamen materia *Naturæ* nomen SS. Patres, DD. Scholastici, et Philosophi omnes accipiunt pro sola Substantia; tum quod hæc sola sit hypostasis et suppositum; tum quod ut substantiæ vel solius, vel primo et proprie est definitio, quidditas, et essentia; sic et Natura.

5. Met. tex. 5. Naturæ nomine quid hic significetur.

7. Met. tex. 16 et 19.

2. Quæstionem autem hanc, de quidditate Hypostasis, ejusque a natura distinctione, difficillimam esse, quamvis non admonuisset Cajetanus 3. parte q. 4. art. 2; tamen vel ex ipsa de ea sententiarum multitudine ac varietate, diversisque in qualibet Auctorum

opinandi et loquendi modis satis intelligitur. Quos omnes hic communi disputandi more referre ad bene seligendum, recteque de rei propositæ veritate statuendum plurimum conferet. Præterquam quod nos, ut in aliis rebus controversis ac quæstionibus, sic in hac, quid alii sentiant et dicant non ignorare, scientiæ nostræ pars est non minima.

1ª. Sententia vult re et ratione idem esse

3. Prima ergo sententia est, Naturam et hypostasim seu Personam re et ratione idem prorsus esse. Quæ fuit olim plurimorum hæreticorum. Inde enim, ut notat Leontius de Sectis Scholæ art. 1. et 5. Ariani inferebant in Sanctissima Trinitate, in qua sunt tres Personæ re distinctæ, tres etiam esse naturas distinctas. Sabelliani contra, quia in Deo una est simplex natura, unam etiam tantum dicebant esse personam variis nominibus, modo Patris, modo Filii, modo Spiritus Sancti in Scripturis appellatam. Nestoriani similiter, quod in Christo duæ essent Naturæ, Divina et Humana, duas etiam esse in eo Personas asserebant. Eutychiani contra, quod in Christo una tantum esset Persona, unam etiam volebant esse Naturam ex divinæ et humanæ confusione constatam.

est hæretica

4. Hæc sententia hæretica est, et ab Ecclesia Catholica sanctisque Patribus merito damnata, cum Trinitatis et Incarnationis mysteria, fidei et salutis nostræ fundamenta prorsus evertat. Damnata autem est a Conciliis et Patribus, non qua parte dicit hypostasim re idem esse cum natura, cum certum sit fide divina, hypostases et personas divinas re idem esse cum natura divina; sed solum qua parte dicit ratione et plane idem esse cum natura; ut notat Leontius supra, et S. Thomas q. de unione Verbi, art. 1. ad 4. In iis enim tantum quæ re et ratione idem sunt, multiplicato uno multiplicatur et alterum 1. part. q. 4. art. 1. ad 1. *Nec omnia iis insunt, quæ quolibet modo eadem sunt, sed solum quibus esse idem est, hoc est, ratio quod quid erat dicens, idem est, sicut tunica et indumentum,* ex Philosopho 3. phys. t. 21. et S. Thoma 1. part. q. 28. art. 3. ad 1. Igitur ex eo solum natæ prædictæ omnes hereses, quod naturam et hypostasim hæretici illi re et ratione idem esse arbitrarentur. *Respondebant hæretici,* inquit Leontius supra, *plane idem esse naturam et hypostasim. Vicissim Ecclesiam dicere : Si natura et hypostasis idem sunt, etiam in Sancta Trinitate naturas tres esse dicendas, cum in confesso sit eam tres hypostases habere.*

et quomodo.

S. Thomas.

Leontius.

2ª. Sententia re et ratione distinguit.

Secunda sententia priori extreme opposita, vult Subsistentiam re et ratione a Natura distingui, eamque esse actum, formam,

vel modum quendam substantialem, naturam individuam et singularem afficientem, quam formam et actum varii varie designant.

Aliis esse formam solidam.

Quidam enim putant esse formam æque solidam et a natura separabilem ac quælibet forma a materia, vel accidens a subjecto. Ita Albertinus tomo 2. Corollariorum disp. 3. de supposito q. 7, num. 14. Petrus Hurtado de Mendosa in sua Metaphysica disp. 2. sect. 9. num. 50. et disp. 11. sect. 9. § 123. et 126. ubi defendit divina virtute, et naturam sine omni supposito et subsistentia, et hanc subsistentiæ formam solam et sine natura existere posse.

Opinio Capreoli.

5. Alii vero volunt subsistentiam aliud nihil esse, quam existentiam ab ipsa natura re distinctam. Ita Capreolus in 3. Dist. quinta q. 3. art. 3. ad 1. contra 2. conclusionem, ubi postquam præmisit quatuor modis intelligi posse personam humanam addere aliquid positivum supra naturam individuatam : Primo ut quod addit, sit pars naturæ et intrinsecum ejus principium constitutivum formale, vel materiale : secundo ut sit accidens, vel absolutum vel relativum naturam consequens per se et necessario : tertio accidens eam consequens per accidens : quarto ut sit actus naturæ per modum quo esse existentiæ actualis dicitur actus essentiæ ut quo, et suppositi, ut quod existit; hoc tantum ultimo modo vult suppositum addere aliquid positivum naturæ individuatæ, et hoc positivum paulo post asserit esse actualem existentiam. Ex quo infert naturam humanam in Christo carentem subsistentia propria, carere etiam proprio esse existentiæ actualis.

Esse existentiam re distinctam.

6. Verum etsi hæc habeat Capreolus, varie tamen loquitur, videturque sensisse potius subsistentiam aliud nihil esse, quam naturam ipsam, ut connotat existentiam. Nam solutione ad 4. ait, quod suppositum neque est natura, nec compositum ex natura et esse, sed aliquid medium, nempe individuum naturæ stans sub tali esse. Unde a Cajetano supra adnumeratur iis, qui non distinguunt a parte rei suppositum a natura. Est tamen hæc opinio non paucorum Thomistarum recentiorum, qui existimant humanitatem Christi carere subsistentia propria, quia caret propria existentia, existitque divina, et in hoc consistere rationem mysterii Incarnationis, hancque putant esse veram et germanam S. Thomæ doctrinam.

Ostenditur non esse S. Thoma.

7. At nec ex rei veritate, neque ex doctrina S. Thomæ, Incarnationis mysterium in eo consistere pluribus postea demon-

strabitur; et Sancto Doctori nunquam in mentem venisse Subsistentiam esse naturæ existentiam, vel ex his paucis certissime et evidentissime cognosci potest.

Primo, quod existentiam in creaturis omnibus re distinguat ab essentia (id enim vel negare, vel in dubium revocare hominis est, aut impudentis, aut in ejus doctrina peregrini). idem autem hypostasim, saltem in Angelis, ratione tantum distinguit a natura; ut patet ex 1. parte q. 3. art. 3. et q. 9. de pot. art. 1. *Hypostasis,* inquit, *et Substantia differunt ratione, sed sunt idem re.* Quod a nobis pluribus aliis testimoniis demonstrabitur capite sequenti.

Secundo, quia unam tantum in Deo ponit existentiam, sicut una in eo est essentia q. 6. de potentia art. 6. et q. 9. art. 5. ad 19. et alibi, cum tamen ex fide tres in Deo sint hypostases et personæ.

Tertio, cum loco citato primæ partis art. 3. quærat, an in Deo natura et suppositum idem sint, et articulo sequenti, an natura et existentia in Deo sint idem, et art. 7. ejusdem quæstionis varias compositionum species enumerans, eam, quæ est ex natura et supposito, diserte distinguat ab ea, quæ est ex essentia et esse, vel ex hoc sole clarius est existentiam et subsistentiam de mente Sancti Thomæ non esse idem. Inepte enim idem bis duobus consequenter articulis tractaret.

Accedit quarto, quod modi loquendi S. Thomæ, quibus adductus est Capreolus, ut crederet suam sententiam illius esse, id nullomodo concludunt. Quæ enim est hæc consequentia? Suppositi est habere esse : aut subsistentis est esse per se, igitur existentia rei est ejus subsistentia. Pari argumentatione concluderet calorem ignis, pedes et manus hominis esse subsistentiam : Hominis enim est habere duos pedes et manus, et ignis habere calorem, igitur, etc. Ad ejus autem discursum initio factum respondebitur infra cap. 17.

Aliis esse aut formam anteccdentem ipsam naturæ existentiam.

8. Itaque alii Thomistæ, ut Cajetanus loco supra citato 3. p. q. 4. art. 2. existimant subsistentiam non esse existentiam naturæ, sed formam aut modum quendam naturæ præcedentem ejus existentiam, et eandem naturam ad suam existentiam, aliasque ejus proprietates et accidentia recipienda disponentem : conaturque ostendere eam esse S. Thomæ mentem duobus argumentis non melioribus Capreoli discursu, ut videbitur Cap. 8.

Cum Cajetano sentiunt Ferrariensis 4. contra Gentes c. 43. Médina 3. p. q. 2. art. 2. Bannez. 1. parte q. 3. art. 3. Cabrera in 3. partem q. 4. art. 2. disput. 3. § 5. et nonnuli alii.

9. Alii vero volunt subsistentiam et hypostasim esse modum realem a natura singulari a parte rei diversum, ejus existentiam consequentem, utramque afficientem, et formaliter terminantem, ac complentem substantialiter, reddentemque alteri incommunicabilem, quem modum appellant naturæ terminum et complementum, formam hypostaticam, modum suppositalitatis, perseitatis, vel existendi per se. Ita sentiunt Thomas Argentina in 3. dist. 6. q. 1. art. 1. Lychetus ibidem dist. 1. q. 1. Gregorius de Valentia in 3. partem D. Thomæ q. 4. disp. 1. puncto 2. Franciscus Suarez. ibidem, q. 2. in com. art. 2. disp. 8. sect. 3. et 4. et disp. 14. sect. 1. et disp. 34. suæ Metaph. sect. 1. et 2. Gabriel Vasquez in 3. partem disp. 31. c. 6. num. 31. Josephus Ragusa ibidem disp. 57. § 2. Joannes Præpositus in 3. partem q. 4. dub. 3. num. 52. Arrubal in 1. partem q. 31. art. 4. disp. 106. c. 2. Raphael Ripa in 1. part. q. 3. art. 3. Cumel in 1. part. q. 3. art. 3. q. unica. Didacus Ruiz de Trinitate disp. 34. sect. 7. num. 1. 2. et seq. et sect. 8. num. 18. Philippus Gammacheus parte 3. suæ summæ Theologicæ q. 3. cap. 6. de Raconis in sua Metaphys. sect. q. 3. art. 4. memb. 2. Granadus in 1. part. tract. de Trinitate disp. 3. Silvius in 3. p. q. 4. art. 1. et plerique alii Recentiores.

Aliis est modus consequens existentiam.

Potissimum autem hujus sententiæ fundamentum est, quod ejus fautores existiment mysterium Incarnationis, in quo humanitas Christi sua propria hypostasi creata destituta est, sine aliqua hujusmodi entitate, forma aut modo reali, vel absolute defendi, vel saltem non ita commode explicari posse : Cajetanus enim in art. 2. q. 2. 3. partis ad 1. dubium ait, non esse intelligibile quomodo natura Angelica sit assumptibilis absque sua personalitate, si suppositum et natura sunt omnino idem secundum rem. Idem constanter et sæpius affirmat Suarez in 3. partem disp. 14. sect. 2. et citata disputatione 34. suæ Metaphys. sect. 2. num. 5. 10. 14 . et sect. 3. num. 10. et alibi sæpe. In quo vehementer errant, ut constabit ex dicendis postea.

10. Tertia sententia, eaque media inter duas præcedentes, est subsitentiam et personam re idem esse cum natura, et ratione tantum ab ea differre : Quod discrimen rationis non est

3ª. Sententia re idem esse et ratione solum distingui.

per exclusionem ipsius naturæ particularis, cum tota ejus ratio, in ratione subsistentiæ et realiter et formaliter includatur, sed per additionem alicujus ad naturam ratione tantum ab ea distincti. Quæ sententia longe videtur probabilior superiore, magisque conformis Scripturæ, et Conciliis, ac mysteria Trinitatis, et Incarnationis longe clarius faciliusque explicat et defendit. Eademque certissime est omnium SS. Patrum, qui supradictos hæreticos refellentes de hypostasi et persona clarius et distinctius locuti sunt, ut constabit infra Cap. 21. 22. 30. 31. 32. 33. et aliis. Est etiam Severini Boëtii cum lib. de duabus naturis pag. 3. Personam definit : *Rationalis naturæ substantiam individuam.* Quam definitionem, ab omnibus Theologis et Philosophis receptam, exponemus infra cap. 16.

Hugo Victor.

11. De Theologis vero Scholasticis hanc sententiam defendunt Hugo Victorinus tom. 3. Apologia de Verbo incarnato q. 7. et 19. ubi humanitatem Christi solius Divinitatis adventu et unione, factam esse Personam Verbi declarat similitudine lampadis, quæ noctu in templo sola ardens lumen templi dicitur, at de die, propter superveniens majus lumen Solis, amplius nec est, nec dicitur lumen templi. Richardus Victorinus lib. 4. de Trinitate c. 6. 7. 24. 25. Ubi definitionem Personæ a Boëtio traditam admittit, docetque de ratione personæ esse, ut sit substantia per se, sola et incommunicabilis. Magister sententiarum in 3. dist. 5. ubi quærens cur anima rationalis juncta corpori non sit persona, hanc solam reddit rationem, quod non sit per se, nec sola, sed unita corpori, et ideo Verbum divinum naturam humanam non personam accepisse, quod accipiendo naturam humanam, eam sibi univerit, et uniendo acceperit. Guillelmus Altisiodorensis lib. 3. sent. dist. 1. q. 8. Alexander Alensis 3. p. q. 4. memb. 6. Albertus Magnus in 3. dist. 5. art. 11. 12. et 13. ad 1.

Richard. Victorin.

Magister sent.

Alensis.

Albertus Magnus.

S. Thomas locis plurimis, ut constabit ex cap. sequenti et iis, quæ de eo referemus in hoc tractatu. D. Bonaventura in 3. dist. 5. art. 2. q. 2. ad 1. 2. et 3. Petrus de Tarantasia apud Dionysium Carthusianum in 3. dist. 6. q. 3. Henricus Gandavensis art. 28. q. 5. suæ Theologiæ, et quodl. 4. q. 4 et quodl. q. 8. Durandus in 1. dist. 34. q. 1. num. 16. 17. 18. et seq. Richardus de Mediavilla in 3. dist. 5. art. 2. q. 2. in corp. et ad 2. et dist. 6. art. 1. q. 1. in corpore, et ad 1. 2. 3. et 4. Scotus in 3. dist. 1. q. 1. num. 9. Hervæus quodl. 3. q. 6. Ægidius Romanus in 3. dist. 6.

Plusquam 40. DD. scholastici 3. Sententiæ patroni.

parte 2. dubio 3. Armandus de Bellovisu, antiquus Thomista et Magister sacri Palatii, lib. de Declaratione terminorum Theologiæ, Philosophiæ et Logicæ tract. 2. c. 47 et 291. Paludanus in 3. dist 6. q. 2. Petrus Aureolus in 3. dist. 1. q. 3. art. 4. Petrus de Aliaco in 3. dist. 1. q. 1. Guillelmus Ocham quodl. 4. q. 11. Franciscus Maironis in 3. dist. 1. q. 11. Joannes Bassolis in 3. dist. 1. art. 1. q. 1. Marsilius ibidem q. 1. art. 1. et in 1. q. 36. art. 2. ad 3. Nicolaus de Orbellis in 3. dist. 1. q. 1. Gabriel Biel ibidem q. 2. art. 3. dubio 2. Joannes Neapolitanus quodl. 9. apud Cajet. supra. Guillelmus Worillong in 3. dist. 1. q. 1. art. 1. et 3. Guillelmus Rubeonis in 1. dist. 23. q. 2. et in 3. dist. 1. q. 2. Antonius Andreas ibidem q. 1. Stephanus Brulifer ibidem q. 1. et 3. Dionysius Cisterciensis ibidem q. 1. art. 2. particula 3. Corollario 2. et art. 3. dub. 4. Corollario 1. 2. et 3. Almainus in 3. dist. 1. q. 1. Joannes Major ibidem q. 2. Mathurinus Le Bret seu parvus Scotus ibid. q. 1. Petrus de Aquila Scotellus ibidem q. 1. Michael de Palatios ibidem dist. 3. disp. 4. Nicolaus Denyse in lib. Sent. tract. 4. q. 1. Bartholomæus Torres in q. 28. 1. partis S. Thomæ. disp. 3. parte 2. Conclus. 2. argum. 2. ubi suppositum in Angelis ratione tantum distinguit a natura. Idemque sensit Ferrariensis 4. contra Gentes cap. 55. et apud Suarem tom. 1. suæ Metaphysicæ disp. 34. sect. 3. num. 9. Faber Stapulensis commentario in libros de Trinitate Richardi Victorini supra. Clicthoveus in c. 9. lib. 3 de fide orthodoxa Sancti Damasceni. Martinus Meurissius lib. 3. suæ Metaph. q. 4. Molina in 1. partem q. 29. art. 1. disp. 2. in fine. Salmeron in hæc verba Pauli ad Hæbræos 7. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Philippus Faber Faventinus in 3. sent. disp. 2. cap. 3. Mitto Peripateticos, et Philosophos præsertim antiquiores, quod eos omnes ultro nobis concedant Adversarii. Quod tamen Philosophorum Princeps hoc ipsum senserit ostendetur infra cap. 9. Itaque prædicti omnes Auctores, vel quæstionem ipsam ex professo tractantes, diserte negant subsistentiam, aut personam propriam a parte rei a natura esse diversam, vel mysterium Incarnationis explicantes et quærentes, cur humanitas Christi non sit persona humana, hanc unam reddunt causam, quod non sit sola per se, et separata a Verbo, nullamque prorsus mentionem faciunt ullius formæ, modi, aut realitatis quantumvis exiguæ, ab ea exclusæ, et in aliis hominibus existentis. Philosophi.

12. Et certe hujus sententiæ defensores, ut antiquitate et auctoritate, sic numero superiores esse fautoribus 2æ sententiæ vel horum confessione manifeste patet. Ex octo enim de hac difficultate sententiis diversis, quas refert Cajetanus in art. 2. q. 4. 3. partis; et post eum Medina ibidem, post utrumque Gregorius de Valentia disp. 1. q. 4. puncto 1; Sex in eo conveniunt, ut negent subsistentiam re distingui a natura. Mitto Medinam, Bannem, Lychetum supra, Joannem Præpositum in 3. partem S. Thomæ q. 4. dubio 2. et alios, qui subsistentiam a parte rei distingui a natura ita defendunt, ut contrariam opinionem dicant esse probabilem, affirmentque sola distinctione rationis inter naturam et suppositum admissa, veritatem fidei de mysterio Incarnationis optime, evidenter et sufficienter salvari posse. Quibus multo magis credendum est, quam Cajetano, Suari, et aliis contrarium asserentibus.

In quo dissentiunt auctores 3æ. Sententiæ.

13. In eo tamen dissentiunt Auctores pro hac 3. sententia citati, quod id ratione distinctum, quod suppositum addit naturæ et in sua ratione includit, alii putant esse negativum, negationem scilicet unionis et conjunctionis cum alio supposito, quam uno verbo incommunicabilitatem vocant, ut Scotus ejusque Discipuli, seu dependentiæ ab alio, tanquam a sustentante, seu denique partis negationem : alii vero esse quid positivum, quod explicant modo terminis concretis, ut esse per se, esse in se, esse totam et integram rei substantiam, esse naturæ terminum et complementum ultimum, esse singulare, individuum, actu distinctum et separatum ab alio, esse omnium quæ in qualibet re sunt dignissimum : modo terminis abstractis, perseitatis, singularitatis, individuationis, totalitatis, et integritatis substantialis, incommunicabilitatis, et distinctionis actualis ab alia natura, alioque supposito, et similibus.

Distinctio ex natura rei est modus loquendi non probandus.

14. Sunt insuper, qui dicant subsistentiam a natura distingui formaliter, et ex natura rei.

Verum quid hoc distinctionis genere, vel saltem his terminis velint, non satis intelligo. Primo, quia nec Aristoteles, nec S. Thomas hac unquam distinguendi ratione usi sunt, eamque Scoticam distinctionem Cajetanus appellat. Sed non esse Scoti vel Scotum eam sumpsisse tantum pro distinctione reali, recte ostendit Hurtadus de Mendoza, in sua Metaphys. disp. 6. sect. 3. ubi eam refellit, et refugit, ac etiam sect. 2. § 10.

Hurtadus de Mendoza.

2. Quia, Idem et Diversum, seu distinctum, cum sint entis proprietates, sicut ens in universum duplex tantum est, Reale, et

rationis; ita duplex tantum est in universum genus distinctionis, scilicet realis, et rationis, quia inter ens reale et ens rationis nullum datur medium, inquit Durandus in 1. dist. 33. q. 1. ubi distinctionis ex natura rei meminit, nec a reali distinguit. Durandus.

3. Quia, formaliter et ex natura rei videntur termini oppositi. Nam formaliter dicitur a forma, seu formalitate metaphysica, quæ est tantum forma rationis, nostroque modo concipiendi ratione tantum distincta ab eo cujus est forma, ut v. g. humanitas ab homine. Ideoque distingui tantum formaliter idem est, ac ratione tantum distingui. Similiter natura rei, et res naturæ videntur idem, et diversæ res naturæ, sunt diversæ realitates, seu res realiter diversæ. Igitur distingui ex natura rei, est distingui realiter.

Denique, qui prædicto distinguendi modo utuntur, loquuntur æquivoce, et nihil dicunt. Nam cum distingui formaliter, et ex natura rei idem sit, credo, apud illos quod essentia ac definitione distingui; ex iis autem, quæ definitione distinguuntur, quædam etiam re, ut homo, sol, angelus; quædam ratione tantum differunt, ut actio, passio, motus et terminus, fundamentum et relatio, figura et quantitas, et similia, utro ex his modo subsistentiam a natura distingui velint, cum dicunt formaliter et ex natura rei esse distinctas, explicare debent. Et si primum dicant, cum Auctoribus 2ᵃᵉ sententiæ : si secundum, cum Auctoribus tertiæ sentiunt.

CAPUT VII.

Refertur, et declaratur sententia D. Thomæ.

1. Quoniam Doctorem Angelicum, velut magnum suæ sententiæ præsidium, ad se quisque trahit, ut a quorum stet partibus liquido constet, referenda, et quantum in nobis est, diligenter et accurate declaranda ejus mens est de difficultate proposita. Nam quando eam ex professo tractat, hac fere semper distinctione utitur; quod in substantiis compositis et materialibus suppositum S. Thomas.

seu persona re differat a natura, in simplicibus vero et immaterialibus ratione tantum. Ita 3. Sent. dist. 5. q. 1. a. 3. *Sciendum* inquit, *quod in quibusdam differunt natura et persona secundum rem, in quibusdam vero secundum rationem tantum. Natura enim, secundum quod hic loquimur, est quidditas rei, quam significat definitio sua; persona autem est, quod subsistit in illa natura. In simplicibus autem, quæ non habent materiam, vel quæ carent materia, ut dicit Avic., ipsum simplex est sua quidditas. Quidditas vero compositi non est ipsum compositum; humanitas enim non est homo. Cujus ratio est, quia in ratione humanitatis, sive quidditatis sive naturæ, continentur tantum essentialia principia hominis, secundum quæ est homo; non autem ea, quæ pertinent ad determinationem materiæ, per quam natura individuatur : quæ tamen continentur in significatione Sortis, quia per ea Sortes est hic, et divisus ab aliis. Et ideo, quia humanitas non includit in sua significatione totum, quod est in re subsistente in natura, non prædicatur, cum sit quasi pars. Et quia non subsistit, nisi quod est compositum, et pars a suo toto habetur, ideo humanitas non subsistit, sed Sortes, et ipse est habens humanitatem. Homo autem significat utrumque, et essentialia, et individuantia : sed diversimode, quia essentialia significat determinate, individuantia vero indeterminate, vel hæc vel illa : et ideo homo cum sit totum, potest prædicari de Sorte, et dicitur habens humanitatem. Sed quia esse indistinctum et incompletum, est quasi ens in potentia; ideo homo, non subsistit, sed hic homo, cui convenit ratio personæ. Est igitur ratio personæ, quod sit subsistens distinctum, et omnia comprehendens, quæ in re sunt. Natura autem tantum essentialia comprehendit. In simplicibus autem non differt re persona, et natura, quia natura non recipitur in aliqua materia, per quam individuetur, sed est per se subsistens. Tamen in quantum consideratur essentia rei, sic dicimus ibi naturam; in quantum autem invenitur ibi aliquid subsistens, dicimus ibi personam.* Hæc ille. Eadem ferme habet locis omnibus infra citandis.

Quare humanitas et homo communis non sint supposita et persona.

Ratio personæ, ut distinguitur a natura.

2. Ad cujus doctrinæ intelligentiam, et ad concilianda nonnulla S. Doctoris dicta in speciem pugnantia, quædam diligenter adnotanda sunt.

1. Eum nomine *naturæ*, cui persona et suppositum aliquid superaddunt, sive re sive ratione distinctum, non intelligere natu-

ram individuam, vel individuatam, ut existimant Capreolus, Cajetanus, et vulgo alii Thomistæ, sed solum naturam communem præcisam a singularitate, et ut solum ea includit, quæ in ejus definitione ponuntur. Primo, quia diserte declarat locis omnibus paulo ante citatis, nomine *naturæ* se intelligere rationem speciei, et id quod definitione explicatur. Natura autem individua et singularis non definitur. 2. Quia, quod additur alicui, debet esse extra rationem illius. Nihil enim additur sibi ipsi. At individuatio, quæ unum est ex iis, quæ suppositum addit naturæ, non est extra rationem naturæ individuæ, ut individua est, sed solum extra rationem speciei et naturæ communis. 3. Ait in rebus materialibus suppositum addere naturæ principia individuantia et accidentia. Igitur in illa natura, cui fit additio principiorum individuantium, nec est, nec intelligitur esse individuatio. Itaque *natura,* in substantiis materialibus (in spiritualibus enim, quia simplices sunt et per se ac essentialiter individuantur, id locum non habet) a S. Thoma dupliciter consideratur. Primo, ut communis est, et ea solum complectitur, quæ sunt in definitione rei, ac essentia, et quidditas rei dicitur. Secundo, ut particularis est, quæ, quia ut sic non includitur in conceptu et definitione naturæ communis, propterea aliquid ei addit. Nam, ut habet q. 9. de Potent., art. 1 : *Si quicquid est in substantia particulari ad naturam communem pertineret, non posset esset distinctio inter substantias particulares ejusdem naturæ. Hoc autem quod est in substantia particulari præter naturam, est materia individualis, quæ est singularitatis principium, et per consequens accidentia individualia, quæ materiam prædictam determinant.* Unde in eadem Quæst. art. 2. ad 1. in substantia particulari tria esse consideranda ait. Primum est *natura,* quæ, ut paulo ante dictum est, ipsa est essentia communis, ut præcise ea tantum comprehendit, quæ sunt in ejus definitione, ut corpus et anima in homine. Secundum est *individuatio,* seu modus particularis essendi talis naturæ, quæ dicit eamdem naturam, non solum, ut communis est et comprehendit principia essentialia rei, sed etiam individualia, atque adeo ut est propria huic individuo, ut hic homo, hoc corpus, hæc anima numero. Tertium est *principium individuationis,* quod est id in re, a quo ejus individuatio, et ille modus essendi naturæ petitur.

Quid nomine naturæ intelligat S. Thomas.

Quid communis.

Quid particularis.

Tria consideranda in natura particulari.

3. Notandum 2. *individuationis* principium in substantiis compositis, ex doctrina S. Thomæ loco citato, et q. 10. de Potentia

Materia signata est principium individuationis.

a. 5. in corpore ac alibi sæpe, esse materiam signatam, id est, materiam cum quantitate, quæ ei inest : materiam quidem primum, intrinsecum, substantiale, et ejusdem generis cum illis; quantitatem autem adjunctum, concomitans, et alterius categoriæ. Cum autem materia individualis dicitur principium individuationis substantiæ compositæ, non ita accipiendum est, quasi forma particularis, cui conjungitur, non sit etiam principium individuationis ejusdem substantiæ. (Nam cum substantiæ materiales et compositæ essentialiter constent materia et forma, sicut de ratione hominis in communi v. g. est, quod sit ex anima, carnibus, et ossibus : ita de ratione hujus hominis est, quod sit ex hac anima, et ex his carnibus et ossibus.) Sed quod, quemadmodum substantiarum materialium natura, species et specifica differentia est a forma vel sola, vel maxime; ita earumdem individuatio est a materia individuali. Cum enim ut docet 1. parte q. 30. art. 3. et q. 47. a 2. duplex sit rerum divisio, duplexque multiplicatio, una formalis et specifica per formas oppositas, altera materialis sub eadem specie in iis quæ numero tantum differunt, quæ fit secundum divisionem continui; divisio quidem formalis et multiplicatio specifica magis est a forma, quam a materia : tum quia, reperitur in Angelis, in quibus nulla est materia; tum quia, etiam ipsæ substantiæ naturales per formas tantum specie inter se differunt; tum quia, materia per formam habet quidditatem seu speciem, cum *per se ipsam, neque sit quid, neque quantum, neque aliud quippiam eorum, quibus ens determinatur,* et eadem numero materia naturis specie diversis insit successive, ac pro formarum diversitate ad species et naturas diversas transeat; tum quia in rebus arte factis, species, non a materia, sed a sola forma pendet; statua enim Platonis v. g. specie eadem est, sive sit in cera, sive in charta, sive in ligno, nam si cera v. g. esset de ejus essentia, in ligno, aut terra esse non posset; tum quia, ut ait Aristoteles : *Dicendum est forma, et quatenus formam habet, unumquodque; materiale vero nunquam secundum se est dicendum.* At divisio et multiplicatio materialis, et numerica substantiarum materialium, a materia magis est, quam a forma. Igitur materia est principium primum individuationis, et multiplicationis numericæ sub eadem specie tam formæ, etiam animæ rationalis, licet spiritualis, quod dicat ordinem ad eam, quam totius substantiæ compositæ.

Divisio rerum duplex Formalis et Materialis.

7. Met. tex. 6.

7. Met. tex. 34.

4. At non materia sola, sed signata, et cum quantitate conjuncta.

Quia, ut ait 4. contra gentes. Cap. 65. *Habet et hoc proprium quantitas inter accidentia reliqua, quod ipsa secundum se individuatur. Quod ideo est, quia positio, quæ est ordo partium in toto, in ejus ratione includitur. Est enim quantitas positionem habens. Ubicumque autem intelligitur diversitas partium ejusdem speciei, necesse est intelligi individuationem. Nam quæ sunt unius speciei, non multiplicantur, nisi secundum individuum.* Et paulo post : *Quia sola quantitas dimensiva de sui ratione habet unde multiplicatio individuorum in eadem specie possit accidere, prima radix hujusmodi multiplicationis ex dimensione esse videtur.* Nam, quod primo et per se alicui convenit, aliis accidentaliter et non nisi per illud idem inesse et convenire potest : quantitati autem dimensivæ habere individuationem quamdam et posse multiplicari ac dividi in plura numero tantum diversa sub eadem specie primo et per se convenit; cum id contineatur in ejus definitione. Quantum enim a Philosopho 5. Met. t. 18. definitur : *Quod est divisibile in ea quæ insunt, quorum utrumque, aut singulum, unum quid, et quod quid aptum est esse.* Et 6. phys. t. 4. et 1. de Cœlo t. 2 : *Continuum est divisibile in continua, et semper divisibilia.* Hoc est, in plura ejusdem nominis, et naturæ cum ipso diviso. Et certe sola divisione, et quantitates et res quantas, sive sint substantiæ, ut ignis, terra, aqua; sive accidentia, ut calor, albedo, multiplicari numero sub eadem specie vel sensu ipso et experientia patet. Individuatio igitur a quantitate inest materiæ primæ, cujus est dispositio, et per materiam formæ substantiali, et per utramque toti substantiæ ac naturæ compositæ. Unde substantiæ spirituales et immateriales, quia natura sua sunt formæ simplices per se subsistentes, et neque materiam, neque quantitatem habent, nec natæ sunt esse in aliquo, non tantum se ipsis, sed essentialiter sunt individuæ, ut impossibile sit eas multiplicari numero sub eadem specie.

Cur quantitas sit principium individuationis.

Experientia non datur ultra ire in scientiis.

Angeli cur solo numero multiplicari nequeant.

5. Notandum 3. quod, quia a forma, ut præcedenti notatione dictum est, substantiæ materiales speciem et definitionem, extra quam est materia individualis, accipiunt; propterea naturæ et speciei nomine interdum S. Thomas solam formam intelligit, cui, cum materia individualis et principia individuantia adveniant, naturæ communi in substantiis materialibus dicit superaddi aliquid re diversum.

Naturæ nomine solam formam intelligit.

Hoc constat ex cap. 4. Opusc. 37, et ex lect. 9. in lib. 7. Metaphys. ubi exponens hæc verba Philosophi, text. 34 : *Quodammodo*

quidem materia etiam pars alicujus dicitur, quodammodo vero non, hæc habet. *Sciendum est, quod nulla materia, nec communis, nec individuata secundum se, se habet ad speciem prout sumitur pro forma; sed secundum quod species sumitur pro universali : sicut hominem dicimus esse speciem, sic materia communis per se pertinet ad speciem; non autem materia individualis, in qua natura speciei accipitur.* Idem habet Lect. 10. et clarissime Lect. 11. *Attendendum,* inquit, *est, quod ab hac sententia, quam posuerat, scilicet quod Quod quid est idem est cum unoquoque cujus est, duo hic excipit, scilicet, illa quæ dicuntur per accidens et substantias materiales, cum superius non exceperit nisi illa, quæ dicuntur per accidens.*

Nota cur suppositum re distinguat a natura in materialibus.

Oportet autem non solum ista excludi, sed etiam substantias materiales. Sicut enim supra dictum est, quod quid erat esse est id quod significat definitio, definitio autem non assignatur individuis, sed speciebus; et ideo materia individualis, quæ est individuationis principium, est præter id quod est quod quid erat esse. Impossibile est autem in rerum natura esse speciem, nisi in hoc individuo. Unde oportet, quod quælibet res naturæ (suppositum) si habeat materiam, quæ est pars speciei, quæ est pertinens ad quod quid est, quod etiam habeat materiam individualem, quæ non pertinet ad quod quid est. Unde nulla res naturæ, si materiam habeat, est ipsum quod quid est, sed habens illud; sicut Socrates non est humanitas, sed est humanitatem habens. Legantur reliqua, in quibus hæc habentur. *Homo communis est idem cum suo quod quid est, logice loquendo : nunc autem postquam jam descendit ad principia naturalia, quæ sunt materia et forma, et ostendit quomodo diversimode comparantur ad universale et particulare quod subsistit in natura, excipit hic ab eo quod supra dixerat, idem esse quod quid est cum unoquoque, substantias materiales in rerum natura existentes, etc.* Eadem habet lectione 3. in lib. 8. Metaphys. Idem ferme tradit

Alensis.

Alensis in textum 35. l. 7. Metaph. ubi tractat quæstionem; an materia sit de essentia et quidditate compositi. *Sunt enim,* inquit, *qui inter essentiam et quidditatem discrimen ponant, dicentes essentiam comprehendere omnia principia rei; quidditatem autem esse solam formam rei, eo quod materia definiatur a Philosopho : quod neque est quid, neque quantum, neque quale, etc. Deinde etiam, quod materia per formam habeat quidditatem seu speciem. Pro qua sententia est Commentator in 7. Met. commento 21. ubi ait, quod quidditas hominis est homo uno modo, et non est homo alio modo.*

Si enim homo accipiatur pro forma, idem est homo quod sua quidditas : si autem accipiatur pro composito ex materia et forma, non est idem homo quod sua quidditas. Et pro isto modo dicendi multum sonant verba Philosophi in multis locis, ubi dicit, quod in forma idem est quidditas, et cujus est quidditas, ut anima et esse, id est ratio et quidditas animæ; in compositis autem ex materia et forma non sunt idem, propter materiam. Hæc Alensis.

Suppositum in suo conceptu dicit rationem totius.

6. Notandum 4. suppositum in suo conceptu includere rationem totius, integri et perfecti. Hoc divinant fere omnes, et etiam insinuant, cum, ad explicandam rationem suppositi, adhibent voces *individui, incommunicabilis, per se, seu distincti et separati, termini, et incomplementi, non esse partem, aut in alio,* aliasque ejusmodi negationes, ut postea ostendetur. Diserte autem dicunt, et quantum opus est, præter D. Thomam, Opusculis a nobis 1. cap. citatis, et Ægidium Romanum, hoc est, optimi præceptoris bonum discipulum, in 3. dist. 6, expendunt perpauci. Etenim natura humana in Christo et principia individuantia, materiam et quantitatem, et alia plurima accidentia habet, nec tamen est hypostasis, aut persona humana. Et similiter partes in toto, ut pes, manus in corpore, sunt aliquo modo individuæ et singulares, ut habet D. Thomas Opusculis citatis, quia non sunt universales, nec tamen sunt supposita aut personæ, defectu supradictæ integritatis et totalitatis, ut pluribus suo loco declarabitur.

Suppositum sumitur stricte et late

7. Quinto revocanda in memoriam est, duplex acceptio hypostasis et suppositi, a nobis cap. 4. posita, qua sumitur vel stricte et proprie secundum illa præcise, quæ illi insunt, ut pertinet ad genus substantiæ. Estque, ut ait Philosophus in Prædicam, *substantia, quæ nec est in subjecto, nec dicitur de subjecto,* vel minus proprie et conjunctim, ut comprehendit omnia quibus supponitur. suppositum enim est totum quoddam habens non tantum naturam, et quæ illi essentialiter insunt, sed etiam existentiam, proprietates et accidentia omnia illi inhærentia.

S. Thomas suppositum ratione tantum distinguit a natura.

8. Ex his omnibus prænotatis, de quidditate suppositi, ejusque a natura distinctione, quid senserit S. Thomas facile cognosci potest, simulque intelligi cur a natura re distingui interdum dicat, et cur hoc ac quomodo in substantiis materialibus potius quam in aliis dicat. Cum enim suppositum sumat modo stricte, modo late, et stricte sumptum ex rei veritate, ac ex mente

S. Thomæ in sua ratione formali tria hæc tantum includat, naturam, individuationem et totalitatem substantiæ, ut infra Cap. 10. 11. et 12. ostendetur; individuatio autem et totalitas substantiæ a natura ratione tantum differant (nam nulla natura vel essentia ab eo cujus est natura re differt, nec ullum universale a suis inferioribus, nulla species a suis individuis); propterea simpliciter et absolute loquendo suppositum proprie sumptum de mente S. Thomæ ratione tantum a natura differt.

Quod affirmat, non solum universe, ut 1. p. q. 29. art. 2. exponens quomodo tria hæc : *subsistentia, res naturæ, et hypostasis, seu substantia* secundum diversam considerationem differant (quem locum retulimus supra cap. 3.), sed in specie, id dicit diserte de Angelis ac substantiis spiritualibus 1. p. q. 3. art. 3. et 3. p. q. 2. art. 2. ac etiam q. 9. de Potentia art. 1. his verbis. *Essentia in substantiis quidem materialibus, non est idem cum eis secundum rem, neque penitus diversum, cum se habeat ut pars formalis. In substantiis vero immaterialibus* EST OMNINO IDEM SECUNDUM REM, SED DIFFERENS RATIONE. Quod repetit eadem quæst. art. 3. ad 4. *Natura, et hypostasis in substantiis immaterialibus secundum rem sunt idem omnino.*

In Angelis.

9. Idem de substantiis materialibus affirmat Opusc. 2. cap. 211 : *In aliis a Christo hominibus unio animæ et corporis constituit hypostasim et suppositum, quod nihil est aliud præter hæc duo.* Et 3. part. q. 2. art. 5. ad 1. cum ait, quod : *In puris hominibus, unione animæ ad corpus constituitur persona, quia sic conjunguntur, ut per se existant.* Et quodlib. 2. art. 4. *Natura,* inquit, *dicitur constituere compositum etiam in compositis ex materia et forma, non quia natura sit una res, et suppositum alia res : hoc enim esset secundum opinionem dicentium, quod natura speciei sit forma tantum. Igitur constituit suppositum sicut totum : sed quia secundum modum significandi, natura significatur ut pars ratione supradicta, suppositum vero ut totum; natura significatur ut constituens, suppositum vero ut constitutum.* Idem habet q. 3. de veritate art. 2. ad 3. Huc etiam pertinent loca a nobis allata supra Cap. 1. in quibus incarnationem sola additione factam esse confirmat, et humanitati Christi nullam deesse perfectionem naturalem, cum tamen certum sit, illam non esse hypostasim et personam humanam.

Et etiam in materialibus.

Quomodo re distinguat a natura.

10. Aliunde vero suppositum late sumptum, ut est hypostasis

habens omnia quæ sunt in ea, cum in substantiis omnibus creatis, præter realitatem naturæ ac substantiæ, quædam ab ea re distincta, ut existentiam, proprietates et alia accidentia habeat; propterea alibi dicit S. Thomas suppositum re distingui a natura, etiam in Angelis; ut clarissimum est ex Quodlib. 2. q. 2. art. 4. ubi id expresse habet de illis, et universim de omnibus substantiis creatis, his verbis : *Cuicumque potest aliquid accidere, quod non sit de ratione suæ naturæ, in eo differt res et quod quid est, sive suppositum et natura. Nam in significatione naturæ includitur solum id quod est de ratione speciei; suppositum autem non solum habet hæc, quæ ad rationem speciei pertinent, sed etiam alia, quæ ei accidunt* (inter quæ alia existentiam numerat Opusc. 37. de Oppositis Cap. 4. ubi idem dicit); *ideoque in solo Deo idem omnino est suppositum et natura, quia in eo nullum reperitur accidens præter ejus essentiam.*

11. Attamen suppositum re distingui a natura affirmat sæpius de personis et suppositis materialibus, quam de spiritualibus, propter rationem, quam diserte ponit Opusculo citato his verbis : *In rebus materialibus differt individuum, sive res naturæ, ab ipsa natura, non solum per accidentia, quæ contingunt ipsum individuum, cujusmodi est quantitas et hujusmodi, sed per aliquid, quod sui generis est : et sicut in eis a materia sumitur genus, et a forma differentia; ita in eis aliunde sumitur ratio speciei, a forma scilicet, aliunde vero ratio individui, quia a materia. Forma enim facit speciem et ideo dicitur differentia constituere speciem et materia individuum. Manifestum ergo, quod per aliquid sui generis differt individuum in rebus materialibus a specie, et non solum per accidentia. In rebus vero simplicibus individuum solum per accidentia differt a specie, et non per aliquid sui generis; et ideo in eis tot sunt species, quot individua.* Hæc ille. Idem insinuat 3. parte q. 6. art. 1. ad 2. Cum igitur suppositum ex sua ratione intrinseca dicat naturam et individuationem, hæc autem in Angelo a nullo pendeat ab ejus natura re distincto : in rebus vero materialibus, ex S. Thomæ doctrina (sive vera, sive falsa, nihil refert; agitur enim solum de ejus sententia,) petatur a materia et a quantitate, quarum illa a specie et natura communi, hoc est, a forma; hæc etiam a tota natura singulari re differt; propterea suppositum in his a natura distingui sæpius affirmat, in illis negat.

Cur potius re distinguat in materialibus.

12. Quam eamdem doctrinam habet 1. parte quest. 3. art. 3 : *Materia individualis cum accidentibus omnibus individuantibus ipsam, non cadit in definitione speciei. Non enim cadunt in definitione hominis hæ carnes et hæc ossa, aut albedo, vel nigredo, vel aliquid hujusmodi : unde hæ carnes et hæc ossa, et accidentia designantia hanc materiam non concluduntur in humanitate; et tamen in eo quod est homo, includuntur. Unde id, quod est homo, habet in se aliquid quod non habet humanitas; et propter hoc, non est totaliter idem homo et humanitas. Sed humanitas significatur, ut pars formalis hominis; quia principia definientia habent se formaliter respectu materiæ individuantis. In his igitur, quæ non sunt composita ex materia et forma, in quibus individuatio non est per materiam individualem, id est, per hanc materiam, sed ipsæ formæ per se individuantur, oportet quod ipsæ formæ sint supposita subsistentia : unde in eis non differt suppositum et natura.* Hunc locum agnoscit Suarez adeo clarum et expressum esse, ut vix possit ullam interpretationem admittere : fateturque ingenue S. Thomam sensisse suppositum in Angelis ratione tantum differre a natura.

In Met. disp. 34. sect. 3. n. 1. et 7.

13. Denique ut, quam certa et constans ei fuerit hæc doctrina, omnes intelligant, eamdem iisdemque ferme verbis tradit 3. p. q. 2. art. 2. in corpore. *Dicendum,* inquit, *quod persona aliud significat, quam natura. Natura enim, ut dictum est, significat essentiam speciei, quam significat definitio. Et si quidem his, quæ ad rationem speciei, pertinent, nihil aliud adjunctum inveniri posset, nulla necessitas esset distinguendi naturam a supposito naturæ, quod est individuum subsistens in natura illa : quia unumquodque individuum subsistens in natura aliqua esset omnino idem cum sua natura. Contingit autem in quibusdam rebus subsistentibus inveniri aliquid, quod non pertinet ad rationem speciei, scilicet accidentia et principia individuantia (sicut maxime apparet in his, quæ sunt ex materia et forma composita), et ideo in talibus etiam secundum rem differt natura, et suppositum; non quasi omnino aliqua separata; sed quia in supposito includitur ipsa natura speciei, et superadduntur quædam alia, quæ sunt præter rationem speciei : unde suppositum significatur, ut totum habens naturam, sicut partem formalem et perfectivam sui.* Hæc S. Doctor.

Ubi modus subsistentiæ?

14. Mitto 1. Quod loquendi modus, quo sæpe utitur, dicens *personam significare* aliud, quam natura significet, solam rationis

Idem quinque argumentis probatur.

distinctionem insinuet. 2. Quod humanitatem Christi, non nisi adjectione et unione Verbi divini, hypostasi propria viduatam esse, ubique doceat. 3. Quod formæ, aut modi subsistentiæ, sive a Cajetano sive ab aliis excogitati, usquam meminerit. 4. Quod, cum suppositum stricte et proprie sumptum, ex rei veritate et ex ejus mente, naturam individuam, et totalitatem substantiæ includat, duo posteriora a primo ratione tantum distinguat. 5. Quod objectiones fere omnes, quæ contra indistinctionem realem suppositi a natura fieri possunt, non semel, sed quasdam plus quam decies variis in locis proponat et dissolvat : ut ostendetur infra cap. 17. Recte igitur ac merito S. Thomas fautoribus tertiæ sententiæ a nobis superiori capite adnumeratus est.

15. Unum tantummodo superest exponendum cur Opusculo et Quodlib. supra citatis, ab eo dictum sit, in *Deo solo* suppositum et naturam esse *omnino* idem. Respondeo id vere et recte dictum duplici de causa. Prima, quod in Deo solo nullum sit accidens, sed nec existentia ab ejus natura vel personis re distincta : ideoque suppositum late sumptum in Deo nullum est. Secunda est, quod hypostases divinæ, non solum re idem sint cum natura divina, sed etiam de ejus essentia et conceptu adæquato, ut pluribus ostendemus suo loco, et agnoscit Cajetanus 3. parte q. 2. art. 2. ad dubium 5. At in omnibus substantiis creatis et sunt accidentia ab eorum natura re distincta et nullius hypostasis est de ejus essentia : imo quælibet a natura tolli ac separari potest. Dubium. Solutio.

CAPUT VIII.

Solvuntur argumenta Cajetani S. Thomam alio trahentis.

1. Tamen, dicet aliquis, Thomistæ communiter, et plerique non Thomistæ, existimant S. Thomam in alia esse sententia, et hoc, inquit Medina : *Dom. Cajetanus docte, eleganter, et copiose* ostendit; *egregie* ait Ferrariensis 4. cont. Gent. cap. 43. Objectio.

Respondeo non omnes Thomistas, ita de S. Thomas sentire. Responsio.

Nam Armandus de Bellovisu, Hervæus, et Paludanus, antiqui et nobiles Thomistæ, locis a nobis citatis supra cap. 6. nobiscum sentiunt; et postremus eam, quam retulimus, et Philosophi et S. Thomæ sententiam esse diserte asserit. Idem Ferrariensis, 4. cont. Gent. cap. 55. saltem in Angelis. Adde quod nec omnis, nec solus ille Theologus doctrinæ S. Thomæ sectator censendus est, qui ejusdem, quo ille Ordinis Religiosi fuerit, alioqui Durandus insignis Thomista fuerit; sed omnis, qui, ut ait Eccclesia, *ea quæ docuit, intellectu conspicit, et quæ egit imitatione complet.* Quid autem de supposito docuerit ex præcedenti capite constat, et ex dicendis clarius adhuc cognoscetur.

In oratione festi S. Thomæ.

2. Quod attinet ad Cajetanum, ut vir doctissimus et Theologus subtilissimus fuerit, ac integram D. Thomæ Summam Theologicam commentariis auxerit, non tamen semper, et ubique ejus sensum assecutus videtur; nec tantæ authoritatis est, ut quod eum sensisse scribit, continuo ita esse credamus, præsertim cum contra expressa S. Doctoris verba loquitur, nullaque illius pro se affert testimonia, ut in hac materia, de qua agimus. Nam pro suæ subsistentiæ modo re a natura distincto, ne unum quidem affert, non modo ex tot tantisque a nobis capite præcedenti recitatis, sed nec aliunde. Solum ex quibusdam D. Thomæ dictis, non bene intellectis, duo ducit argumenta intellectum, ut jactat, bene dispositum convincentia, quæ nobis dissolvenda sunt, ut appareat iis, qui ei plus æquo fidunt, ipsum S. Thomæ egregie hoc loco imposuisse.

Argumentum Cajetani.

3. Primum est ejusmodi. Quod constituit aliquid susceptivum alicujus entitatis realis, est quid reale et positivum. At ex D. Thoma, suppositum et personalitas constituunt naturam susceptivam entitatis realis, scilicet existentiæ et relationis. Ergo sunt quid re distinctum a natura. Majorem supponit ut veram, et etiam minoris primam partem de existentia, cujus promitit probationem ad articulum 2. q. 17. 3. part. Alteram vero partem de relatione probat, ex eo quod D. Thomas q. 35. art. 5. neget relationem filiationis in Christo ad matrem esse realem, quia caret subjecto filiationis realis, videlicet personalitate propria.

Responsio prima.

4. Respondeo 1. hoc argumentum peccare, et in forma, et in materia. In forma quidem, quia ponit in conclusione terminum, nempe, *esse re distinctum,* quem non habet in præmissis. Alioqui ex illis ut jacent, argumentum probat solum personalitatem esse quid reale et positivum, quod fatemur et defendimus. In materia

vero peccat. Major enim, ubi ei appositum fuerit *esse reale positivum re distinctum,* erit falsa et neganda. Materia enim prima est susceptiva formæ, et subjectum accidentis per suam potentiam, non re, sed ratione tantum a se distinctam, etiam, quæ est ad formas accidentales, quæ ex D. Thomæ et ipsius Cajetani doctrina, eaque vera, genere, et categoria differt ab eadem materia, quatenus est in genere substantiæ; cum actus, et potentia sint in eodem genere.

5. Respondeo 2. falsam esse etiam minorem, quia, ex rei veritate, et ex doctrina S. Thomæ, hypostasis et suppositum non constituit naturam susceptivam existentiæ et relationis, sed est idipsum, quod utramque recipit, ut habet illo loco art. 2. q. 17. ad quem remittit Cajetanus : *Esse enim,* inquit, *pertinet et ad naturam, et ad hypostasim. Ad hypostasim quidem, sicut ad id, quod habet esse, ad naturam autem sicut ad id, quo aliquid habet esse,* etc. Unde manifestum est, quod non hypostasis naturæ, sed contra natura hypostasi est id quo recipit et habet esse. Et 1. p. q. 3. a. 4. ac alibi sæpe, docet quod quælibet essentia et natura per se et immediate est receptiva sui esse, non secus ac materia formæ, et omnis potentia sui actus. Præterquam quod anima rationalis separata habeat existentiam, nec tamen est persona, vel suppositum. Et licet nulla natura existat, nisi in supposito proprio vel alieno, non propterea sequitur suppositum illi esse rationem suscipiendi existentiam. Quemadmodum etsi materia nunquam formam recipiat nisi sit in toto, et ipsum actu constituat, non propterea totum est, aut dicitur illi ratio suscipiendi formam, sed sola ejus potentia. Denique falsum est, alienumque a doctrina D. Thomæ, quod ait Cajetanus, humanitatem Christi carere propria existentia, et existere divina, ut ostendemus infra cap. 36. et sequentibus. Falsa igitur est prædictæ minoris 1. pars, eaque neganda, ut a multis Thomistis negari fatetur Cajetanus ibidem. Responsio secunda.

6. — Quod ad 2. partem minoris, quæ est de relatione filiationis Christi, attinet, verum quidem est et fide divina certum, hypostasim et personam humanam abesse ab humanitate Christi : verum item filiationem Christi ad matrem esse tantum relationem rationis, ut recte probat S. Thomas loco citato, et Opusc. 2. c. 212. et etiam verum est, quod illa relatio esset realis, si adesset humana personalitas. At ex his omnibus nullo modo sequitur,

subsistentiam disponere naturam ad recipiendam relationem, cum subsistentia seu suppositum sit ipsum proprium subjectum relationis. Relatio autem realis filiationis ad matrem abest a Christo, non solum quia caret personalitate humana, sed quia divina, quam habet, incapax est relationis realis ad matrem. Neque vero ex eo quod humanitas Christi careat subsistentia propria, sequitur hanc ab illa re differre, ut ostendetur cap. 48. et seqq. Meminisse debuisset Cajetanus hujus propositionis : *Quorum unum potest esse sine altero, ea re differunt,* a se simpliciter negatæ 1. parte q. 28. art. 2.

Cur relatio realis filiationis ad matrem absit a Christo.

2 Argumentum Cajetani.

7. — 2 Argumentum Cajetani tale est. D. Thomas 3. part. q. 4. art. 2. in corp. et ad 3. et 4. contra gentes c. 43. ait Verbum divinum impedivisse ne humana natura haberet propriam personalitatem. Deinde ibidem ait, quod si Verbum divinum assumpsisset humanitatem præexistentem, oporteret corrumpi aliquid, quod præexisteret. Idemque ait 3. p. q. 4. art. 1. ad 3. de natura Angelica, si præexistens assumeretur. Addo tertium, quod non habet Cajetanus, S. Thomam 3. p. q. 16. art. 12. in corpore, et ad 2. dicere in Christo non esse personalitatem humanam causatam ex principiis naturæ humanæ. At nihil potest impediri, vel corrumpi, aut causari, nisi sit entitas quædam a parte rei ab eo distincta, cui inesse impeditur, in quo corrumpitur, vel a quo causatur, cum omnis effectus sit re distinctus a sua causa. Igitur in doctrina D. Thomæ hypostasis et personalitas propria est quid a natura a parte rei distinctum.

Responsio.

8. Concessa majore, neganda est minor. Ab humanitate enim Christi exclusa est personalitas propria, et hypostasis humana impedita, non quemadmodum calor frigus ab aqua, aut forma substantialis aliam a materia excludit; sed quemadmodum ducens lineam bipedalem, addendo secundum pedem, ne pedalis sit, impedit, non detractione, sed additione. Nullius ergo modi aut formæ emanatio et resultantia in humanitate Christi impedita est, sed solum totalitas et integritas substantiæ, quæ est de ratione hypostasis et personæ, impedita est unione hypostatica Verbi divini et additione substantiæ divinæ ad humanam.

Personalitas additione excluditur et corrumpitur.

9. Quo eodem modo corrumperetur ac desineret hypostasis et personalitas naturæ, sive humanæ sive Angelicæ, si præexistens assumeretur a Verbo, sola nimirum additione, ut pluribus ostendetur infra cap. 23. et 62. Negandum igitur ex iis locis in quibus

vere affirmat S. Thomas corruptum iri aliquid, nempe ipsam hypostasim, recte inferri eam a parte rei a natura differre, ut perspicuum erit ex iis, quæ postea dicturi sumus.

Quomodo causetur.

10. Denique, quod ait S. Thomas personalitatem humanam causari ex principiis naturæ humanæ, non ita intelligendum est, quasi forma, aut modus aliquis a natura humana re distinctus ex ejus principiis emanet; sed a principiis naturæ humanæ tunc causatur personalitas, quando corpus et anima ita uniuntur, ut constituant humanitatem solam separatam, et per se existentem; sic enim humanitas fit tota et integra rei substantia. Non secus ac linea pedalis fit, quando solum tanta producitur, estque ea tantum longitudo producta : pedalis autem non erit, nec producetur nisi, cum fit ac ducitur, ei alius pes adjungatur.

11. Hanc esse verissimam mentem S. Thomæ patet ex ejus verbis ibidem. *Christus*, inquit, *secundum quod homo, non est persona; quia humana natura non est per se seorsim subsistens a divina natura, quod requirit ratio personæ.* Idem habet ad 3. et adhuc clarius q. 2. 3. part. art. 2. ad 2. et art. 5. ad 1. *Ex hac ratione,* inquit, *moti videntur illi, qui negaverunt unionem animæ et corporis in Christo, ne per hoc cogerentur personam novam, vel hypostasim inducere in Christo; quia videbant, quod in puris hominibus ex unione animæ ad corpus constituitur persona. Sed hoc ideo in puris hominibus accidit, quia anima et corpus sic in eis conjunguntur, ut per se existant; sed in Christo uniuntur ad invicem, ut adjuncta alteri principaliori, quod subsistit in natura ex eis composita, et propter hoc, ex unione corporis et animæ in Christo, non constituitur nova hypostasis seu persona, sed advenit ipsum conjunctum personæ seu hypostasi præexistenti.* Et q. de unione Verbi art. 2. ad 17. *Anima,* inquit, *et corpus unita constituunt suppositum, et hypostasim, si per se existit, quod ex utroque componitur.* Idem habet pluribus aliis locis. Uno verbo, causatur personalitas in humanitate, sola ejus separatione a Verbo divino, impeditur, aut præexistens corrumpitur sola ejus unione cum Verbo divino.

Idem ex verbis Cajetani ostenditur.

12. Quod ipse Cajetanus, quasi a veritate ipsa coactus, dixit, solutione ad 4. argumentum Scoti, ubi hæc habet : *Si ad duas glossas te resolveris, quod separatio dat totalitatem et complementum, et quod natura assumpta impedita est a propria personalitate, perspicies omnia soluta, clara, et consona;* quas duas

glossas et vias maxime amplectimur, et sequimur. Dicimus enim quod quia separatio sola, nulla alia re intellecta, dat totalitatem et complementum, propterea dat personalitatem. Quod si hoc facit separatio, necesse est, ut unio contrarium effectum habeat, id est, ut impediendo et corrumpendo totalitatem et complementum, impediat et corrumpat in humanitate personalitatem propriam humanitatis. Nobis igitur omnia soluta, clara, et consona. Quare nihil est quod Cajetanus suum hoc 2. argumentum adeo jactet, dicatque convincere intellectum bene dispositum. Quin potius cum nihil aliud ex S. Thoma proferat, cum nullum ex iis omnibus locis a nobis cap. præcedenti relatis, in quibus asserit suppositum in rebus materialibus re distingui a natura, citare audeat, vel id solum magno est argumento tum hæc, tum illa loca, eo, quo diximus, sensu esse intelligenda, et de subsistentiæ modo re a natura distincto S. Doctorem ne per somnium quidem unquam cogitasse.

CAPUT IX.

Quid senserit Aristoteles de hypostasi et supposito.

Suarez. **1.** De hypostasis et subsistentiæ existentia, quidditate, et distinctione a natura, Aristotelem et philosophos omnes, quibus fidei splendor non illuxit, nihil cognovisse affirmat Suarez tomo 1. suæ Met. disp. 34. sect. 2. n. 4. additque subsistentiæ modum a natura esse distinctum, nulla ratione naturali deprehendi, aut probari posse. Cajetanus contra Aristoteli cognitum fuisse existimat probatque ex quibusdam ejus locis, quæ mox referemus.

Cajetanus.

2. Certe modum subsistentiæ, qualem defendunt prædicti auctores, Aristoteli inauditum et prorsus incognitum fuisse, sed nec ab eo sciri potuisse, verum existimo. Quia ejus, ut cujusvis alterius talis modi substantialis, nullum apud eum exstat vestigium : et non ens, id est falsum, ut ait 1. Post. tex. 5. sciri non est, nullaque via et ratione, sive naturali, sive supernaturali vere cognosci potest : nullus autem est subsistentiæ modus. Nam dicere Aristotelem modos agnovisse, quales ponunt recentiores, ut ait Suarez,

In Met. disp. 37. sect. 2. n. 2 et 10.

eo quod existimarit, nec formam a materia, sola rationali excepta, nec accidens a subjecto separatim existere posse, est de modis loqui valde æquivoce : estque dicere Aristotelem omnia modos, vel ex modis fecisse. Nam ut ex substantiis non nisi substantia; sic ex modis non nisi modus existere potest. Sed hac de re plura postea.

Subsistentiam Aristoteli cognitam ostenditur.

3. At veræ subsistentiæ verique suppositi et realitatem et quidditatem propriam, et ejus a natura indistinctionem realem, cum sola distinctione rationis, ab eo probe cognitam et traditam esse, ostenditur 1. ex eo quod suppositum sit res naturalis, et quidem valde sensibilis, cum aliud nihil sit, quam substantia singularis tota; totque sint supposita, quot occurrunt substantiæ singulares et individuæ; quas existere inquit 7. Met. text. 5 : *Manifestissimum quidem est in corporibus. Quare animalia, et plantas, ac naturalia corpora, ut ignem, aquam et terram substantias esse dicimus.*

4. — 2. Quia in prædicamentis cap. de substantia, eam dividit in primam et secundam, illamque dicit esse, quæ *nec est in subjecto, nec dicitur de subjecto.* Prima autem substantia idem est ac suppositum et hypostasis, ut fatetur ipse Cajetanus : igitur et ejus existentia ac ratio et quidditas Aristoteli cognita fuit.

5. — 3. Quia 5. Met. tex. 15. *Accidit,* inquit, *duobus modis substantiam dici : et ipsum ultimum subjectum, quod non dicitur de alio : et id quod, cum quod quid sit, etiam separabile fuerit. Tale vero cujusque forma et species.* At nomine subjecti ultimi, quod non dicitur de alio, intelligit suppositum, ut constat ex S. Thoma ibidem et alibi, qui quotiescumque de supposito disputat, illud repetit ex hoc Aristotelis loco, eumque citat.

6. — 4. Quia lib. 1. Post. tex. 9. ubi quatuor modos *per se* refert, hunc tertium ponit et ita definit : *Quod non dicitur de subjecto aliquo alio, estque substantia, et hoc aliquid significat.* Id autem est suppositum : igitur Aristoteli cognitum fuit ejusque ratio, nempe, quod sit subjectum ultimum, vel ens per se solum ac separatim ab omni alio existens, vel substantia prima et individua.

Aristoteles non distinxit re suppositum a natura.

7. Quod autem illud a natura non distinxerit realiter, nec existimarit esse modum ab ea re distinctum, probatur ex iisdem locis; quorum duo priora pro se affert Cajetanus, quam vere et apposite statim intelligetur. Nam in Prædicamentis de substantia prima tria tantum docet. *Primum* eam esse proprie et principaliter et maxime substantiam. *Secundum* non dici de subjecto, nec esse in subjecto aliquo. *Tertium* cætera omnia vel in ea esse, tanquam in subjecto,

vel de ea dici tanquam de subjecto : hæc autem tria substantiæ primæ per se, non ratione ullius modi ab ea distincti, conveniunt, ut patet. Substantia enim singularis et individua, ut Petrus v. g. per se et proprie et maxime est substantia, magisque substantia quam vel partes, ex quibus componitur, vel ipsæ secundæ substantiæ, quæ de ea dicuntur. Per se item, et non ratione ullius modi, non est in subjecto more accidentium, nec dicitur de subjecto more secundarum substantiarum, nec est in alio, ut pars in toto. Denique eidem substantiæ primæ per se, et non per ullum modum, cætera omnia vel insunt *ut in subjecto,* scilicet accidentia, vel dicuntur ut *de subjecto,* nempe secundæ substantiæ.

8. In 2. autem loco 5. Met. de subjecto ultimo (quod fatetur Cajetanus esse suppositum) aliud nihil declarat, quam quod *non dicitur de alio.* Idemque repetit 7. Met. tex. 7 : *Subjectum,* inquit, *est, de quo cætera dicuntur, illud vero non amplius de alio.* Hoc autem non dicit modum ullum substantiæ, sed ipsammet substantiam ex materia et forma compositam, quæ proprie est substantia prima et subjectum ultimum; tum quia ejus partes, sive integrantes, sive essentiales, sunt potius aliquid substantiæ primæ, et aliquo modo *de subjecto* dicuntur, cum sint de ejus essentia; tum quia id diserte scribit ibidem : *Maxime,* inquit, *substantia subjectum primum esse videtur. Tale vero quodammodo quidem materia dicitur, quodammodo vero forma. Tertium vero quod ex his est. Dico autem materiam quidem, ut æs : formam autem figuram ideæ : quod vero ex his est, totam statuam. Unde si forma prior materia est et magis ens, illud quoque quod ex ambobus est prius erit, ob eandem rationem.*

9. Præterea, 1. Posteriorum supra, aliud nihil de ente per se habet, quam *quod non dicitur de aliquo alio : et quod est substantia; et quod quæcunque hoc aliquid significant non alterum quid existentia sunt quod sunt : quemadmodum ambulans et album sunt alterum quid ab eo quod ambulat et est album.* Igitur negat ibi differre ens per se, seu suppositum a natura.

10. Idemque docet 7. Met. tex. 20. et 21. ubi ait unumquodque ens per se, et non per accidens, idem esse cum sua quidditate et essentia; et humanitatem v. g. idem esse cum homine, seu habente humanitatem : albedinem vero non esse idem cum habente albedinem. Nomine autem entis per se, seu habentis quidditatem aliud nihil intelligitur, quam suppositum.

11. Ad hunc locum Philosophi, ut ad 3. argumentum ab Aureolo factum, respondet Cajetanus negando Philosophum quicquam cognovisse, vel unquam locutum esse de distinctione vel indistinctione personæ a natura, quod ad hanc distinctionem indagandam excitata fuerint ingenia humana propter mysteria incarnationis et Trinitatis. Responsio Cajetani.

12. Verum quis Cajetanum adeo immemorem, vel inconstantem credat, ut, cum ad confirmandam suam opinionem de distinctione reali suppositi a natura asseruerit et diserte scripserit eam naturali ratione cognosci et probari posse, et a Philosopho cognitam fuisse ex duobus prioribus locis a nobis supra relatis ostendere conatus sit; idem in eadem quæstione oblitus eorum, quæ paulo ante scripserat, neget Philosophum de ea unquam cogitasse. Refellitur.

13. Tandem, quod Aristoteles suppositum a natura non pro sola tantum forma, ut præcedenti capite num. 5. adnotatum est, sed adæquate sumpta, ratione distinxerit, patet, quia substantiam primam distinxit a secunda; non re, ergo ratione. Deinde, suppositum in suo conceptu addit naturæ communi individuationem, et individuationi totalitatem ac integritatem : neutrum autem in doctrina Aristotelis re differt a natura. Non primum. Tum quia nullum commune et universale est re distinctum a singulari. Tum quia individuatio naturæ communi advenit, eamque contrahit ad constituendum cum ea individuum eo fere modo, quo differentia contrahit genus et cum eo constituit speciem; differentia autem ratione differt a genere : igitur. Neque secundum, quia totalitas ex Aristotele 5. Met. tex. 31. unitas quædam est, et totum species quædam unius, 10. Met. tex. 1. Unitas autem ratione differt ab ente : igitur, etc. Denique non ignoravit Aristoteles substantias præsertim homogeneas ex se indifferentes esse, ut sint totæ vel partes, et quæ partes sunt, totas atque adeo hypostases et per se fieri sola divisione, nullaque in eis forma superinducta. Ostenditur ratione distinxisse naturam supposita.

14. Quare ex dictis constat eos imponere Aristoteli, et qui censent ipsum distinxisse realiter seu modaliter hypostasim a natura, et qui putant ne quidem ratione ab ea distinxisse, dicuntque Arium, Sabellium, Nestorium, et Eutychetem suas hæreses ex Aristotelis fontibus hausisse. Merito itaque Gretserus interpres Anastasii Sinaitæ, qui in ὁδηγῷ cap. 9. hæc habet : *Quicunque ex præscripto Græcanicæ Philosophiæ cum Aristotele tradunt naturas esse hypostases seu personas, illi nequeunt tres hypostases in* Aristoteles a calumnia liberatur. Anastasius Sinaita.

Sancta Trinitate profiteri, ne et tres naturas cum Ario asserant : neque rursus possunt duas in Christo naturas affirmare, ne et cum Nestorio cogantur in Christo duas personas seu hypostases admittere. Nam, ut assereret naturam et hypostasim unum et idem esse, id nimirum Nestorius ex Aristotelis doctrina hausit. Merito, inquam, Gretserus defendit Aristotelem, aitque eum perperam ab hæreticis intellectum. Etsi enim Aristoteles, quia mysteria Trinitatis et Incarnationis, quæ naturalem ingenii humani vim superant, ignoravit, putarit nec naturam unam pluribus in suppositis, nec plura supposita in una natura esse posse ; totque semper a parte rei esse naturas, quot hypostases; ex eo tamen nullo modo inferri potest ipsum existimasse hypostasim et naturam idem prorsus esse. Illud enim ex hoc; non autem hoc ex illo consequens est. Si enim natura et hypostasis re et ratione idem sunt, necessario sequitur, quod tot erunt hypostases, quot naturæ; et vicissim tot naturæ, quot hypostases. At si sunt tot hypostases, quot naturæ, non sequitur naturam et hypostasim re et ratione idem esse. Quoniam proprietas omnis reciprocatur cum natura, totque numero semper sunt proprietates quot essentiæ, ut patet in uno, vero, bono, respectu entis; in risibili, respectu hominis : nemo tamen ex eo recte inferet essentiam et proprietatem re et ratione idem esse.

Gretserus.

15. Tandem, expositis hactenus variis de subsistentiæ ac hypostasis a natura distinctione sententiis, earumque patronis recensitis, quæ maxime placeat, quibusque me adjungam sic paucis concludo. Cum hæretici naturam et hypostasim re et ratione idem esse affirment; modistæ contra, tam theologi quam philosophi, utroque modo idem esse negent, nos cum SS. Patribus infra cap. 21. 22. et alibi referendis; cum Sancto Thoma aliisque qui cum eo sentiunt theologis; cum Aristotele et peripateticis omnibus magistrum suum sequentibus; mediam regiamque viam secuti, *hypostasim et naturam re idem esse dicimus, ratione idem esse negamus.* Idque plurimis ac firmissimis argumentis, tam theologicis quam philosophicis, confirmabimus, ipsa hypostasis quidditate, et ratione propria prius recte et solide constituta et, quam fieri poterit, clarissime explicata.

Media tutissimus ibis.

CAPUT X.

Hypostasis et Personæ definitiones investigantur.

1. In perquirenda, stabilienda elucidandaque definitione hypostasis et personæ, prolixitatis nimiæque diligentiæ reprehensio minime mihi extimescenda est. Etenim *prolixitas non est,* ut ait Plato in Philebo, *de rebus utilibus et necessariis disputare : nec* βαττολογία *rem necessariam in docendo sæpius inculcare.* In omni autem disputatione rei, de qua agitur, notio propria et definitio necessario et in primis perfecte tenenda est, eo quod totius scientiæ principium sit. Principium autem, ut mole parvum, ideoque visu ac cognitu difficillimum; ita virtute maximum est, auctore Philosopho sub finem Logicæ : *Principium fortasse rei cujusque, ut dicitur, maximum. Quare et difficillimum. Quanto enim potestate validissimum, tanto mole minimum, difficillimum est videri. Eo autem comperto facile est adjicere reliquum, et coaptare.* Propterea Licentius apud Augustinum lib. 2. de Ordine cap. 2. *Odi ego,* inquit, *definire. Nam facilius mihi est videre in alterius definitione quid non probem, quam quicquam bene explicando definire.*

Plato.

Definitio rei quanti sit momenti in scientiis.

Aristoteles.

Augustinus.

2. Accedit quod, ut in aliis rebus principii vitium est pessimum, parvaque in eo mutatio, ex Philosopho, *magnas et multas facit differentias procul, ut temone paululum transposito, multa proræ fit transmutatio :* ita parvus in scientiarum principio error, in fine est maximus, et ut habet, lib. 1. de Cœlo tex. 33. *modica in eo a veritate transgressio, discedentibus fit longe decies, millies major, ut si quis minimam quandam dicat esse magnitudinem. Hic enim minimum introducens, maxima utique amoveret mathematicorum. Hujus autem causa est, quia principium virtute majus est, quam magnitudine. Quapropter, quod in principio modicum est, in fine fit perquam magnum.*

Lib. de motu Anima, cap. 5.

3. Itaque plantarum semina, rerumque omnium principia, quanti natura facit, et in eis apte perfecteque formandis ac conservandis, quantum sollicitudinis, industriæ et cautionis adhibet,

ut videre est in tritico, in pomorum acinis, in nucleis aliisque plantarum exiguis seminibus, a sapiente docentique perito, qui naturam, ut pote a Sapientia Divina et ab intelligentia non errante edoctam et institutam imitari debet, in scientiarum principiis tradendis, tantundem studii, curæ ac diligentiæ impendi par est. Propterea Aristoteles sciendi docendique peritissimus definitionem *Demonstrationis* lib. 1. Post; *Motus*, 3. Physic; *Animæ*, lib. 1. et 2. de Anima; *Felicitatis*, lib. 1. Ethic. et 10. tam studiose tamque operose tradidit. Itaque faciendum esse admonet his verbis 1. Ethic. cap. 7 : *Singula ita tractanda sunt, ut natura eorum postulat; dandaque est opera, ut recte definiantur. Magnum enim afferre momentum ad ea quæ sequuntur consuevere. Videtur enim principium plusquam dimidium totius esse, compluraque eorum, quæ in quæstionem veniunt, per ipsum manifestantur.*

Definitio vera scientia et præstantissima.

4. Neque vero scientiæ demonstrativæ tantummodo principium est definitio, sed ipsamet verissima est scientia, quæ a philosophis intellectus, seu intelligentia principiorum, et scientia indemonstrabilis appellatur, quæque longe præstantior et, ut loquitur, honorabilior est demonstrativa : quia simplicior est, et ad angelicam propius accedit : quia *maxime ille scit, qui quid est, non vero ille, qui quantum, aut quale, aut quid agere, sive quid pati natura aptum est,* inquit 3. Met. tex. 3. et lib. 7. tex. 4. Et quia ejus certitudini ac evidentiæ, suam debet veritatem, firmitatem et imperturbabilitatem ipsa demonstrativa conclusionumque scientia. Resolvuntur enim conclusiones in principia complexa et immediata; hæc in terminos simplices quibus constant; qui quo vel sensu et experientia, vel inductione, ac etiam documentis logicis, aut aliunde nobis notiores sunt, eo dictorum principiorum ac conclusionum veritas purior pulchriorque menti nostræ apparet, eique propterea fortius majorique firmitate adhærescit. Nam si quis non indoctus attente rem consideret, videbit, quæ tam frequens in tractandis scientiis, inter auctores de eadem re occurrit opinionum varietas et contentio, tantaque nonnullarum a veritate exorbitatio, eam ex definitionis rei, de qua agitur, aut alicujus termini in ea contenti ignoratione, plerumque nasci. Neque vero sine causa Philosophus tanta arte, tantoque studio et labore, tot tamque variis locis, hoc est, regulis ac præceptis ad definitionem spectantibus libros duos implevit. Quas, qui probe teneret, et ad earum amussim definitiones struere, aut a se vel ab aliis fabricatas examinare vellet, is bonas

6. Eth., cap. 6. et 2. post. Analytic. capite ultimo.

6. et 7. Topicorum.

a malis nullo fere negotio secerneret, et rerum scientias, ac scientiarum principia longe certius perfectiusque teneret. Ad hoc enim Topicorum libri, a plerisque nimium neglecti, maxime utiles sunt, ut ipse initio admonet.

5. In hypostasis igitur definitione, et quia difficilis est, et quia error circa eam est non parvus, quia vera est scientia, et quia multarum fons et principium demonstrationum, perquirenda et bene constituenda summum studium, summa diligentia nobis adhibenda est, non solum imitatione naturæ, aut Aristotelis exemplis ac documentis, sed etiam SS. Patrum admonitione. Nam Anastasius Sinaita Patriarcha Antiochenus in ὁδηγῷ Cap. 1. hæc habet : *Hortamur ut ante omnia habeatur sedula definitionum cura, maxime illarum, quæ ad defensionem doctrinæ de Christo faciunt, ne sitis barbari cæcitate percussi, et qui vobiscum loquitur, vobis item barbarus.* Lib. 1. cap. 2. Anastasius Sinaita.

6. Etsi autem quid sit hypostasis, et quid persona, exacta definitione per genus et differentiam declarari nequeat, quod solæ species hoc modo definiantur; hypostasis autem species non est cum de nulla creata prædicetur in quid : tum quod ejus ratio valde simplex sit, cum abstrahat a creata et increata, nec in duos conceptus ab invicem præcisos distingui possit; ejus tamen quidditativa ratio declarari potest descriptione et oratione, ut vocant, notificatoria. Quam nunc quidem, more aliarum definitionum, per divisiones investigabimus, postea vero extruemus. Est enim *Divisio* apud Platonem, in Sophista et Politic., βασιλικὸς λόγος, cujus munus est viam sternere ad definitionem, ut pluribus docet Philosophus 2. post. cap. 8. tex. 20 et 21, ubi duo admonet. Unum est, divisionem, ut definitioni serviat, debere esse adæquatam, et ut sit adæquata ac omnia sub diviso contenta comprehendat, debere fieri per membra opposita, oppositione medium non habente, id est contradictoria. Alterum in conficienda per divisionem definitione tria præstanda, 1. ut sola rei definiendæ attributa quidditativa colligantur, 2. ut recto ordine disponantur, 3. ut omnia sumantur, id est, eo numero ut orationem faciant soli rei definiendæ propriam. Quæ monita logica huc referre volui, tum more aristotelico, qui multa hujusmodi suis passim intexuit libris : tum quod a plerisque in tractandis scientiis, magno earum studiorumque detrimento, parum accurate observentur, licet eorum ductu ad veritatis sedem, tanquam ariadneo filo, ocyus certiusque deveniatur. Plato. Divisionis commendatio et usus. Monita logica.

7. Ut igitur methodo divisiva hypostasis rationem et quidditatem propriam vestigemus, quatuor præmittendæ nobis sunt divisiones, quas philosophorum quidem ignorat nemo, plerique tamen, quia ad eas non satis adverterunt, nec earum lucem admorunt, ut latentem in obscuro hypostasis rationem deprehenderent, propterea eam incognitam præterierunt.

8. Prima divisio est, quod ens aliud est *Substantia*, aliud *Accidens*, seu, ut eam terminis contradictoriis enunciemus, aliud est *per se*, aliud *non per se, sed in alio :* vel, ut traditur ab Aristotele in Antepræd. cap. 2, aliud *est in subjecto*, nempe accidens, aliud *non in subjecto*, nempe substantia. Quæ est divisio entis adæquata et, ut loquuntur, inevitabilis, cum nihil sit sub diviso, quod in aliquod ejus membrum non incidat : adeo ut *ens non in subjecto* non solum comprehendat substantiam creatam, quæ, quia subest accidentibus subjectum dicitur, sed etiam increatam, quæ nulli subest.

9. Secunda divisio. Substantia alia est *prima*, alia *non prima, sed secunda*, Antepræd. cap. 2. et cap. de substantia. Ubi habetur aliam esse, *quæ neque est in subjecto, neque dicitur de subjecto :* aliam *quæ non est in subjecto, sed dicitur de subjecto.* Illa est substantia singularis, individua et incommunicabilis pluribus : hæc universalis, dividua et communicabilis pluribus, in quibus multiplicatur et cum singulis idendificatur.

10. Tertia divisio. Substantia prima, singularis et individua, alia est *tota et integra* ut Petrus, Paulus, Bucephalus; alia *non tota, sed pars alterius* vel essentialis, ut anima, et corpus Petri; vel integrans, ut pes, manus, caput ejusdem. Ac *substantiæ totius* nomine ea omnis intelligitur, quæ neque pars est, neque partis imperfectiones habet, sed est substantia perfecta, sive perfectio hæc composita sit, constetque partibus, ut in substantiis naturalibus; sive sit simplex, ut in Deo et Angelis. *Totum enim et perfectum aut idem sunt, aut natura proxima,* ex Philosopho 3. Phys. tex. 64. Perfecta vero in ratione substantiæ est, quæ stat per se, nec est in alio, ut pars in toto, nec est alterius a quo substantialiter perficiatur. Pars enim omnis minor et imperfectior est suo toto, et tam ab eo, quam a comparte sua perficitur. Propterea illa omnis substantia partis rationem habet, quæ est in alio ut in toto, et quæ in compositionem cum alia veniens ab ea substantialiter redditur perfectior; vel qua, in eo in quo est, nulla alia perfectior reperitur.

Quæ dicatur substantia perfecta.

Hæc autem differentia totius et partis, perfecti et imperfecti quanti sit momenti in hac materia ex dicendis postea aperte constabit.

11. Quarta divisio est, quod substantia prima et tota alia est *intelligens* et *rationalis*, ut Gabriel, Petrus : alia *non rationalis*, ut Bucephalus, canis Tobiæ, columba Noë.

12. Ex his quatuor divisionibus omnibus, credo, notissimis, quidditativa hypostasis attributa facile colligi, et ad ejus definitionem componendam ordinari non incommode possunt hunc in modum. Hypostasis cum sit ens reale, necessario est ex prima divisione vel substantia, vel accidens. At non est accidens, tum quia est ens per se et non in alio ut in subjecto; tum quia accidens est entis ens, et natura sua ens imperfectum, indigens alterius fulcimento : hypostasis autem est quid firmum et ens perfectum; igitur erit substantia. Sed non *secunda*. Primo, quia secundæ substantiæ non subsistunt per se, sed in primis et sunt de illis; hypostasis autem non est in alio, sed per se. Secundo, quia secundæ substantiæ neque generant neque generantur, nec agunt nec aguntur per se, sed solum per accidens et prout sint in primis : hypotases autem et supposita generant et generantur, agunt et patiuntur; actiones enim et generationes omnes circa singularia sunt, id est, supposita, 1. Met. cap. 1. Tertio, quia secundæ substantiæ sunt dividuæ et communicabiles pluribus; hypostasis autem et persona est substantia individua et incommunicabilis omnium consensu; igitur ex secunda divisione necessario est substantia prima et particularis. Hypostasis est substantia.

13. Quod etiam docent SS. Patres hypotasim a natura distinguentes tanquam propriam a communi, ut Basilius Epist. ad Amphilochium. *Tantum differunt*, inquit, *natura et hypostasis, quantum proprium et commune.* Damascenus lib. 3. de fide orthodoxa cap. 4. *Essentia communem speciem significat, hypostasis autem individuum :* et cap. 6. *Commune quiddam essentia, particulare persona.* Et lib. de duabus Christi voluntatibus. *Natura, ut placet Sanctis Patribus, commune quiddam est et infinitum, et quasi infinita species : hypostasis autem quid singulare, quod per se cohæret.* Anastasius Sinaita in ὁδηγῷ cap. 2. *Persona sive hypostasis, ex sententia Sanctorum Patrum, est proprium quiddam præter commune,* etc. Basilius. Damascenus. Anastasius.

Idem docet S. Thomas passim, ut 1. parte q. 29. art. 1. et q. 8. S. Thomas.

de Potentia articulo tertio. *Nomen hypostasis*, inquit, *significat substantiam individuam, id est, quæ non potest de pluribus prædicari. Unde genera et species in prædicamentis substantiæ, ut homo et animal, non possunt dici hypostases, quia de pluribus prædicantur. Socrates vero et Plato dicuntur hypostases, quia prædicantur de uno solo.*

Est tota, non pars.

14. Jam vero substantia individua et particularis, cum alia sit tota et non pars, alia pars et non tota, ex tertia divisione hypostasis altera harum esse debet. Pars autem non est, quia omnis pars est imperfecta, hypostasis est substantia perfecta; pars est in alio et alterius, nempe totius; hypostasis est ens per se et non in alio, nec alterius : pars habetur et continetur a toto, hypostasis vero, seu suppositum est habens et continens omnia quæ in ipso sunt. Præterea hypostasis est agere ut id quod, partis vero nonnisi ut quo. Igitur non est pars, sed totum.

Cur partes non sint hypostases.

15. Denique hoc ipsum diserte asserit et optime probat S. Thomas Opusc. 2. cap. 211. his verbis : *Hæc nomina, persona, hypostasis et suppositum, integrum quoddam designant. Non enim potest dici quod manus, aut caro, aut quæcunque aliarum partium sit persona, hypostasis, aut suppositum; sed hoc totum quod est hic homo. Ea vero nomina quæ sunt communia individuis substantiarum et accidentium, ut individuum et singulare, possunt et partibus, et toti aptari. Nam partes cum accidentibus aliquid habent commune, scilicet, quod non per se existant, sed aliis insunt, licet secundum modum diversum. Potest igitur dici quod manus Socratis vel Platonis est quoddam individuum et singulare, licet non sit hypostasis, vel suppositum, vel persona.* Hæc S. Doctor. Et quæst. de unione Verbi art. 2. in corpore : *Non potest dici, quod hæc manus sit persona, vel hypostasis, aut suppositum; quamvis dici possit quod sit aliquid particulare, singulare, vel individuum. Manus enim, etsi pertineat ad genus substantiæ, quia tamen non est substantia completa in se subsistens, non dicitur hypostasis, aut suppositum, vel persona.* Et art. 3. in corpore : *Manifestum est* inquit, *quod suppositum significatur per modum totius. Natura autem per modum partis formalis, ut ex supradictis patet.* Imo vero in 3. Dist. 5. Quæst. 1. art. 3. ad tertium et quæst. 5. art. 3. expresse habet rationem partis, repugnare rationi personæ.

CAPUT XI.

Definitiones hypostasis et personæ construuntur, et probationibus fulciuntur.

1. Ex doctrina capitis præcedentis hæ colliguntur hypostasis, subsistentiæ et suppositi definitiones : *Substantia prima tota :* vel *Substantia singularis et individua, integra et perfecta.* Personæ vero, quæ hypostasi rationalis seu intelligentis naturæ dignitatem addit, definitio erit, *Substantia prima tota intellectiva*, vel *Hypostasis naturæ rationalis,* vel *Suppositum rationale,* vel *Naturæ rationalis individua substantia,* quæ est definitio Boetii lib. de duabus naturis. Definitiones hypostasis et personæ.

2. Bonas autem et legitimas esse has definitiones, cum a priori et per causam probari nequeat : (neque enim definitio de definito per causam probari potest 2. Post. text. 8, idque tentare est ignorantia logicæ;) tamen ex quibusdam regulis logicis, ac signis bonæ definitionis probatur.

1. Quia definitio est oratio explicans naturam et quidditatem rei per prima illius, seu per ea, quæ illi insunt primo et de ea dicuntur per se, in primo modo dicendi per se. Prima autem rei in primo modo per se dicuntur, quæ de ea dicuntur non ex eo quod aliud de illa. At *Substantia prima tota* est oratio explicans quidditatem hypostasis per prima et maxime intrinseca ejus attributa. Cætera enim attributa, quæ de ea dicuntur sive positiva ut *habere, agere, generari* etc., sive negativa, ut esse *individuam, sive incommunicabilem, non esse partem, non esse in alio, nec unitam alteri* et similia, posteriora sunt, et fundantur in iis, quæ continentur in prædicta definitione. Nam quia hypostasis est substantia, non est accidens : quia est singularis et individua non est universalis : quia est tota et perfecta non est pars, nec in alio, nec unita alteri digniori, proindeque incommunicabilis. Omnis enim pars natura sua alteri est, vel unita actu, vel unibilis seu communicabilis, et ab eo nata est perfici. 1. Argumentum.

3. Adverte tamen quod, per prædicta attributa negativa, et natura posteriora positivis, hypostasis sæpius nec male definiri solet duplici de causa. Una est, quod cum necessario et inseparabiliter ei conjuncta sunt, tanquam proprietates essentiæ; nobis priora et notiora sunt positivis. Nam negatio plerumque nobis notior est affirmatione seu perfectione positiva, non quam negat : neque enim non album, albo nobis notius est, sed ea in qua fundatur, et quam, ut umbra corpus, sequitur. Definitio autem debet esse ex notioribus nobis 6. Top. cap. 1. loco 18. et 1. Met. tex. 48. Altera est, quod, ut notat S. Thomas Com. in Boëtium de Trinit. q. 4. art. 1. negationes, præsertim universales, et annexæ primis terminis sunt quasi de eorum ratione : cum necessario et immediate illis insint. Ideoque propositiones negativæ in primis terminis, ut *Substantia non est accidens : Totum non est pars* et similes, sunt immediatæ, *quasi negatio,* inquit, *unius termini sit de intellectu alterius.*

Cur hypostasis per negationem definiatur.

2. Argumentum.

4. Probatur 2. Id quo primo sublato aliquid necessario tollitur, et quo primo posito, necessario ponitur, est de ejus quidditate et ratione propria. At substantiæ singularis totalitate posita necessario ponitur hypostasis, et primo sublata tollitur. Nihil enim in ea prius est, quo sublato pereat, et cæteris, quæ ei ut proprietates inesse diximus, non nisi secundario, et ad destructionem totalitatis sublatis, perit, adeo ut, nisi hac destructa, illæ nunquam pereant.

3. Argumentum.

5. Probatur 3. quia ex prædictis definitionibus nulla est; quæ hypostasi omni, soli semper et necessario non conveniat, cum ea non reciprocetur, eamque non distinguat primo ab omni non hypostasi. *Omni* quidem, ut patet inductione. Convenit enim tam divinis quam creatis, tam spiritualibus quam corporeis, tam simplicibus quam compositis, sive ex partibus dissimilaribus, ut in animalibus et corporibus, sive ex similaribus et liquidis : quæ quia divisione totalitatem facile acquirunt, et eam unione mutua facile perdunt, propterea earum sæpe mutantur hypostases. Quæ enim aqua erat hypostasis propria quando erat gutta, quia sic erat substantia aquæ singularis, ac tota et per se, eadem juncta alteri aquæ suppositum esse desinit, quia desinit esse tota, fitque pars alterius, et ita de aliis.

6. Soli item convenit hypostasi. Cui enim alteri conveniat? Neque convenit essentiæ Divinæ absolute sumptæ, neque humanitati Christi, neque animæ rationali separatæ, neque accidentibus in sacra-

mento Eucharistiæ per se, et non in alio existentibus, ut pluribus postea declarabitur.

Præterea eidem semper ac necessario convenit, ac etiam cum ea reciprocatur, eamque distinguit ab omni non hypostasi, ut inductione patet.

7. Quæ omnes probationes applicari possunt definitioni personæ supra allatæ. Nam *per hoc quod dicitur substantia, excluduntur,* inquit S. Thomas quæst. 9. de potentia, a. 2. in corp, *a ratione personæ accidentia, quorum nullum potest dici persona; per hoc quod dicitur individua, excluduntur genera et species in genere substantiæ, quæ etiam personæ dici non possunt : per hoc vero quod additur rationalis naturæ, excluduntur inanimata corpora, planta et bruta, quæ personæ non sunt.* D. Thomas.

CAPUT XII.

Quid totum : Quid pars : Quid perfectum : et quæ totalitas sit de ratione hypostasis et personæ.

1. Cum in definitione hypostasis termini *totius et perfecti* contineantur et, quando per negationem definitur, dicatur *non esse pars,* horum omnium notio nobis hic necessario exponenda est. Hac enim ignorata, rationem hypostasis ignorari necesse est : ea vero recte cognita et perspecta, non solum hypostasis quidditas, sed plurimarum etiam, ne dicam pene omnium, quæ de ea occurrunt, difficultatum solutio clara, facilis et expedita erit, ut suis locis videbitur. *Singularis* autem, *individui, et incommunicabilis* voces quæ etiam ad hypostasim definiendam adhiberi solent, exponentur Cap. 16.

2. Notandum igitur 1. quod *totum et pars, perfectum et imperfectum* termini sunt transcendentales, modique entis, non secus ac idem et diversum, causa et effectus, necessarium et contingens ac similes, cum in substantia et accidente reperiantur, vagenturque per omnes categorias. Totum enim et pars, perfectum et imperfectum de substantia, quantitate, actione, passione, ubi, etc. dicuntur. Unde a Philosopho lib. 5. Metaphysicæ, quo simplices et Totum et pars termini transcendentales.

3. Phys. text. 5. generales termini continentur : *perfecti totius, et partis* varii modi referuntur et declarantur.

3. Cum autem sint modi entis, cui insunt et de quo dicuntur, necessario aliquid addunt, ut cæteri modi. Nam *modus entis,* inquit, S. Thomas q. 1. de veritate art. 1. est *id quod addit aliquid supra ens, quodque suo nomine et conceptu dicit aliquid ipso nomine entis non expressum.* Et revera aliud est aqua tota, aliud aqua pars : et quantitas, v. g. a tota vel parte abstrahit. Et quemadmodum quod necessarium, contingens, aliique prædicti modi entis ipsi superraddunt, ab eo non re, sed ratione tantum differt : ita etiam quod totum et pars, perfectum et imperfectum, cuilibet enti vel naturæ superaddunt, ab ea ratione tantum differt.

Addunt enti aliquid ratione distinctum.

Sunt modi speciales.

4. Jam vero cum modorum entis, ex S. Thoma supra, alii sint *speciales,* quibus ipsa amplitudo entis restringitur, et veluti differentiis ad speciem aliquam contrahitur, ut esse per se, esse in alio, etc. alii sint *generales* ipsum ens consequentes, nec ejus amplitudinem contrahentes, ut unum, verum, bonum, etc. Totum et pars speciales sunt. Non enim omne ens est totum, nec omne pars. Præterea quia termini sunt transcendentales et valde generales, communis eorum ratio pluribus positivis conceptibus vix declarari potest, ideoque non mirum si negativis definiatur. Nam Philosophus 5. Met. tex. 21. *Perfectum id esse,* ait, *cui nihil deest vel substantiæ, vel magnitudinis naturalis, vel virtutis, secundum propriam speciem,* aut id *extra quod nullam est accipere particulam,* v. g. tempus cujusque perfectum est, extra quod non est accipere ullum tempus quod pars hujus temporis sit. *Totum* vero t. 31. ait esse, *a quo nulla pars abest earum ex quibus totum natura dicitur.* Partes vero tex. 30. ait esse *ex quibus totum componitur,* aut in *quas aliquid dividi potest,* sive quantum sit, ut duo pars trium quodammodo sunt, sive quantum non sit : quo modo species partes generis dicuntur. *Partes etiam dicuntur,* inquit, *quæ sunt in cujusque ratione,* id est definitione : quo modo genus pars est speciei. Eadem ferme habet 3. Phys. a tex. 63. ad 67. ubi infiniti quidditatem exponens, docet ipsum habere magis rationem partis, quam totius, eo quod cum formam, finem et terminum non habeat, est veluti materia; pars autem est materia totius. Deinde quod in infinito semper sit accipere aliquid extra, pars autem similiter sit id cujus est aliquid extra, seu præter quod est aliquid quod sit ejusdem, ut extra materiam est forma in toto naturali, et in numero extra quamlibet unitatem

Quid perfectum.

Quid totum.

Quid pars.

est alia. Contra vero totum et perfectum est id cujus nihil est extra, seu a quo nihil abest, quod sit ejus : ut hominem totum, et arcam totam.

Totum et perfectum quo differant.

5. Ex quibus definitionibus intelligere est, cur a Philosopho disjunctive pronunciatum sit, quod *totum et perfectum aut idem penitus, aut proxima natura.* Nam licet vulgo pro synonymis habeantur, differunt tamen in eo, quod totum proprie sit a quo nulla ejus pars abest. Perfectum vero cui nihil deest quod ejus sit, quodque ei adesse debet, sive sit ejus pars, sive non. Deinde quod totum proprie dicatur de rebus compositis, ejusque ratio propria includat partium multitudinem. Perfectum autem latius patet, abstrahitque a simplici et composito ; imo simpliciora absolute perfectiora sunt compositis, ut Deus, et intelligentiæ substantiis naturalibus. Utramque autem dictionem in definitione hypostasis posuimus, ut esset communis omni hypostasi, tam simplici quam compositæ, tam increatis quam creatis, et quia usu communi loquendi pro eodem habentur.

Totalitas est unitas perfectionis.

6. Notandum 2. quod totalitas quædam unitas est, et totum species quædam unius, ex Philosopho 5. Met. tex. 11. et 31. et lib. 10. tex. 1. et 5. Phys. text. 42. Quæ unitas totalitatis est ea, qua aliquid unum dicitur, non solum quia quantum aut continuum; sed quia totum et perfectum, adeo ut, si non sit totum et perfectum, non dicatur unum. Quomodo calceus dicitur unus, non solum quia continuus, habetque omnes suas partes, sed quia partium suarum integritatem et ordinem, et calcei speciem ac perfectionem habet. Nam si qua pars ei desit, aut si ejus partes non sint eo ordine positæ, quo esse debent, non dicetur calceus unus. Itaque hæc unitas totalitatis præter rei indivisionem, etiam ejus perfectionem dicit. Hac unitate, ex Aristotele supra, linea circularis una est, non solum quod continua, sed quia tota et perfecta. Nam linea recta, perfecta non est, eo quod, ut docet lib. 2. de Cœlo tex. 23. rectæ addi potest alia recta, circulari autem nulla potest fieri additio. Perfectum enim est, cui nulla potest additio fieri.

Trimegistus, ut fertur.

7. Ex quo, ut hoc obiter dicam, intelligi potest, cur solus Deus sit simpliciter et absolute perfectus. Cum enim sit infinitus, est quasi circulus, non cujus centrum est ubique, circumferentia nullibi, ut quidam ait, sed cui nihil perfectionis addi possit. Quod ei soli competit : ut verissime a Christo dicum sit, *Nemo bonus*, id est simpliciter et absolute perfectus, *nisi solus DEUS.* Luc. 18. Qui perfecti

Cur solus Deus bonus.

modus non fugit Aristotelem loco citato Metaphysicæ, ut S. Thomas, Alensis, et Commentator admonent ibidem cum dixit : *Quædam esse perfecta, quod secundum bene in nullo deficiant, nec habent excessum in aliquo genere, nec quicquam est extra.* Deo enim nulla deest bonitas, et nullius entis, cujuscunque generis et categoriæ sit, additione major meliorque fieri potest.

5. Met. text. 21.

8. Res vero creatæ sunt perfectæ, sed in suo genere, cum scilicet nihil eis deest vel substantiæ, vel magnitudinis, vel qualitatis seu virtutis, quod earum conditio ac natura postulat. Quæ earum perfectio, instar lineæ rectæ, est finita. Ideoque Philosophus *Perfectum nihil est,* inquit, *non habens finem : finis autem terminus.* Ubi pluribus probat infinitum, quod antiqui totum esse dicebant, partis potius, quam totius rationem habere, nec τὸ πᾶν καὶ τὸ ὅλον, id est, universum et totum cum infinito cohærere sicut linum lino. Totum enim est extra quod nihil est; infinitum vero in quo semper est aliquid extra accipere. Perfectioni igitur creaturatum, quia finita est, cum aliquid adjici possit vel substantiæ, vel accidentis, propterea non sunt simpliciter perfectæ.

3. Phys. text. 64.

Variæ partis imperfectiones.

9. Notandum 3. totum dici perfectum, non solum quod nihil ei desit sui generis, habeatque omne, quod pertinet ad naturam suam, sed etiam quod careat imperfectionibus partis, quæ sunt plurimæ. 1. Quod pars entitate et perfectione minor sit toto. 2. Quod se habeat ad totum, ut materia ad formam, lib. 2. Phys. tex. 31. et lib. 3. tex. 63. 3. Quod ad totum se habeat, ut contentum ad continens, et ut id quod habetur ad habens 5. Met. tex. 28. *In quo namque*, inquit, *contentum quoddam est, haberi ab eo dicitur, ut vias habere humidum dicimus, et urbem homines, et navem nautas, sic et totum partes habet.* Continens autem perfectius est contento, ut cœlum igne, et ignis aëre : et habens præstantius eo quod habetur, cum ei quodammodo dominetur, ex Philosopho ibidem, *vel ipsum agendo secundum suam propriam naturam, et inclinationem, quo modo febris hominem, tyrannus civitatem, et indutus vestem habere dicitur : vel impediendo ne id quod habetur, secundum suam agat et moveatur, quo pacto columna impositam statuam, et Atlantem poëtæ cœlum habere faciunt : et continens, quod continet habere dicitur, quasi prohibens, ne unum quodque secundum suam inclinationem separetur.* 4. Quod sit non sua, sed alterius, nempe totius, ut habet Philosophus 1. Polit. cap. 3. *Pars*, inquit, *non solum*

Aristoteles.

alterius est pars, sed etiam omnino alterius, ut servus non solum est ad Dominum, sed omnino est Domini. Pars igitur, qua pars, serva est, non libera, nec sui juris, sed alieni; cum sit totius, et ejus gratia. 5. Quod esse proprie partis non sit, sed totius; tum quia totum est actu, partes vero sive essentiales, sive integrantes in toto non sunt, nisi potentia 7. Met. tex. 46. et 56; tum quia totum est id quod est, partes vero tantum id quo aliud est : ideoque pars est tantum ens secundum quid, et non tam ens, quam entis inchoatio quædam dicenda est. Totum vero est ipsa entis integritas et complementum, quod ens simpliciter dici meretur. 6. Quod pars, non per se, seu sola et separata, sed in toto, et suæ comparti juncta esse appetat; quia scilicet sic esse illi melius est, cum ab ipso toto, et suæ compartis consortio perficiatur. Unde pars, quatenus pars, est communicabilis alteri, et suæ comparti, vel unita actu, vel uniri et conjungi appetit. 7. Quod partis non sit agere, sed proprie totius. Ejus enim est agere, cujus est esse, quod proprie est totius. Cum enim pars, id quod est, sit totius, quod est a parte, magis est a toto, quam ab illa : ideoque pars dici non debet agere, sed totum per partem, ut admonet Philosophus 1. de Anima tex. 64. *Dicere namque irasci animam,* inquit, *simile est ac si quis dicat eam texere, vel ædificare. Melius enim fortassis est, non dicere animam misereri, aut addiscere, aut cogitare, sed hominem anima.* Idem docet S. Thomas 1. parte q. 75. art. 2. ad 2. 8. quod toto sit posterior natura, scilicet ordine actus et perfectionis; *totum enim,* inquit Philosophus 1. Polit. cap. 2. *prius esse quam partem necessarium est. Perempto enim toto, non erit pes, nec manus, nisi æquivoce.*

Pars est alterius.

Pars proprie non agit.

10. Notandum 4. Totum aliud esse *rationis,* seu logicum potentiale et universale, ut genus, cujus species dicuntur partes subjectivæ et potentiales, quod, inquit Philosophus, *unumquodque est unum,* id est integrum, in qualibet sua parte, scilicet secundum essentiam, non secundum potentiam. Universale enim ita est totum, in quolibet ex suis inferioribus, ut possit esse in multis aliis. Aliud est totum *reale,* quod cum sit transcendens, ut dictum est, et in qualibet categoria etiam accidentium reperiatur, tamen ut substantia est ens simpliciter; ita totum substantiale est maxime totum. Ac licet dicatur de omni substantia perfecta, etiam simplici, ut de Angelis, tamen magis proprie dicitur de substantia

Totum multiplex.

5. Met. text. 31.

composita ex partibus. Quæ partes si essentiales sunt, ut materia et forma, est *totum essentiale;* si integrantes, sive homogeneæ, sive heterogeneæ, *totum integrans* dicitur. Et hoc est integrans vel *actu,* quod scilicet est actu divisum ac separatum ab omni alio; vel *potentia* tantum, ut partes continui, quæ in continuo actu sunt unum, et potentia tantum multa tota; qua de re legatur S. Thomas lectione 15. et 16. in lib. 7. Met. Quomodo autem omne et totum idem esse doceat Philosophus dicemus alibi.

11. His omnibus prænotatis, manifestum est hypostasim esse totum reale, non rationis seu logicum, cum sit substantia prima non secunda, seu universalis : esse item *totum substantiale* non accidentale, propter eamdem rationem, et quia accidens fit entis ens et natura sua imperfectum, et alterius, minusque totum, quam materia vel forma. Et si quidem sit hypostasis composita, ea est substantia tota totalitate, non solum essentiæ, sed etiam integritatis actualis; cum sit substantia per se ac distincta ab omni alia, nullique alteri juncta per modum partis. Recte igitur definita est, *substantia prima tota et integra,* id est, quæ nullius pars est, sive essentialis, sive integrans, nec ad modum partis se habet.

Hypostasis qua totalitate sit tota.

12. Utramque autem hanc totalitatem esse de ratione hypostasis patet, tum inductione, tum etiam ratione. Nam illud solum absolute est totum, quod utramque illam totalitatem participat; cum ejus nihil sit extra, non sit alterius, nec alias partis conditiones et imperfectiones habeat. Deinde anima rationalis etiam separata, quia caret prima totalitate; partes vero integrantes, quia caret secunda, propterea hypostases et supposita non sunt.

D. Thomas. Ita sensit S. Thomas, non modo cum asserit suppositum esse quid integrum, ut opus. Cap. 211; sed etiam 3. part. q. 2. art. 1. ad 2. ubi hæc habet. *Ex anima et corpore constituitur in unoquoque nostrum duplex unitas* (totalitas enim unitas quædam est, ut antea dictum est) *naturæ et personæ. Naturæ quidem secundum quod anima unitur corpori formaliter perficiens ipsum, ut ex duobus fiat una natura, sicut ex actu et potentia, vel ex materia et forma. Unitas vero Personæ constituitur ex eis in quantum est unus aliquis subsistens in carne et anima.*

Damascenus. Idem etiam insinuat Damascenus lib. 3. de fide Orthodoxa cap. 7 : *Totus* (scilicet Christus) *est homo perfectus, at non in totum homo. Non enim duntaxat homo, sed etiam Deus. To-*

tum quippe naturam declarat; totus autem personam : non secus atque aliud naturam indicat, alius personam.

13. Ex dictis hactenus, non solum habetur clara intelligentia definitionis hypostasis, quod nobis erat propositum; sed præterea quædam alia evidenter ac necessario deducuntur.

Primum, omnes alias definitiones hypostasis et personæ, quæ cum nostra non consentiunt, repudiandas esse.

14. Secundum, verissime a S. Thoma dictum in 3. Dist. 5. q. 1. art. 3. ad 3. et q. 2. art. 2. in corp. et ad 2. *Quod ratio partis contrariatur rationi personæ : ideoque anima separata non potest dici persona, quia quamvis separata non sit pars actu, habet tamen naturam ut sit pars.* Ratio hujus rei est, quod persona sit hypostasis, quæ quidditative est totum. Totius autem ratio intrinseca cum ratione partis pugnat. Hæc enim est imperfecta, est alterius, est natura sua alteri a quo perficiatur, vel unita, vel unibilis, et in eo, in quo est extra eam, est aliquid. Totum contra est perfectum, suique juris, caretque aliis imperfectionibus partis; propterea ratio partis incompatibilis est cum ratione personæ et hypostasis.

Varia corollaria.

Cur ratio partis repugnet hypostasi.

15. Tertium, humanitatem in Christo non esse hypostasim et personam humanam; quia est in eo ad modum partis, nec sua est, et quia extra eam est aliquid, nempe Verbum, cui ita est realiter et substantialiter unita, ut in ratione substantiæ et perfectionis minorem ad illud habeat proportionem, quam millesima guttulæ pars ad totum mare, vel punctum ad lineam, ut dictum est cap. 1. ex S. Thoma.

Cur humanitas Christi non sit persona humana.

16. Quartum, Verbum Divinum contra humanitati unitum suam in Christo retinere hypostasim, et personalitatem propriam; quia etiam unitum suam retinet totalitatem et perfectionem, propter infinitatem naturæ Divinæ, qua fit, ut cum ab humanitate nihil accipiat perfectionis, nullam habeat rationem partis, ut jam dictum est, cap. 1. et dicetur plenius cap. 24.

Cur Verbum unitum sit eadem persona.

17. Quintum, nullum modum, nullam formam, aut actum informantem posse esse subsistentiam; quia hæc omnia essentialiter sunt imperfecta, sunt alterius, sunt partes, vel rationem partis habent.

Cæterum cum quatuor aliæ auctorum usu et consensu receptæ ferantur hypostasis et subsistentiæ definitiones, eæ, tam ad pleniorem ejus, quæ tradita est, declarationem, majoremque confirma-

tionem, quam ad ipsorum Auctorum conciliationem, nobis sigillatim exponendæ sunt. Sic enim apparebit eas verbis, tantum a nostra differre, et plerosque nescientes idem plane quod nos de subsistentia et supposito enuntiare.

CAPUT XIII.

Quod definitio hypostasis, qua dicitur : NATURÆ TERMINUS ULTIMUS, *seu* ULTIMUM COMPLEMENTUM, *eadem sit cum præcedente.*

Quomodo sit eadem cum superiori definitione

1. HÆC definitio, si bene intelligatur, idem omnino, et nihil aliud significat, quam præcedens, et ambæ synonymis constant vocabulis. Nomen enim *naturæ,* in hac, idem valet quod nomen *substantia,* in illa, ut monuimus supra cap. 6. Idemque est *naturæ seu substantiæ terminus et complementum ultimum,* quod *naturæ, vel substantiæ totalitas et integritas*, seu idem quod *substantia tota et integra.* Ut enim homo et humanitas, multitudo hominum, et homines multi, distinctio rei, et res distincta, aliaque ejusmodi idem significant, sed diverso modo. Quod enim unum in concreto, alterum in abstracto; quod unum in recto, alterum in obliquo dicit : ita substantiæ totalitas et substantia tota, et naturæ terminus seu complementum ultimum, et natura ultimo completa, idem sunt, idemque quod *substantia perfecta tota et integra,* seu extra quam, non est alia, a qua magis compleatur, in ratione substantiæ.

Terminus et totalitas idem.

2. IDEM autem esse terminum, et totalitatem, seu complementum ac perfectum constat ex Philosopho, qui cum *totum et perfectum* definiat, *id cujus nihil est extra,* terminum. 5. Met. t. 22. ait esse : *ultimum cujusque, extra quod nihil est accipere primum, et intra quod omnia primum.* Et 3. Physic. tex. 64 : *Perfectum,* inquit, *nihil non habens finem; finis autem terminus.* Et 10. Met. t. 13 : *Perfectum est, extra quod non est possibile aliquid habere. Perfecta dicuntur eo quod finem habeant. Extra finem autem nihil est. Ultimum enim in re omni est, et continet. Quare nihil extra*

finem est, nec indiget aliquo quod perfectum est. Cum igitur ultimum, finis, terminus et complementum, idem sint quod perfectum et totum, *naturæ terminus et complementum ultimum,* aliud nihil erit, quam ipsa cujusque substantiæ totalitas, totaque rei, ut ita dicam, substantialis extensio et amplitudo.

Nomen termini non significat modum a natura re distinctum.

3. Quare nomine *termini, aut complementi ultimi,* in dicta definitione, nullo modo intelligendus est modus aliquis, aut realitas ipsi naturæ et substantiæ superaddita, ab ea re distincta, ejusque perfectionem complens ac terminans, perinde ac forma materiam, aut puncta et indivisibila quantitatem. Falsa enim est hæc imaginatio, cum nullus detur hujusmodi terminus, ut pluribus postea ostendetur. Quemadmodum enim Philosophi, cum dicunt agens agere secundum ultimum suæ potentiæ, nolunt ipsum agere, per modum aliquem ab ipsa potentia diversum, eamque terminantem; sed tantum volunt agens omnem totamque suæ potentiæ vim, et non partem tantum applicare ad agendum. Ita per *ultimum substantiæ terminum,* non modum ipsi substantiæ superadditum, sed ipsam substantiæ totalitatem, omnemque rei extensionem ac perfectionem substantialem intellexere, qui primi hoc loquendi modo usi sunt ad hypostasis conceptum proprium evolvendum. Nam cujusvis rei finitæ, sive simplicis, sivæ compositæ totalitas ejus finis et terminus dicitur; quod non progrediatur ulterius, et extra eam nihil ultra superest, quod sit illius. Deinde cum finis, terminus, complementum, hic nomina sint abstracta, cum ea ad finitum, terminatum, et completum se habent, ut humanitas ad hominem.

Cur totalitas dicatur terminus.

4. Præterea ipsæ totius partes interdum termini dicuntur, vel quod ejus perfectio et entitas illis definiatur : vel quod in eis stet totius resolutio, ut patet in syllogismo, et enunciatione. Unde etiam vulgo a philosophis ipsæ voces vel conceptus, termini simplices appellantur. *Quod si natura aliqua est simplex,* inquit, S. Thomas 2. contra Gent. cap. 95., *ipsa quidem per se terminata erit, nec oportebit, quod habeat duas partes, quarum una sit terminans, altera terminata.* Itaque cum totum ultra suas partes non progrediatur, et si resolvatur, in ipsis partibus sistendum sit; naturæ terminus, seu complementum ultimum, idem est ac naturæ totalitas, seu idem quod substantia tota et integra. Unde recte Alensis in tex. 22. lib. 5. Metaph. : *Totum habet modum finis et complementi : pars autem modum incomple-*

S. Thomas.

Alensis.

menti, et finiti per ipsum totum. Ideoque subdit (Philosophus) *quod finis forma est, hoc est, ipsum totum, in quo consistit ratio finiendi. Perfectum vero est habens istum finem, scilicet totalitatem.*

Hæc definitio obscurior præcedente.

5. Patet igitur quod hæc definitio eadem est cum superiore, hocque solum videtur ab ea differre, quod sit obscurior, minusque propriis constet vocabulis : cum loco *substantiæ* ponat nomen *naturæ,* idque non in recto, sed in obliquo; et loco totius seu totalitatis et integritatis, nomen complementi seu termini, quod est nomen æquivocum, et, ex Philosopho 5. Metaph. tex. 22. multis ac variis modis dicitur; unde errandi occasio modistis data est.

6. Accedit quod nomen *terminus* in rigore et in eo sensu, quo a plerisque sumitur, non conveniat personis divinis; cum earum nulla vere et proprie dici possit terminus ultimus naturæ, sive divinæ, sive humanæ, aut creatæ. Non divinæ : tum quia finis est terminus, ex Philosopho supra, in Deo autem nullus est finis; tum quia natura et quælibet persona divina est omnimode infinita et interminata; tum quia nulla hypostasis divina, naturam divinam ad unam personam ita contrahit et terminat, quin adhuc sit communis duabus aliis : eædemque tres hypostases divinæ, ut naturæ divinæ per identitatem, sic substantiæ creatæ per unionem hypostaticam sese communicare possunt, ut de facto hypostasis Verbi naturæ humanæ in Christo communicata est. Igitur nomen et ratio *termini* in ordine ad naturam divinam, non ita quadrat divinis hypostasibus et personis.

Nomen termini Deo minus proprie tribuitur.

7. Nec etiam in ordine ad nos nostramque naturam. Tum quia hypostasis Verbi unita naturæ humanæ in Christo, eam adhuc relinquit communicabilem Patri et Spiritui Sancto; cum eadem numero humanitas a tribus personis divinis assumi possit, ut communiter docent theologi cum S. Thoma 3. parte q. 3. art. 6, et ostendemus suo loco. Tum quia tantum abest, ut hypostasis divina naturam, quam assumit terminet, quin eam potius, ut ita dicam, in infinitum extendat, addens illi infinitam suam substantiam faciensque hominem Deum; quod non est limitare, aut terminare naturam, sed eam in infinitum augere.

Persona Divina naturam assumptam non terminat, sed infinitat.

8. Igitur in rigore nomen *termini* Deo non competit; nisi forte qua *terminus* idem est ac definitio. Ita enim communiter eam nominat Philosophus, et 5. Met. text. 22. varios *termini*

modos exponens, inter eos enumerat definitionem. *Et substantia*, inquit, *uniuscujusque, ac quodquid erat esse unicuique. Cognitionis enim hoc est terminus. Quod si cognitionis, rei quoque est.* Quanquam neque hoc etiam modo *terminus* Deo recte tribuitur, cum proprie definiri nequeat, ex S. Thoma 1. part. q. 3. art. 5; quod nec genere et differentia constet, nec ullis sive categoriarum, sive mentium nostrarum finibus et angustiis concludatur, sed emineat super omnia excellentiæ celsitate infinita, omnemque intellectus creati vim et capacitatem perfectionum suarum immensitate excedat infinite. *Manifestum est*, inquit Augustinus lib. 7. de Trinitate cap. 5. *Deum abusive substantiam vocari, quia nihil in eo est tanquam in subjecto*, et lib. 5. cap. 1. *Intelligamus Deum, si possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia Creatorem, sine situ præsentem, sine habitu omnia continentem, sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum, sine ulla sui mutatione mutabilia facientem.*

Deus proprie definiri nequit

Augustinus.

9. Nihilominus quia tribus modis aliquid dici potest terminus. 1. Quia venit in compositionem cum alio, ducta metaphora a corporibus, quæ si distent ab invicem, cum ad sese accedunt, mutuumque accessum sistunt, vicissim termini dicuntur; vel si in unum coeant, quia uni illi composito, quam habet entitatis perfectionem et extensionem, ac ut ita dicam, entis partem et portionem tribuunt, ejus termini, et illud terminare dicuntur : ita id omne, quod in compositionem cum alio venit, et cum eo aliquid componit, tum illius mutuæ unionis, tum ipsius compositi terminus, et extremum dicitur. 2. Quod aliud complet et perficit ultimo : quo modo forma, terminus tum materiæ, tum compositi dicitur, 4. Phys. tex. 35. et 5. Metaph. tex. 22. 3. quod distinguit et separat. Nam et agrorum limites ideo termini dicuntur. Hypostasis autem Verbi, cum in compositionem cum natura humana in Christo veniat, cum suam omnem perfectionem substantialem ei tribuat, summeque et infinite illam compleat, cum eam etiam ab aliis hominibus et ab aliis duabus personis divinis distinguat, propterea ipsa, et aliæ hypostases divinæ aliquo modo termini dici possunt. Neque enim de modo loquendi, et de verbis præsertim usitatis contendendum est. Tamet si sapientis sit, et in docendo periti, eorum non solum notionem propriam, si obscura, vel ambigua est, declarare; sed etiam, si quam habent, vel improprietatem, aut ambiguitatem, de ea admonere, præsertim cum dat aliquam

Terminus tribus modis usurpatur.

Quo sensu hypostases divinæ dicantur termini.

errandi occasionem *qui docet, vitabit omnia verba, quæ non docent* admonet Augustinus lib. 4. de Doctrina Christiana cap. 10; multo magis, si nocent.

CAPUT XIV.

Explicatur tertia definitio hypostasis, quâ dicitur : Ens, seu Substantia per se subsistens, vel existens.

Ens per se hic sumitur ut oppositum Enti in alio.

1. Ad veram hujus definitionis intelligentiam tollenda necessario est et declaranda homonymia hujus termini syncategorematici, *per se*. Ens enim *per se* latissime sumptum, duobus modus sumitur; primo, ut opponitur enti per accidens. De quo ente per se agit Philosophus 5. Metaph. text. 13 et 14, illudque dividit in decem categorias. Secundo, ut opponitur enti per aliud, seu in alio; quo modo hic sumitur.

2. Hoc autem *ens in alio* cum multis item modis dicatur, quorum octo refert philosophus 4. Physic. text. 23., plures Porphyrius, Ammonius, Simplicius, aliique peripatetici in cap. 2. anteprædicamentorum, quos etiam nos referemus infra cap. 47. Tres ex illis, scilicet ens in alio *ut in subjecto,* quod est accidens; Ens in alio *ut de subjecto,* ut sunt genera et species, præsertim secundarum substantiarum; et ens in alio *ut in toto,* et in quodam perfectiori, quod est proprium partis, enti per se, ut est ipsa ratio hypostasis, opponuntur. Hypostasis enim, ut supra cap. 11. ostensum est; cum sit substantia, non est accidens, nec in alio instar accidentis; cum sit substantia prima et individua, non est universalis, nec in alio, more secundarum substantiarum; cum denique sit substantia prima tota et integra, neque est pars, nec in alio ut in toto, et more partis. Igitur *ens* his tribus modis *in alio* opponitur hypostasi, ejusque perseitati. Nam ut ens in alio, uno nomine abstracto *inalietas;* sic ratio entis per se, abstracto nomine, *perseitas* dici potest.

Triplex ens in alio oppositum hypostasi.

3. Jam vero cum ex regula Topica lib. 1. Topic. cap. 14. *Quot modis dicitur unum oppositum, totidem et alterum,* sicut triplex est ens in alio, seu triplex inalietas opposita hypostasi; ita hujus triplex est perseitas. Una quæ ei inest, ut est substantia, qua

In hypostasi triplex est perseitas.

opponitur accidenti, ejusque modo essendi in alio. Altera, qua est singularis, prima, et individua, quo opponitur modo essendi in alio universalis, et secundarum substantiarum. Tertia, qua est tota et integra, per quam opponitur modo essendi in alio per modum partis. Ex quibus tribus perseitatibus integratur adæquata ratio hypostasis : suntque tres reales et positivæ perfectiones ratione tantum distinctæ, non secus ac animalitas, rationalitas, et petreitas in Petro, quibus hypostasis perfectior est quolibet ente in alio cui opponitur. Nam substantia accidente, particulare universali, et totum parte perfectius : et universim loquendo, ens per se nobilius est, minusque dependens, quam ens in alio. Cum igitur ex tribus prædictis perseitatibus ratione tantum distinctis constet et compleatur adæquata ratio hypostasis, quando definitur *ens per se,* de triplici illa perseitate, *substantiæ, singularitatis, et totalitatis* hæc definitio intelligi debet.

Hæc definitio est eadem cum præcedente.

4. Ex quo perspicuum est quod sic intellecta, omnino eadem est cum præcedentibus, aliudque nihil est hoc *ens per se,* quàm *substantia prima tota et integra,* vel quam *naturæ terminus ultimus seu complementum substantiale.* Simulque patet, quomodo perseitas non sit forma aut modus à parte rei a natura et substantia diversus, quod pluribus postea ostendetur.

Perse varié sumitur.

Duo solum hic observanda sunt. Primum, illud (*per se*) cum hypostasis definitur *ens per se*, tres prædictas perseitates; cum definitur *substantia per se,* duas posteriores solum; cùm dicitur *substantia prima, et per se,* tertiam tantum importare. Ratio est quia alioquin vitiosæ essent hæ duæ ultimæ definitiones. Nam cum prima perseitas contineatur in voce *substantia* et secunda in voce *prima, seu individua,* si (*per se*) in duabus posterioribus eodem, quo in prima sensu sumeretur, eæ laborarent vitio nugationis, quo idem bis in eadem definitione ponitur : quod vitium reprehenditur ab Aristotele 6. Topic. cap. 1. loco 15.

Quæ negationes fundantur in tribus perseitatibus positivis.

5. Secundum, est, quod tres prædictas perseitates et perfectiones positivas hypostasis necessario consequuntur et in his fundantur tres negationes, scilicet, *non esse accidens, non esse substantiam secundam et universalem, non esse partem.* Nam quia hypostasis est substantia, necessario est non accidens; quia est substantia prima et singularis, necessario est non secunda et universalis; quia est subtantia tota et integra, necessario est non pars. Et quia omne accidens natura sua est ens in alio, ideoque commu-

Cur, et quot modis hypostasis sit incommunicabilis.

nicabile subjecto per inhærentiam; et secundæ substantiæ, quia universales sunt communes seu communicabiles primis per identitatem; et omnis pars est communicabilis tam comparti per informationem vel adhæsionem, quam toti per suimet traditionem et adhæsionem alteri parti; propterea prædictæ negationes accidentis, substantiæ secundæ, et partis, in prædictis perseitatibus et perfectionibus positivis fundatæ, appellantur incommunicabilitates, seu negationes unionis et communicabilitatis; et per eas, ut pote notiores nobis, positiva ratio hypostasis plerumque declaratur, ita tamen ut cum definitur *ens incommunicabile*, nomen *incommunicabile* tres prædictas negationes; cum *substantia incommunicabilis* duas tantum posteriores; cum *substantia prima seu individua et incommunicabilis* tertiam tantum incommunicabilitatem importet, propter rationem superius allatam.

6. Atque hinc nata videtur Scoti opinio (quæ tamen antiquior est Scoto, cum ejus meminerit, et eam improbarit S. Thomas 1. part. q. 30. art. 4. in corpore) 3. Sentent. distinct. 1. q. 1. art. 3. ubi defendit hypostasim et subsistentiam in suo conceptu essentiali claudere incommunicabilitatem, seu negationem communicabilitatis, vel dependentiæ; quam sententiam pluribus infra refellemus cap. 18. Et certe qui ita cum Scoto sentiunt, videntur umbram pro corpore, attributum negativum pro positivo, accidentale pro essentiali accepisse, ac de hypostasi seu subsistentia eodem modo philosophari, quo qui diceret intrinsecam et specificam rationem hominis consistere in negatione equinitatis, hinnibilitatis, et quadrupeditatis. Ut enim homo, quia rationalis, habet negationem equinitatis, quia non equus, habet negationem hinnibilitatis, quia bipes negationem habet quadrupeditatis; ita hypostasis habet prædictas negationes et incommunicabilitates quia est substantia, quia prima, quia tota. Et quemadmodum si homo careret prædictis negationibus consequenter non esset homo; ita si hypostasis careret prædictis incommunicabilitatibus per consequentiam necessariam recte inferretur quod non esset hypostasis. Hinc tamen nemo recte concluserit prædictas negationes esse de ratione intrinseca vel hominis, vel hypostasis.

Negatio nulla est de ratione hypostasis.

7. Quod attinet ad vocem *subsistens* quam vulgo prædictæ definitioni apponunt, dicentes quod hypostasis est *ens per se subsistens*, ea cum sit æquivoca, totque modis usurpetur, quot *subsistere* et *subsistentia*, ut ostendimus supra cap. 2. quo ex illis hic accipi

Quam vim habeat vox subsistens.

debeat non apparet. Duobus enim tantum modis videtur accipi posse, nempe pro concreto, sicut et ipsa subsistentia seu hypostasis, ita ut significet simul tres perseitates paulo ante explicatas; vel pro sola tertia perseitate, quæ est totalitas substantiæ. Utrovis modo sumatur in rigore vitiosam facit prædictam definitionem. Nam primo modo idem est ac ipsum definitum, atque adeo definitum erit in definitione. Secundo autem modo idem bis ponetur in eadem definitione, cum substantiæ totalitas jam contineatur in termino *per se*, ut supra explicatum est. Itaque aliud nihil dici potest, quam eam vocem esse appositam majoris declarationis causa : vel ut nomine entis vel substantiæ per se, intelligantur tantum duæ priores perseitates, scilicet substantiæ et singularitatis, et nomine *subsistentis* tertia perseitas, scilicet totalitatis et integritatis, importetur.

Vox existens quam vim habeat.

8. Pari modo vox (*existens*) quæ eidem definitioni loco particulæ (*subsistens*) passim substituitur, non significat existentiam proprie dictam et sumptam pro actu existendi, quo aliquid est formaliter extra nihil, et extra suas causas; quia existentia ejusmodi, sive re differat a natura, sive non, nullo modo est de conceptu formali et quidditativo hypostasis, ut ostendemus postea cap. 34. Sed *per se existens aut subsistens* idem valent : quæ, cum non participialiter, sed nominaliter, non secus ac ens, accipi debeant, prædictæ definitioni adduntur, ut dictum est, majoris tantum declarationis causa. Nam cum (*per se*) terminus sit et æquivocus, ut patet ex prædictis, et syncategorematicus, atque adeo non nisi junctus cum alio significet, alius ei commodius adjungi non potuit, quam *subsistens* vel *existens*. Inepte enim dictum fuisset *ens per se ens*, vel *substantia per se ens*.

9. Si quis tamen velit concedere *existens* in prædicta definitione sumi pro actu existendi, consequenter ei dicendum erit, illam esse tantum descriptionem : et existentiam apponi tanquam accidens, et aliquid extra conceptum hypostasis, quo tanquam signo aliquo notiore cognoscitur. Notior enim nobis est hypostasis actu existens, quam non existens, eo quod singularia, non nisi cum actu existunt, sensu percipiuntur, et perfecte cognoscuntur. Hypostasis autem est substantia individua et singularis.

Explicata definitio bona esse ostenditur.

10. Tandem hactenus explicatam hypostasis definitionem, bonam esse ex eo patet, quod, ut ostensum est, idem significet cum præcedentibus. Deinde quod, ut inductione constat, omne quod est ens per se tribus supra explicatis perseitatibus, est hypostasis et sup-

positum; et cui aliqua ex illis deest, non est. Nam defectu primæ etiam accidentia separata, ut in Eucharistia; defectu secundæ, nullæ substantiæ secundæ; defectu tertiæ, nullæ partes substantiales sive essentiales, ut materia et forma, sive integrantes, ut pes, manus, oculus, sunt hypostases. Ejusdemque etiam tertiæ perseitatis defectu, humanitas Christi non est hypostasis aut persona, quia (quod jam insinuavimus et sæpius dicendum est ad mysterium Incarnationis distinctius cognoscendum) licet sit substantia individua et singularis, non tamen est per se, perseitate totalitatis, cum sit in alio, nempe in Verbo et in Christo, per modum partis, et ei communicetur ac uniatur tanquam substantia imperfecta longe perfetiori, et quasi pars toti. Ab eo enim multo plus perficitur quam ulla pars a suo toto, ut patet, et habet Cajetanus in art. 82. q. 16. 3. partis. Contra vero Verbum Divinum, quia etiam realiter et substantialiter unitum humanitati, propter suam perfectionem infinitam, suæ totalitatem substantiæ suamque integritatem et incommunicabilitatem per modum partis retinet, vere est, et manet hypostasis et persona Verbi. Ipsa enim humanitatis assumptione, divina ejus substantia nihilo major perfectior, magisque tota facta est, et ut habet S. Leo Epist. 10. ad Flavianum cap. 2.: *Nativitas temporalis, illi nativitati divinæ, et sempiternæ nihil minuit, nihil contulit.* Nam, ut idem ait serm. 5. de Nativitate : *Mutabile est, non solum quod minuitur, sed etiam qod augetur.* Deus autem immutabilis est. Idem pluribus declarat S. Thomas Opusc. 2. cap. 211. et Opusc. 3. cap. 6. : *Cum enim persona divina sit infinita non potest ei fieri additio,* inquit, 3. part. q. 3. art. 1. ad 1. Et Augustinus, lib. 6. de Trinit. cap. 8. : *In iis quæ non mole magna sunt, hoc est majus esse, quod est melius esse. Melior autem fit spiritus alicujus creaturæ cum adhæret Creatori, quam si non adhæreat, et ideo etiam major, quia melior. Qui ergo adhæret Domino unus spiritus est : sed tamen Dominus non ideo fit major, quamvis fiat ille qui adhæret Domino.*

Cur humanitas Christi suam non retineat hypostasim, Verbum autem retineat suam.

S. Leo.

D. Thomas.

D. Augustinus.

CAPUT XV.

Quod hypostasis a Sanctis Patribus recte definiatur : SUBSTANTIA DISCRETA, AUT SEPARATA, VEL PER SE AC SEORSIM POSITA.

1. ITA fere semper personam et hypostasim definiunt ac designant SS. Patres. Cum enim contra Nestorium disputant, sola reali divisione et physica separatione humanitatis a Verbo Divino, ut volebat Nestorius, posita, duas in Christo personas et hypostases, contra fidei doctrinam et mysterium Incarnationis ipsum impie ponere ubique asserunt. Quorum verba et testimonia referemus plurima infra cap. 30., nunc tantum hæc pauca.

2. NEMO, inquit Cyrillus lib. 1. de recta fide a Theodosium Imperatorem, *post unionem, divisionem mihi fingat; neque Emmanuelem in hominem seorsim, et in Deum rursum seorsim dispescens duas personas efformet.* Et epist. ad Valerianum Episcopum : *Duabus hypostasibus per se seorsim positis, omnino quoque duæ personæ ponendæ sunt.* Quod plusquam vigesies habet in iis quæ de illo referuntur in Concilio Ephesino, tomo 1. Conciliorum et Epistola ad Monachos Ægypti, quæ habetur ibidem. *Si quis*, inquit, *eum, quem sacra Virgo peperit, solum, hoc est propria subsistente hypostasi, unctum et sanctificatum arbitretur, etc.* Augustinus lib. 15. de Trinitate c. 7. *una persona, id est singulus quisque homo.* Cyrillus. Augustinus.

3. DAMASCENUS in sua Logica cap. 65. *Hypostasis est*, inquit, *separata cujusque concretio.* Et paulo post : *Hypostasis nihil aliud est quam separata substantia.* Et ibidem cap. 42. : *Nomen hypostaseos duplicem habet significationem. Interdum enim simplicem existentiam significat, quo significatu inter substantiam et hypostasim nihil interest. Unde nonnulli sanctorum Patrum naturas hypostases ipsas appellarunt. Interdum eam quæ per se est, et seorsim subsistit, existentiam.* Et paulo post : *Domini caro*, inquit, *cum per se et seorsim sumpta ne minimo temporis puncto substiterit, proprie non est hypostasis,* sed ἐνυπόστατον quoddam. Quod idem habet cap. 44. Damascenus.

4. MAXIMUS Monachus Constantinop. in suis definitionibus; *Hypo-* S. Maximus.

stasis est, inquit, *per se videri, et distingui secundum numerum ab iis qui sunt ejusdem speciei.*

Hugo Victorinus.

6. Idem docent Doctores scholastici, ut Hugo Victorinus Opusc. de Verbo Incarnato collatione 2. *Humana,* inquit, *natura in Christo ex eo quod fuit, persona non fuit; quia per se non fuit. Persona enim notat discretionem.* Et S. Thomas 3. part. q. 16. art. 12. : *Humanitas Christi non est persona humana, quia non est per se seorsum subsistens a divina natura; quod requirit ratio personæ.* Idem habet q. 2. art. 2. ad 2. et 3. Quanquam, cum de personis divinis agit, nomina discretionis et distinctionis potiùs usurpet, quam separationis aut divisionis, propter rationem quam affert 1. parte q. 31. art. 2. ne videatur tolli simplicitas divinæ essentiæ. Separatio enim et divisio propriè sunt totius in partes : Itaque 1. part. q. 29. art. 4. *Cum persona,* inquit, *significet substantiam individuam rationalis naturæ, individuum autem sit, quod est in se distinctum et ab aliis distinctum; propterea persona in quacumque natura significat id quod est distinctum in natura illa.* Et art. 3. ejusdem quæstionis : *Cum in Deo realiter sit relatio, oportet quod realiter sit ibi oppositio. Relativa autem oppositio in sua ratione includit distinctionem.* Et q. 4. art. 3. in corp. : *Hypostasis significat aliquid distinctum in divinis, cum hypostasis sit substantia individua.* Idem habet ad 1. argumentum : et q. 9. de Potentia art. 4. in corp. :

S. Thomas.

Formalis ratio Personæ.

Nomen persona communiter sumpta nihil aliud significat, quam substantiam individuam rationalis naturæ. Et quia sub substantia individua rationalis naturæ continetur substantia individua, incommunicabilis, et ab aliis distincta, tam Dei, quam hominis, quam etiam Angeli; oportet quod persona divina significet subsistens distinctum in natura divina, sicut persona humana significat subsistens distinctum in natura humana, et hæc est formalis significatio, tam personæ divinæ, quam humanæ. Idem habet ibid. art. 6. ad 3. et 6. et q. 8. art. 3. *Hypostasis,* inquit, *significat subsistens in natura aliqua distincta ab aliis,* et ibid. ad 7. : *De ratione hypostasis duo necesse est esse. Primum quod sit per se subsistens et in se indivisa. Secundum est, quod sit distincta ab aliis hypostasibus ejusdem naturæ : et si contingat in eadem natura, alias hypostases non esse, nihilhominus hypostasis erit, sicut Adam, quando non erant aliæ hypostases in humana natura, etc.* Et quæst. de unione Verbi art. 5. ad 6. : *Suppositum est, quod est aliquid distinctum; ideoque si natura humana haberet per se suppositum, repugnaret*

Duo sunt de ratione hypostasis.

unioni personali. Idem sentiunt Altisiodorensis lib. 3. summæ cap. 1. Alensis 3. part. q. 4. memb. 6. Bonaventura in 3. dist. 5. art. 2. q. 2. in corpore et ad 2. et dist. 6. art. 1. q. 1. in corp. et ad 1. 2. 3. et 4. cum tradunt in ratione personæ includi triplicem distinctionem, quam alii determinationem appellant, nempe singularitatis, incommunicabilitatis per modum partis, et dignitatis; eamque triplicem distinctionem voce (*Individua*) in definitione personæ posita importari admonent: cum quibus sentit S. Thomas scripto 2. in 3. sent. dist. 5. q. unica art. 2.

Altisiodor. Alensis. Bonaventura.

Triplex determinatio in ratione personæ.

7. Bonam autem esse prædictam definitionem probatur: Primo. Quia eadem est cum præcedentibus, idemque est substantia separata, quod substantia tota et integra. Nam totalitas et integritas, quæ est de ratione hypostasis, ut dictum est cap. 12. est totalitas actualis. Hæc autem in rebus creatis et finitis divisionem a qualibet alia includit, ut patet in totis tam homogeneis quam heterogeneis. Ejusdem enim aquæ partes, cum dividuntur, fiunt plures substantiæ totæ pluraque supposita. *Separatio enim,* inquit S. Thomas in 3. dist. 5. q. 3. art. 3. ad 3., *dat utrique parti totalitatem, et in continuo dat utrique esse in actu,* idemque habet q. de unione Verbi art. 2. ad 10.

Bona esse et eadem cum præcedentibus ostenditur.

1. Argumentum.

D. Thomas.

Et Ægidius Romanus in 3. dist. 4. part. 3. q. unica a 2. ad 3. *Separatio* inquit, *in continuis dat utrique separatorum totalitatem. Quandiu enim res est continua, nulla pars debet dici totum; sed si dividatur et separetur continuum, quælibet pars dicitur quoddam totum. Sic et in proposito, si natura humana non fuisset assumpta à Verbo, per se faceret quoddam totum, et per se constitueret personam; nunc autem assumpta a persona et supposito Verbi, non facit, nec constituit personam.*

Ægidius Romanus.

8. Secundo. Quia substantia per se, est definitio hypostasis, ex capite præcedenti, hoc autem per se et secundum se idem est ac separatum, et solum, ex Philosopho 5. Metaphy. tex. 23. *Item quæcumque soli, prout soli insunt. Quare quod separatum est secundum se est.* In quem locum Alensis. *Per se esse, idem est, quod solum et separatum esse; ita quod, per se, sonat privationem associationis. Et iste est tertius modus positus in posterioribus* (quod adnotavimus supra cap. 9.) *qui sonat solitudinem et independentiam. Illud enim dicitur per se esse in tertio modo posito in posterioribus, quod est independenter esse.* Unde Plato universalia a singularibus realiter separans, dicebat esse per se, et hominem universalem

2. Argumentum.

Aristoteles.

Alensis.

hominem per se appellabat 7. Metaph. tex. 61. et 1. Ethicor. cap. 6.

3. Argumentum.

9. Tertio. Quia substantia separata, est oratio, quæ reciprocatur cum hypostasi, et, ut inductione patet, omni convenit, etiam divinis. Quælibet enim ex personis divinis est substantia separata, seu discreta, et actu re distincta ab alia. Soli etiam convenit, ut patet. Neque dixeris eam convenire animæ rationali separatæ. Ea enim, ut supra monuimus cap. 11. non tam est substantia, quam pars substantiæ. Hic autem nomine substantiæ separatæ, intelligitur ea, quæ est perfecta, tota, et non pars.

Nulla in Deo est subsistentia absoluta.

10. Ex quibus constat, et evidenter infertur, nullam in Deo esse posse hypostasim et subsistentiam absolutam. Cum enim hypotasis ex sua ratione intrinseca, et essentiali conceptu, sit substantia ab omni alia re subsistente secreta et disjuncta, ut volunt Sancti Patres; cum sit substantia a parte rei tota per se, et incommunicata alteri supposito; subsistentia vero absoluta, a Cajetano aliisque recentioribus, qui eam in Deo defendunt, dicatur communis, imo identificata realiter cum tribus relativis, et personis divinis; manifestum est quod, dicere subsistentiam communem, est pugnantia loqui. Si enim realiter communis est, non est subsistentia. De qua re plura dicemus alio loco.

CAPUT XVI.

Personæ definitio à Boëtio tradita scilicet: Naturæ rationalis individua Substantia, *explicatur et defenditur.*

1. Quoniam hypostasis et suppositi proprie est agere; naturæ autem, et hypostases rationales proprium, eumque nobiliorem, quam non rationales, agendi modum habent (liberæ enim sunt, suarumque actionum dominæ, et ultro ac sponte ad eas sese movent ac determinant); propterea, inquit S. Thomas 1. p. q. 29. art. 1. et q. 9. de pot. art. 2. peculiare nomen sortitæ sunt, et *personæ* dicuntur. *Persona* enim, ut ait Paschasius Ecclesiæ Romanæ Diaconus lib. 2. de Spiritu Sancto, et refertur a Patribus Concilii

S. Thomas.

Paschasius.

Francofordiensis sub Carolo Magno, in Epistola Synodica ad Episcopos Hispanienses, *est nomen juris,* hoc est dignitatis : idque non solum in politia ecclesiastica, in qua personæ, seu personatus, quædam dignitates Ecclesiasticæ appellantur, sed etiam in genere entis et substantiæ, cum id nominis solis particularibus et intellectivis substantiis, quæ cæteris præstant, tribuatur. Ex quo fit, ut persona aliud nihil sit, quam *hypostasis rationalis*, vel *suppositum rationale, seu intellectivum,* seu *substantia individua, tota perfecta, eaque intellectiva.* Quæ est ipsa definitio Boëtii lib. de duabus naturis, ubi ait, quod persona est *naturæ rationalis individua substantia.* Quæ definitio bona est, nobisque diligenter exponenda, tum quia communis, et non solum a S. Thoma locis paulo ante citatis, et in 1. dist. 25. art. 1. et alibi sæpe, sed etiam vulgo a cæteris theologis et philosophis, etiam modistis recepta : tum quia bene intellecta, omnino consentit cum supra explicatis hypostasis definitionibus : a quibus, ut lucis plurimum et evidentiæ accipiat, sic eisdem non parum conferet certitudinis et firmitatis.

Quid sit Persona

Definitio Boëtii.

2. Ergo persona dicitur *substantia* a Boëtio, eodem prorsus modo et sensu, quo in superioribus hypostasis et subsistentiæ definitionibus. Sumitur enim hic *substantia* ut est quid commune ad primam et secundam, ex D. Thoma loco citato quæst. de Pot. in corp. et ad sextum et septimum; poniturque *substantia* loco generis, etiam si divisio substantiæ in primam et secundam, magis sit analogi in analogata, vel subjecti in accidentia, quam generis in species.

Est substantia.

3. Deinde dicitur *individua;* quæ vox, quia æquivoca, necessario distinguenda est, ut, quo modo et sensu hic proprie sumenda sit, perspicue cognoscatur. Individuum itaque, ut notat Richardus in 1. dist. 25. art. 1. q. 2. ad primum et secundum, dupliciter accipi potest, vel ut nomen primæ, vel ut nomen secundæ intentionis; adde utroque modo adhuc dupliciter, vel positive, vel negative. Individuum ut nomen primæ intentionis positive est ipsa res naturæ, ut loquuntur, seu ipsa entitas individui, ut a parte rei est ens in se indivisum, et divisum, seu distinctum ab alio : et in materia præsenti, est ipsa realitas substantiæ particularis, ut a parte rei est per se tota, separata, et actu distincta ab alia. Negative autem est formaliter ipsa negatio alterius substantiæ, vel hypostasis a qua distinguitur : vel est ipsa realitas substantiæ et

Individuum est nomen primæ et secundæ intentionis.

hypostasis præcise, ut habet negationem alterius. Nam in omni divisione, seu distinctione unius ab alio, si non formaliter, saltem consequenter includitur aliqua negatio. In omni siquidem divisione seu distinctione entis, præsertim finiti ab alio, reperitur virtus oppositionis contradictoriæ inter ens et non ens, ut recte observat S. Thomas comment. in Boëtium de Trinitate q. 4. art. 1. Quodlibet enim ens eatenus distinguitur ab alio, quatenus ipsum est vel habet aliquid, quod non est in alio, vel est aliquid in illo alio, quod non est in eo. Ex. gr. homo distinguitur ab arbore, quia in eo est essentia humanitatis, quæ non est in arbore, et vicissim in arbore est natura plantæ, quæ non est in homine : et sic de aliis. Igitur cum individuum realiter et positive sumptum sit ens in se indivisum, et divisum seu distinctum ab alio, et omnis divisio, omnisque ab alio distinctio complete sumpta vim habeat oppositionis contradictoriæ, cujus termini proprii sunt ens et non ens, propterea a parte rei et positive, et negative, sumi potest. Atque positive est ipsa realitas et portio entis, quam quælibet res habet a parte rei : negative autem est negatio, seu carentia perfectionis et realitatis, quam habet id a quo distinguitur, vel negatio suæ perfectionis in eo, a quo distinguitur.

Quid sit individuum positive ac realiter sumptum.

Quid negative.

Quid ut nomen secundæ intentionis.

4. INDIVIDUUM autem, ut nomen secundæ intentionis, positive est id, quod est prædicabile de uno, vel quod subest speciei, ex Porphyrio capite de specie. Negative autem est negatio universalitatis, seu id, quod non potest dividi in multa, nec prædicari de multis eo modo, quo universale.

S. Thomas.

EX QUIBUS intelligitur quod, cum S. Thomas q. 9. de pot. art. 3. ad 4. ait individuum esse negationem, illud accipit negative, vel solum vult esse negationem consecutive : quo etiam sensu 1. contra Gent. cap. 25. ait *esse per se* significare negationem, videlicet consecutive; quia ex eo quod aliquid sit ens per se, sequitur non esse in alio, ut accidens est in subjecto, vel pars in toto.

Individuum particulare singulare quo modo differant.

5. QUOD autem de nomine *individuum* dictum est, intellige etiam de *particulari et singulari* : quæ esse etiam nomina secundæ intentionis, ait S. Thomas q. 9. de pot. art. 2. ad secundum. Sunt enim tria hæc nomina hoc loco synonyma, et quatuor prædictis notionibus accipiuntur, hocque solum differunt, 1. quod *individuum* negativas, *particulare* autem et *singulare* positivas notiones magis præ se ferre videantur. 2. Quod *particulare* cum formaliter dicat esse partem subjectivam universalis, quod est

totum quoddam, est magis nomen secundæ intentionis, quam *singulare* aut *individuum*. 3. Quod, ut habet Ægidius Romanus in 3. dist. 5, *individuum* significet rem in ordine ad se, *singulare* vero eamdem significet cum quodam ordine et distinctione ab aliis ejusdem speciei et conditionis. Unde hominem vivendi, vel agendi modum a communi aliorum more diversum habentem nominamus singularem. Quibus explicatis

6. Dico 1. Quod prædictæ omnes *individui* rationes et notiones hypostasi ac personæ conveniunt. Probatur inductione. Quælibet enim persona est substantia individua in se indivisa, singularis, per se tota et distincta ab aliis : quælibet habet negationem alterius, et prædicatur de uno solo, habetque negationem prædicabilitatis de pluribus. Deinde quemadmodum, ut ait S. Thomas prima part. q. 3. art. 3. licet pluralitate excludatur solitudo, et unitate pluralitas, non tamen his nominibus hoc solum significatur; ut albedine excluditur nigredo, tamen nomine albedinis non significatur sola nigredinis exclusio; ita voce *individui* non sola significatur negatio communicationis et unionis cum alio sive realis, sive rationis, et prædicabilitatis de multis, sed etiam aliquid positivum, sive reale, nempe totalitas substantiæ, sive rationis, nempe prædicabilitas de uno.

Omnes individui notiones conveniunt personæ.

7. Adverte tamen quod, ex prædictis individui notionibus, duæ priores hypostasi et personæ intrinsecæ sunt : hoc tamen discrimine, quod prima sit ei essentialis, secunda accidentalis tantum; duæ vero posteriores eidem sint et accidentales et extrinsecæ. Præterea hoc etiam differunt, quod positivæ negativis, et reales iis quæ sunt rationis, natura quidem priores et notiores sint; contra vero negativæ positivis, et quæ secundæ intentionis iis, quæ primæ, priores et notiores nobis sint.

8. Dico 2. Quod si *individuum* in prædicta definitione sumatur in prima notione (I) realiter positive, quo sensu in ea sumi ait S. Thom. 3. parte q. 2. art. ad 3. et q. 16 art. 12. ad 2, *substantia individua* idem prorsus erit, quod substantia prima et distincta ab alia, vel substantia particularis tota et integra, vel substantia per se, aut naturæ terminus ultimus, quæ sunt definitiones hypostasis supra explicatæ : sicque intellecta prædicta definitio erit essentialis, et per prima intrinseca et quidditativa personæ attributa. Si vero *individuum* sumatur negative pro eo formaliter quod est non esse unum et idem cum alio, sive per simplicem identitatem,

Quo sensu definitio sit essentialis.

Quo accidentalis.

sive per conjunctionem realem prædicta definitio, erit descriptio per proprietatem, et per posteriora natura : hypostasim enim et personam non esse alteri junctam, natura posterius est ejus totalitate et perseitate. Nam omnis negatio posterior est natura positivo in quo fundatur. Prius enim est solem v. g. esse sydus, quod sua supra horizontem præsentia diem efficit, quam non esse lunam : et universim in omni quod distinguitur ab alio prius est esse, vel habere id quo distinguitur ab illo, quodque non est in eo a quo distinguitur, quam habere negationem ejus a quo distinguitur.

Quomodo sit tantum descriptio.

9. Dico 3. Quod si *individuum* accipiatur pro attributo secundæ intentionis, sive positivo, quod est esse prædicabile de uno, sive negativo, quod est non posse prædicari de multis, *substantia individua* erit tantum descriptio hypostasis et personæ per accidentia, eaque ipsi intrinseca. Ratio est, quia, cum hypostasis et persona sint entia realia; nullum ens rationis est de intrinseco eorum conceptu : cum sint positiva, imo summe perfecta, non modo in genere entis, cum sint substantiæ, sed in ipso etiam genere substantiæ (sunt enim substantiæ primæ totæ et integræ), nulla negatio potest esse de formali et quidditativa earum ratione : prædicta autem attributa sunt entia rationis, et eorum unum est negativum : igitur.

Persona de solis substantiis intellectivis dicitur.

10. Atque hactenus de voce *individua* in definitione personæ a Boëtio posita : cui tertio loco addit *naturæ rationalis,* eo quod persona, ut initio capitis dictum est, de solis substantiis et suppositis ratione, sive intelligentia præditis, ut de divinis, angelicis et humanis, dicatur : nihilque aliud, meo quidem judicio, vult S. Thomas, cum personam ab individuo distinguens 1. parte q. 9. art. 4. in corpore, dicit *individuum,* sive vagum, sive determinatum, *naturam communem cum modo essendi, qui competit singularibus ex parte naturæ significare; nomen autem* persona *non esse impositum ad significandum individuum ex parte naturæ, sed ad significandum rem subsistentem in tali natura,* hoc est in natura rationali et intellectiva.

Quid importet vox incommunicabilis.

11. Bonam autem esse hanc personæ sive definitionem, sive descriptionem eodem modo, iisdemque argumentis logicis probari potest, quibus supra probata est definitio hypostasis. Id solum hoc loco adnotandum, quod vox *incommunicabilis,* quæ a plerisque loco vocis *individua* in definitione hypostasis, vel personæ ponitur, eamdem prorsus vim habet, quam vox *individua* negative accepta,

importatque duplicem negationem paulo ante explicatam. Cum enim incommunicabile communicabili, et incommunicabilitas communicabilitati, ut affirmatio negationi opponatur; communicabilitas autem, seu communitas sit duplex : una realis, vel per identitatem, quo modo essentia divina communis est tribus Personis Divinis, vel per unionem et conjunctionem realem, quo modo partes continui sibi invicem in toto continuo, et partes essentiales in composito naturali, et humanitas ac Verbum in Christo realiter sibi invicem communicant : altera rationis tantum et logica, qua natura universalis dicitur communis pluribus, de quibus prædicatur; propterea necesse est incommunicabilitatem esse etiam duplicem : unam contradictorie oppositam, communicabilitati reali, alteram communicabilitati rationis, quæ ambæ insunt personæ et hypostasi, ut patet ex antedictis, et docet S. Thom. 3. part. q. 3. art. 1. ad 2. *Persona*, inquit, *dicitur incommunicabilis in quantum non potest de pluribus suppositis prædicari*. Igitur individuum et incommunicabile hoc loco idem significant.

Communicabilitas alia realis, alia rationis.

12. Qui autem vocem illam *incommunicabilis* definitioni personæ primus intexuit, fuit Richardus de S. Victore lib. 4. de Trinitate cap. 22., hac inductus ratione, quod Boëtiana definitio, essentiæ divinæ absolute, et per intellectum præcise a Personis Divinis sumptæ, (quo modo persona non est,) conveniat. Illa enim ut sic est substantia, et quidem individua, cum non sit universalis. Itaque personam, quatenus de divinis dicitur, existimavit sic melius definiri posse, *Persona Divina est naturæ divinæ incommunicabilis existentia :* quo essentia divina, quæ absolute sumpta est communicabilis tribus Personis Divinis, per vocem *incommunicabilis* a ratione personæ divinæ excluderetur.

A quo vox incommunicabilis est addita et cur?

13. Verum nihil videtur causæ esse, cur a Boëtii definitione recedatur, eo quod, ut a nobis explicata est et ab omnibus vulgo accipitur, Personis Divinis optime quadret. Quælibet enim Persona divina est substantia, quia est ens per se, et non in alio : est individua et singularis, hoc est tota, perfecta et re distincta ab alia, proindeque nullo modo communicata alteri, neque per identitatem, ut essentia divina ipsismet Personis Divinis, nec ut universale suis inferioribus, nec per modum partis, ut patet. Quælibet item est natura rationalis, seu intelligens.

Retinenda integra definitio Boëtii.

14. Deinde Richardus, ut notant Alensis 1. parte quæst. 59. memb. 3. et S. Thom. 1. part. q. 29. art. 3. ad 4. solam per-

Richardus a S. Victore.

sonam divinam definire voluit, posuitque *existentiam* loco *substantia* quod *substantia, substare vel subesse,* in divinis minus proprie dicatur : et quod existere, seu esse, Dei maxime proprium sit : *Ego sum, qui sum;* et, *Qui est misit me ad vos,* Exod. 3. Vocem autem *incommunicabilis* apposuit loco nominis *individua*, quod divisionem, aut etiam materiam principium individuationis, quæ in Deo non sunt, id nomen quodammodo insinuare putaret : cum tamen hic, non aliam vim habeat, quam eam, quæ inest voci *incommunicabilis*. Denique per *existentiam incommunicabilem,* Okam. inquit Okam in 1. dist. 23. q. unica, intellexit Richardus *omne illud quod non communicatur alteri, nec sicut pars, nec sicut constitutivum, nec sicut accidens, nec sicut sustentatum.* Itaqu Richardi definitio deterior est Boëtiana. idem Richardus Boëtii definitionem, tanquam bonam admitti libro citato capite 21. Ejusque definitio deterior videtur Boëtiana. Primo quod existentiam loco essentiæ vel substantiæ ponat; quæ licet in Deo idem sint etiam ratione, non tamen in rebus creatis. Secundo, quod ejus definitio solis Personis Divinis conveniat. Imo persona divina longe melius a S. Thoma et aliis definitur : *substantia divina, proprietate, seu relatione distincta;* quam per vocem negativam *incommunicabilis*. Tertio, quod in rigore sumpta ne quidem Divinis Personis conveniat, cum sint communicabiles, si non sibi invicem, saltem substantiis creatis, ideoque non sint absolute incommunicabiles : quod de individua substantia, prout idem est ac substantia, tota, integra, et summe perfecta, dici non potest.

Cur hypostasis et persona terminis negativis definiantur. **15.** Ex HACTENUS dictis facile est solvere rationem dubitandi, an hypostasis sit ens positivum an negativum, supra Cap. 5. positam, et assignare causam propter quam tam hypostasis quam persona, licet sint entia positiva et realia, nihilominus terminis negativis et secundæ intentionis definiantur. Ea enim duplex est. Prima ratio. Prima, quod omnis disciplina omnisque doctrina, atque adeo omnis definitio, sive descriptio, ex Philosopho 7. metaphys. tex. 10. debeat esse ex notioribus nobis; fit enim cognoscendi causa. Hypostasis autem seu personæ attributa negativa nobis, ut ante dictum est, notiora sunt positivis, in quibus fundantur; ut etiam, quæ secundæ intentionis, quia nobis sunt magis communia, magisque familiaria realibus ac primæ intentionis. Quam rationem S. Thomas. assignat S. Thomas 1. p. q. 29. art. 2. ad 3. et q. 9. de pot. art. 2. ad 5. *Quia,* inquit, *essentiales rerum differentiæ frequenter sunt*

ignotæ, et innominatæ, oportet uti differentiis accidentalibus loco substantialium, ex Philosopho supra. Et similiter nomina intentionum possunt accipi ad definiendum res, secundum quod accipiuntur, pro aliquibus nominibus rerum, quæ non sunt posita; et sic hoc nomen individuum *ponitur in definitione personæ ad designandum modum subsistendi, qui competit substantiis particularibus.*

Secunda ratio est, quod res simplices, cum in plures conceptus positivos et intrinsecos dissolvi nequeant, negativis et extrinsecis necessario explicari debent : hypostasis autem et persona, cum Deo et Angelis conveniant, res sunt ac termini simplices. Igitur, cum in duos conceptus intrinsecos et a se invicem præcisos resolvi nequeant; negativis et extrinsecis hoc est accidentalibus notificari debent. Quemadmodum igitur, cum substantia a Philosopho in Anteprædic. cap. 2. definitur ens in nullo subjecto; et substantia prima, quæ neque est in subjecto, nec dicitur de subjecto; non propterea inferri potest, eam esse ens negativum : aut cum causa ab eodem definitur id quod satisfacit quæstioni propter quid : et causa formalis, quod quid, aut ratio quidditatis rei, 5. Metaphys. text. 2; non propterea vult illa esse entia rationis, et pendere a nostra ratione : ita cum hypostasis vel persona definiuntur per nomina negationes vel intentiones rationis importantia, non potest ex eo inferri eas negationem vel intentionem rationis in suo conceptu formali includere. Secunda ratio.

16. Sed quod nulla negatio sit de conceptu essentiali et intrinseco personæ aut subsistentiæ, paulo post, nempe cap. 18., pluribus demonstrabitur. Nunc solum concludendum, quod cum quatuor hactenus expositæ hypostasis et personæ definitiones cum nostra consentiant, imo idem omnino, quod illa, licet obscurius, declarent, recte philosophanti, id certo argumento esse debet, eam optimam esse, et cæteris omnibus anteponendam. Cujus adhuc quo firmior, magisque invicta stet veritas, eaque lectoris animo magis illuceat, et tenacius adhærescat, quæ contra eam et alias fieri possent alicujus momenti objectiones, eæ nobis proponendæ et enodandæ sunt. Quod fiet sequenti capite.

CAPUT XVII.

Proponuntur, et solvuntur quædam objectiones contra superiores definitiones hypostasis, et personæ.

1. Quæ objectiones contra hypostasis sive personæ definitiones hactenus expositas fieri possunt, eæ a S. Thoma fere omnes et propositæ et solutæ sunt 1. p. q. 39. art. 1. et q. 9. de pot. art. 2. et 4. contra Gentes cap. 40 et 49. et alibi, e quibus eas tantum, quæ plus difficultatis, vel doctrinæ continent, hic referemus.

Objectio prima. Prima eaque logica talis est. Nullum singulare et individuum definitur, cum definitio sit universalium. Persona autem et hypostasis essentialiter sunt singulares. Sunt enim substantiæ primæ et individuæ, ut dictum est.

Responsio. **2.** Concessa majore, minor cum S. Thoma supra ad primum sic distinguenda est. *Individuum*, atque adeo persona et hypostasis, cum dupliciter accipi possit. Primo pro hoc vel illo determinato singulari, et persona, pro hac vel illa persona Petri vel Pauli. Secundo in universum pro communi ratione individui et personæ. Communis enim quædam ratio individui, ab omnibus individuis determinatis, et ratio communis substantiæ primæ, ab hac vel illa, et communis ratio personæ ab omnibus singularibus et determinatis personis æque abstrahi potest, atque abstrahitur ratio universalis a singulis universalibus, vel ratio communis hominis a singulis hominibus. Individuum, et hypostasis, et persona primo modo, ut est hæc, vel illa persona, est singulare, et definiri non potest; at secundo modo, ut dicit rationem individui, personæ, vel hypostasis omnibus individuis vel personis communem, definiri potest.

Individuum hypostasis et persona quomodo definiri possint et quomodo non.

Persona est terminus universalis in creatis, non in divinis. **3.** Circa quam hypostasis et personæ communitatem duo adnotanda sunt. Primum, personam, idemque est judicium de hypostasi, ita esse communem secundum rationem multis, ut in substantiis creatis sit terminus vere universalis ,cum de multis

prædicetur et in eis multiplicetur; non tamen in divinis, quia universale prædicatur de pluribus secundum esse differentibus. Personæ autem divinæ habent unum esse, unamque existentiam.

4. Secundum est. Personam in substantiis creatis ita esse universalem, ut tamen ejus communitas nec generis, nec speciei proprie sit, sed velut individui vagi. Unde ut individuum vagum ad speciem, aut ad alia prædicabilia reducitur; ita hypostasis et persona. Ad speciem quidem, quatenus in suo conceptu ipsam naturam et essentiam speciei includit, licet non vicissim hæc includat hypostasim. *Hypostasis enim est natura,* inquit Leontius lib. 1. contra Eutychianos et Nestorianos versus initium. *Natura autem jam non est hypostasis. Natura rationem essentiæ recipit, hypostasis rationem essentiæ per se.* Igitur hypostasis saltem ratione naturæ pertinebit ad prædicabile speciei, cum de multis in quid aliquo modo prædicetur. Nam ad quæstionem quid, ut notat S. Thomas q. 9. de Pot. art. 4. ad. 1, suppositum interdum respondetur; quid natat in aqua? piscis. Quid comburitur? lignum.

Persona universalis refertur partim ad speciem.

Leontius.

D. Thomas et 1. par. q. 29. a. 4. ad 4.

5. Ad quartum item, vel quintum prædicabile hypostasis et persona revocari possunt, quatenus de natura tum communi, tum particulari aliquo modo accidentaliter prædicantur; non tantum ratione attributorum, quæ eis accidentaliter insunt, v. g. non esse partem, non esse unitam alteri, sed etiam ratione totalitatis, perseitatis, et distinctionis actualis ab alio, quæ sunt de earum conceptu essentiali. Tum quia *id omne sine quo intellecto res intelligi potest secundum suam substantiam habet rationem accidentis*, inquit S. Thomas quæst. 7 de Potent. art. 4. ad. 8. Totalitas autem seu perseitas hypostasis est extra conceptum quidditativum naturæ, non solum communis, sed etiam individuæ, cum sit quidam ejus modus, non secus ac causa et effectus, totum et pars entis. Tum quia adesse et abesse potest a natura, sine ejus corruptione tam logica, quam physica, ut patet tum in humanitate Christi, quæ, unita Verbo, propria personalitate caret, quam haberet, si esset separata : tum in substantiis homogeneis, quæ hypostases sunt, cum sunt totæ; non sunt, cum sunt partes.

partim ad 4. vel 5. prædicabile

6. Ex quibus solvitur argumentum Capreoli a nobis supra c. 6. allatum, quo contendit hypostasim esse aliquid re diversum a natura : *Est enim,* inquit, *vel pars naturæ, vel ejus accidens, aut relativum, aut absolutum, aut ejus existentia.* Respondetur

Solvitur argumentum Capreoli.

enim non esse partem naturæ communis, sed ipsam totam naturam, eique præterea duo addere, nempe singularitatem, et totalitatem substantiæ, quorum neutrum est de ratione naturæ. Neque enim est de ejus conceptu, ut sit singularis, neque est de ratione naturæ singularis, ut sit tota rei substantia, cum et partes homogeneæ in toto et totalitatem naturæ et individuationem habeant; et humanitas in Christo sit natura humana singularis, nec tamen tam hæc, quam illæ sint hypostases. Cum igitur omne sine quo intellecto res intelligi potest secundum suam substantiam habeat rationem accidentis respectu illius, ut ait S. Thomas, loco paulo ante citato, propterea et singularitas et totalitas substantiæ rationem accidentis habent respectu naturæ. Itaque quod hypostasis naturæ addit, est accidens, non re, sed ratione tantum ab ea distinctum, illudque duplex, et utrumque absolutum. Unum quod ab ea a parte rei separari non potest, nempe individuatio; alterum quod separari potest, nempe totalitas substantiæ, ut declarabitur capite 23. Vide S. Thomam Quodlib. 2. q. 2. art. 4. ad. 1, ubi postquam præmonuit dupliciter posse aliquid accipi ut accidens, et extra essentiam ac definitionem rei : Primo ita ut sit designativum et determinativum essentiæ rei, vel alicujus ex principiis essentialibus illius, quò modo rationale accidit animali. Secundo ut non sit determinativum essentiæ rei, quo modo albedo accidit homini. *His* inquit, *quæ sunt composita ex materia et forma accidit aliquid præter rationem speciei existens utroque modo. Cum enim de ratione speciei humanæ sit, quod componatur ex anima et corpore, determinatio corporis et animæ est præter rationem speciei, et accidit homini, in quantum est homo quod sit ex hac anima, et ex hoc corpore. Accidunt etiam compositis ex materia et forma præter rationem speciei multa alia, quæ non sunt determinativa essentialium principiorum. Substantiis vero immaterialibus creatis accidunt quidem aliqua præter rationem speciei, quæ non sunt determinativa essentialium principiorum, ut dictum est; non tamen accidunt eis aliqua, quæ sunt determinativa essentiæ speciei, quia ipsa natura speciei non individuatur per materiam, sed per seipsam, etc.*

Quomodo hypostasis sit accidens naturæ.

Dupliciter aliquid dicitur accidens naturæ.

2. Objectio.

7. Secunda objectio. Si hypostasis sive persona est substantia; quotiescumque plures erunt hypostases, plures erunt substantiæ. Multiplicato enim definito, multiplicari debent genus et differentia definitionis. Si enim sunt plures homines, necessario sunt plura

animalia, et plura rationalia. In Deo autem sunt tres personæ et hypostases, et una tantum substantia. Igitur hypostasis non est substantia.

Hæc est nona objectio a S. Thoma proposita q. citata de Potentia, ad quam respondet substantiam dupliciter accipi; primo pro essentia : secundo pro hypostasi seu substantia individua. Primo modo; una est substantia in Deo secundo modo sunt tres. Sunt enim tria re distincta, quorum quodlibet est substantia individua. Addit tamen 1. p. q. 30. art. 1. ad 1. quod non consuevimus in Deo dicere tres substantias, propter nominis æquivocationem, ne intelligantur tres essentiæ. Licet enim in personis et suppositis creatis, tot sint essentiæ diversæ, quot hypostases, non tamen in Divinis; propterea sequela majoris est simpliciter falsa, si substantia in primo sensu accipiatur : in secundo vero sensu est vera; tot enim semper sunt substantiæ individuæ, quot hypostases. Vide quæ de voce *substantia* dicta sunt supra Cap. 2. Eadem objectio fieri potest contra primam hypostasis definitionem *substantia tota et integra.* In Deo enim, cum tres sint hypostases, tres etiam erunt substantiæ totæ et integræ. Quod omnino et sine scrupulo concedendum est : substantia nimirum, non pro essentia, sed pro hypostasi sumpta. Sic enim tres sunt in Deo substantiæ, ut in eo sunt tres res, tres perfectiones, tres personæ, quarum quælibet est tota et perfecta, imo infinite tota et perfecta, cum nulli quicquam adjici possit, quo fiat perfectior.

Responsio.

Tres sunt in divinis substantiæ totæ quomodo.

8. Tertia objectio. Essentia divina, absolute et per intellectum præcise a Personis Divinis sumpta, est substantia, non enim est accidens; est individua, quia non est universalis; estque rationalis seu intellectiva. Igitur erit persona, atque adeo erunt quatuor personæ in divinis.

3. Objectio.

Hæc est 12. objectio apud S. Thomam supra, ad quam respondet, quod cum *individuum* in definitione personæ positum sumatur pro eo quod non prædicatur de pluribus : essentia autem divina absolute sumpta prædicetur de tribus personis re distinctis, propterea non est persona, licet sit secundum rem individua. Adde, ex præcedenti capite, individuum in definitione personæ positum, sumi pro eo quod est per se, et secundum rem actu distinctum ab aliis ejusdem naturæ : essentia autem divina absolute sumpta, non est distincta a tribus Personis Di-

Responsio.

vinis, quia nulli earum est relative opposita, sed iis omnibus identificatur. Igitur ut sic præcise non est substantia individua.

4. Objectio. **9.** QUARTA objectio. Personæ definitio a Boëtio tradita, tota convenit naturæ humanæ in Christo existenti. Hæc enim est substantia, cum non sit accidens; est individua, quia non est universalis, nec dicitur de pluribus; est denique rationalis. Et tamen non est persona humana, cum in Christo unica sit persona Verbi Divini. Igitur prædicta definitio latius patet definito.

Responsio. Hoc UNUM est ex argumentis Gabrielis Vasquez. 3. part. disp. 31. cap. 2. num. 10. contra Henricum negantem subsistentiam re distingui a natura, quod a S. Thoma decies, vel etiam duodecies, ut minimum reperio propositum in variis locis, et toties solutum. Habetur enim 3. p. q. 2. art. 2. ad 3, et art. 5. ad 1. q. 16. art. 12. ad 2. et in corpore art. *Substantia individua* inquit, *quæ ponitur in definitione personæ, importat substantiam completam per se subsistentem separatim ab aliis; alioqui manus hominis posset dici persona, cum sit substantia quædam individua; quia tamen est substantia individua sicut in alio existens, non potest dici persona, et eadem ratione nec natura humana in Christo Domino.* Idem habet q. de unione Verbi art. 2. in corp. et ad 3. *Quia humana natura* inquit, *in Christo non per se separatim subsistit, sed existit in alio, nempe in hypostasi Verbi Dei, non quidem sicut accidens in subjecto, nec proprie sicut pars in toto, sed per ineffabilem assumptionem; ideo licet individuum dici possit aliquod vel particulare, vel singulare, non tamen potest dici hypostasis vel suppositum, sicut nec persona.* Idem habet q. 9. de pot. art. 2. ad 7, et 13. et art. 4. in corp., et 4. contra Gent. cap. 40, ubi ponit objectionem et solvit eodem, quo supra, modo cap. 49. Habet in 3. dist. 6. q. 1. art. 1. quæstiuncula 3. et quodlib. 9. q. 2. art. 1. et opuscul. 2. cap. 211, et Opusc. 3. cap. 6. ubi ita loquitur. *Si quis objiciat, quod cum humana natura in Christo Domino non sit accidens, sed substantia quædam, non autem universalis, sed particularis, quæ hypostasis dicitur, videtur consequi quod ipsa humana natura in Christo hypostasis quædam sit præter hypostasim Dei Verbi, et sic in Christo erunt duæ hypostases. Considerare debet qui sic objicit, quod non omnis substantia particularis hypostasis dicitur, sed solum illa, quæ ab aliquo principaliori non habetur. Manus enim hominis substan-*

Quomodo, et quam sæpe soluta sit hæc objectio a S. Thomas.

tia est quædam particularis, non tamen potest dici hypostasis vel persona, quia habetur a principaliori, quod est homo : alioqui in homine tot essent hypostases et personæ, quot membra vel partes. Humana ergo natura in Christo Domino non est accidens, sed substantia; non universalis, sed particularis; nec tamen hypostasis dici potest, quia assumitur a principaliore, scilicet a Dei Verbo. Hactenus sanctus Doctor.

10. Quinta objectio. Si hypostasis est substantia tota et integra, mutata ejusmodi totalitate, vel minimæ particulæ substantiæ adjectione aut detractione, ut quotidie fit in substantiis naturalibus, alia erit hypostasis, aliudve suppositum : hoc autem videtur absurdum. 5. Objectio.

Concessa sequela majoris, negatur minor. Vel clarius ac distinctius responderi potest ; et totum, et suppositum dupliciter aliud seu diversum esse posse; vel simpliciter, ut suppositum solis et lunæ, Petri et Pauli, cum nimirum substantia aliqua particularis vel totaliter, vel saltem maxima aut nobiliori parte diversa est ab altera substantia; vel secundum quid tantum, ratione alicujus particulæ substantialis additæ aut detractæ substantiæ particulari, ut dolium vini cum guttula aliqua ei addita vel detracta est. Primo modo suppositum erit diversum, neganda sequela majoris; secundo modo erit, concedenda. Erit enim suppositum diversum, eo modo quo vivens cum augetur, vel puer a seipso viro alius esse dicitur. Responsio.

11. Objicitur sexto Sanctos Patres hypostasim non raro definire naturam cum accidentibus et proprietatibus, quas proprietates alii hypostaticas, alii characteristicas, alii ὁριστικὰς vocant; igitur non tantum substantia, sed etiam accidentia sunt de ratione hypostasis. 6. Objectio.

Respondeo re vera hypostasim sic definire SS. Patres, hoc tamen loquendi modo non significari dictas proprietates esse de ipsa intrinseca ratione hypostasis, aut illam intrinsece sive materialiter, sive formaliter constituere; hoc enim fieri non potest; quia cum hypostasis sit substantia, per accidentia constitui non potest; sed tantum velle dictas proprietates concomitanter solum se habere ad hypostasim, easque esse notas, et signa, quibus unam hypostasim aut personam ab alia distinguimus, quod patet ex Damascen. lib. 3. de fide orthod. c. 6. ubi ita loquitur. *Accidentia sunt propriæ et certæ notæ, quibus non natura, sed persona designatur, si quidem persona ita definiri* Responsio. Damascenus.

solet, ut sit essentia eum accidentibus copulata et libro de duabus Christi voluntatibus : *Proprietates,* inquit, *hypostaticæ hypostases, id est, res singulas distinctas declarant.* Itaque quemadmodum, cum Porphyrius, cap. de specie, individuum definit *quod consistit ex proprietatibus, quarum collectio nunquam in alio eadem erit;* non propterea vult illas proprietates et accidentia esse de ratione intrinseca individui, sed solum ejus esse notas et signa. Aut, sicut in sententia S. Thomæ quantitas est principium individuationis substantiæ materialis non intrinsecum quasi ipsum componat (sic enim a sola materia et forma ex quibus componitur intrinsece individuatur), sed vel concomitanter solum, ut pote sine qua substantia materialis nequit esse individua et separabilis ab alia, vel saltem quia est signum diversitatis numericæ ab alia; ita prædictæ proprietates personales collective et simul sumptæ concomitanter se habent ad unamquamque personam, et diversa earum collectio naturaliter signum est diversitatis suppositorum. Dixi, naturaliter, quia supernaturaliter aliter esse potest. Si enim Verbum Divinum assumeret plures humanitates, quælibet suas proprietates, suas facultates, habitus, sensus, suam quantitatem, figuram, locum, et cætera accidentia retineret, nec tamen propterea essent diversæ personæ, sed una Verbi Divini persona, quemadmodum in triduo mortis Christi, ejus corpus et anima ab invicem separata, Verbo tamen unita, una erant persona, unumque suppositum divinum : et similiter ejus in cruce pendentis sanguis in terram defluens, a corpore quidem, non tamen a Verbo separatus, tametsi sua propria retineret accidentia, ab accidentibus corporis Christi actu distincta, idem erat suppositum cum corpore Christi, quia uni et eidem Verbo Divino substantialiter erant conjuncta.

Uno verbo dici potest prædictis definitionibus SS. Patres definire suppositum late, non stricte sumptum.

7. Objectio. **12.** Septimo. Si quis objiciat, quod nec una duarum, nec duæ ejusdem rei possunt esse definitiones 7. topic. c. 4; nos autem hypostasis non unam, sed quinque retulimus et probavimus definitiones; igitur vel omnes, vel quatuor, vel saltem aliquæ

Responsio. repudiandæ sunt : distinguenda erit major,. et dicendum quod unius rei una tantum est definitio quoad rem significatam et definitam, quia cujusque rei una est essentia; at quoad modum definiendi et quoad terminos potest esse non una, sed multi-

plex, cum idem variis terminis explicari et significari possit. Igitur, ut *animal rationale, et substantia ex corpore et anima rationali composita* et una, et plures sunt definitiones; ita et plures allatæ sunt hypostasis definitiones. Vel secundo responderi potest unius rei unam esse definitionem essentialem; plures autem esse accidentales, quas descriptiones vocant; tales autem esse posse quasdam ex prædictis definitionibus hypostasis, prout nonnulli earum termini, præsertim *individuum et incommunicabile* diversimode sumuntur, ut constat ex dictis capite præcedenti. Reliquæ objectiones videantur apud S. Thomam locis citatis.

Altera responsio.

CAPUT XVIII.

Quod nulla negatio sit de ratione intrinseca hypostasis et personæ.

1. Quod polliciti sumus cap. 5. id nunc præstandum, solvendaque est quæstio : *An hypostasis seu personæ ratio formalis adæquate sumpta sit positiva, an partim positiva, partim negativa.* Nam qui puram vel negationem vel privationem esse dicat, nullus reperitur. Cujus quæstionis solutio tametsi, ex traditis et probatis hypostasis definitionibus, nobis perfacilis sit; eam nihilominus paulo uberius tractabimus, tum quod non levis sit momenti, tum quod et multos et nobiles in theologia et philosophia utraque pars habeat defensores.

2. Prima sententia est affirmans, quam tuetur Scotus in 3. dist. 1. q. 1. n. 9. qui ubi præmisit neque viam illam, quæ suppositum et personam compleri ait per aliquid positivum, nec eam, quæ vult compleri per solam negationem dependentiæ ad personam extrinsecam, quia anima separata esset persona, sibi plene satisfacere, hæc subjungit. *Distinguendum est inter dependentiam actualem, potentialem, et aptitudinalem, et hoc vocando aptitudinalem, quæ semper quantum est de se, esset in actu, quomodo grave aptum natum est esse in centro, ubi semper esset quantum est de se, nisi esset impeditum : et potentialem voco absolute illam, ubi nulla est impossibilitas ex repugnantia, vel incompossibilitate terminorum, et ita possibilitas potest esse quan-*

1. Sententia affirmans.

Scotus.

doque respectu potentiæ activæ supernaturalis, non tamen naturalis. Licet igitur sola negatio dependentiæ actualis non sufficiat ad rationem personæ; neque independentia tertia posset poni in natura creata ad Verbum. Nulla enim est natura, vel entitas creata, cui repugnet contradictorie dependere ad Verbum. Tamen negatio dependentiæ aptitudinalis potest concedi in natura creata personata in se ad Verbum. Alioquin violenter quiesceret in persona creata, sicut lapis violenter quiescit sursum; et ita ista negatio, scilicet non dependentia, non quidem actualis tantum, sed etiam aptitudinalis talis complet rationem personæ in natura intellectuali, et suppositi in alia natura creata, etc. Hanc doctrinam Scoti, ut apparet, satis intricatam, nec a se, ut ipsemet admonet, assertive traditam, ejus tamen discipuli mordicus tenent et acerrime tuentur, uno aut altero excepto, ut Lycheto in 3. Dist. 1. q. 1. qui tamen eam judicat probabilem.

Scotus vult negatione actuali et aptitudinali compleri rationem suppositi.

3. Secunda sententia negat ullam negationem esse de ratione et conceptu formali hypostasis aut personæ. Quæ est sancti Thomæ 1. p. q. 30. art. 4. *Nomen persona,* inquit, *nec nomen est negationis, nec intentionis, sed rei.* Et q. 9. de Potentia a. 2. ad 2. *Persona, nec est nomen intentionis, nec rei et intentionis simul, sed rei tantum.* Et Opusc. 2. sæpe a nobis citato, ubi docet, quod hypostasis et suppositum dicunt aliquid integrum et perfectum. Eamdem sententiam defendunt Thomistæ omnes, tam qui id positivum, quod suppositum addit naturæ, putant re distingui ab ea, quam qui non distinguunt, aliique plurimi, quos videre est apud Didacum Ruiz, de Trinitate disput. 32. sect. 5. conclus. 2. Quam, ut verissimam, confirmabimus, ubi diligenter adnotatum fuerit plerosque theologos, tam primæ, quam secundæ sententiæ patronos, existimare hypostasim esse quid mere positivum, et esse formam, vel modum, vel existentiam a parte rei realiter seu modaliter a natura diversam, aut idem esse, aut unum ex alio necessario sequi.

2. Sententia negans est sancti Thoma.

Nota.

4. In quo vehementer falluntur. Etsi enim, si hypostasis naturæ addit tantum negationem, recte sequatur, quod ab ea nec realiter, nec modaliter distinguitur; non tamen e contra sequitur quod, si est quid omnino positivum, nullamque negationem essentialiter involvit, debet esse forma aut modus a parte rei a natura diversus; tum quia et differentia generi, et potentiæ ipsi animæ, et aptitudo ad formas accidentales materiæ primæ, et relatio fundamento, et

Hypostasim esse quid positivum et re distingui a natura non est idem.

figura quantitati, et actio suo termino, addunt aliquid positivum; nec tamen, ex rei veritate, et ex multorum de dictis theologis sententia, quod addunt, ab eo cui addunt, re aut modaliter differt. Igitur, si quod addit hypostasis naturæ est positivum, non inde sequitur, illud a natura a parte rei differe, etiamsi ab illa a parte rei quodammodo separetur, ut pluribus postea ostendemus : tum quia persona addit hypostasi aliquid positivum, ab ea re non distinctum : tum quia suppositum a natura S. Thomas ratione tantum distinguit, ut ostensum est, supra capite 7. cum tamen defendat esse quid positivum. Sed de indistinctione reali, sive modali suppositi a natura pluribus agemus postea. Nunc

5. Dico primo *nullam omnino negationem hypostasi essentialem esse, nullam includi in conceptu formali personæ.*

Nulla negatio est de conceptu hypostasis.

Probatur primo, quia hypostasis, ex definitionibus a nobis supra positis, aliud nihil est quam substantia prima, tota, integra, vel terminus et complementum ultimum naturæ, vel ens per se, et substantia individua actu distincta ab alia. Ex his autem terminis in sua ratione negationem nullus involvit. Non *substantia*, ut omnes concedunt, et per se patet. Nec *substantia prima et singularis*. Hæc enim, ex philosopho in prædicam. cap: de substantia, maxime principaliter et propriissime est substantia, et 7. Metaph. t. 4. est entium omnium, ratione, cognitione, tempore, et natura primum. Neque ratio *totius et integri*. Hæc enim non negationem, sed summam rei perfectionem, et partium omnium ex quibus componitur præsentiam et unionem dicit. Neque ratio *complementi et perfecti,* nihil enim negatione, aut privatione completur et perficitur. Neque ratio *entis per se,* tum quia, si esse in alio est quid positivum, multo magis esse per se; tum quia, cum perseitas suppositi, ut declaratum est supra cap. 14. sit triplex, una opposita accidenti, altera universali, tertia parti, nulla ex iis negationem includit. Neque *ut substantia distincta,* quia omnis vera et realis distinctio est per aliquid positivum, ut pluribus ostendetur infra cap. 20. sub finem. Nec denique negationem involvit, ut *substantia individua.* Cum enim hæc vox tribus modis hic sumi possit, nempe ut dicit singularitatem, distinctionem et incommunicabilitatem, nullam dicit negationem primo et secundo modo, ut jam probatum est, tertio autem modo, licet dicat, hæc tamen non est de ratione hypostasis, sed tantum aliquid consequens, ut ostendimus supra cap. 16.

1. Argumentum.

2. Argumentum.

6. PROBATUR secundo. Esse, habere, et agere, proprie sunt hypostasis et suppositi; nulla autem negatio essendi vel habendi, et possidendi quicquam, vel agendi ratio, conditio, aut principium per se esse potest.

3. Argumentum.

7. PROBATUR tertio. Hypostases cum aliæ sint creatæ, aliæ increatæ, harum nulla negationem in ratione sua intrinseca involvit. Non increatæ; quælibet enim ex essentia divina et relatione integratur et constituitur; igitur nullus in ea est negationi locus. Nam essentia divina cum sit infinitæ perfectionis, habet quidquid est entitatis, bonitatis, et ut loquitur commentator, nobilitatis in rebus omnibus creatis, et, ut docet S. Thomas 1. p. q. 4. art. 2. et alibi sæpè, non solum genericam et specificam, sed etiam individualem ac numericam cujusque entis perfectionem modo quodam eminentiori continet, ideoque nullius entis aut perfectionis negationem habet, ac non ens, ut ait Bonaventura, est in plena fuga a Deo. Neque ulla item negatio est de conceptu formali hypostasis creatæ; quia cum creatura quælibet, non modo sit finitæ perfectionis, sed, si portio ac particula entitatis quam possidet, ad eas quas non habet comparetur, pene sit nulla, ideoque multo plus habeat de non ente, quam de ente, nullius tamen negatio est de conceptu formali, et quidditativo alterius. Unde nulla per negationem alterius definitur, tanquam per aliquid sibi essentiale.

Nulla negatio est de essentia ullius creaturæ.

4. Argumentum.

8. PROBATUR quarto. Cum in qualibet hypostasi et persona creata multæ sint negationes, ut *non esse accidens, non esse universale, non esse partem,* seu, quod idem est, non esse in alio per modum accidentis, universalis, partis, aut imperfectæ substantiæ in nobiliori et perfectiori, nulla ex his est de ratione formali hypostasis, quia quælibet ex illis posterior est ipsâ formali ratione hypostasis completa, et in aliqua ejus perfectione fundatur. Hypostasis enim est non accidens, quia est substantia; est non universalis, quia singularis; non est pars, nec alteri communicata, quia est substantia tota et integra : ideoque hypostasis ad prædictas negationes se habet, sicut non esse brutum, ad hominem; non esse lapidem ad lignum, et, ut supra dictum est, per hujusmodi negationes definitur, tanquam per ejus proprietates nobis notiores.

5. Argumentum.

9. QUINTO sicut esse optimum, et maximum in Deo summa est perfectio et esse doctissimum, ditissimum, et similia attributa superlativa, quæ perfectionem realem et positivam, imo perfectionis excellentiam important, licet vulgo negatione melioris, majoris

doctioris, et ditioris explicentur, nullam tamen in sua ratione intrinseca includunt negationem; ita hypostasis et persona, licet negatione unionis et communicationis cum alio explicentur, non propterea talis negatio erit de earum ratione intrinseca.

10. Sexto ut argumentatur Cajetanus, tam nomina singularium personarum, *Petrus, Paulus* et similia, quam pronomina demonstrativa *ego, tu, hic, ille, iste,* præfixa nominibus propriis naturarum, ut hic homo, ille equus, iste canis, quæ hypostases seu personas determinate designant, ex communi hominum usu ac sensu, non negationem, sed quid positivum, et ens ac substantiam per se subsistentem significant. 6. Argumentum.

11. Porro sunt qui idipsum probent ex eo, quod suppositum sit in categoria substantiæ; nulla autem res sit in categoria per negationem, et nulla substantia negatione contrahitur. Quorumdam argumentum rejicitur.

Verum istud argumentum valde infirmum est, quia hypostasis et suppositum est in categoria, non præcisè ratione ejus quod addit naturæ, sive sit positivum, sive negativum, sed quatenus participat rationem substantiæ : alioquin humanitas Christi non esset in categoria substantiæ. In ea enim non est ratione suppositi proprii, cum non sit persona humana, nec Divini; cum hoc non sit in categoria substantiæ. Deinde qui ita argumentantur, illud positivum, quod hypostasis addit naturæ, volunt esse vel existentiam, vel modum aliquem ab ea re diversum : iidem autem defendunt, nec existentiam, nec ullius rei modum directe esse in categoria, sed solum reductitie, quod Scotus de sua negatione dicere posset. Omnis enim negatio, omnisque privatio ad eam categoriam reducitur, in qua est id, cujus est negatio. S. Thomas. 1. p. q. 33 a. 4. ad 3.

12. Sed multo levius est argumentum Suaris, tomo 1. suæ Metaphys. disput. 34. sect. 2. num. 17. quod si suppositum addit naturæ solam negationem, poterit assumi a Deo in unitatem personæ, contra id quod supponunt Concilia, Sancti Patres, et theologi. *Ut enim,* inquit, *quia tenebræ nihil addunt aeri, nisi negationem luminis, propterea vera est hæc propositio, aer tenebrosus illuminari potest : ita si suppositum est tantum natura cum negatione, verum erit hanc dicere personam ac suppositum creatum posse assumi.* Argumentum Suaris.

Neganda enim est sequela antecedentis, cum Gab. Vasquez 3. p. disp. 31. c. 2. num. 13. imo contrarium plane inferendum fuit. Cum enim negatio unionis cum Verbo incompossibilis sit cum Nullum est

ipsa unione, illique opponatur contradictorie, si est de ratione suppositi, impossibile erit ullum suppositum assumi a Verbo, eique uniri. Ejusmodi enim unione non assumeretur, sed necessario destrueretur ratio suppositi creati. Quod manifeste probatur illo ipso exemplo a Suare allato. Sicut enim aer tenebrosus suam retinens privationem luminis, illuminari nullo modo potest, et hæc propositio, *aer tenebrosus illuminari potest* in sensu composito et falsa et impossibilis est, licet in sensu diviso sit vera, quia aer, qui tenebrosus est, potest recipere lumen, cujus præsentia diffugiunt tenebræ : ita, si suppositum addit negationem communicationis cum alio, prorsus impossibile erit ipsum uniri alteri, et assumi ab alio in unitatem hypostasis, cum illa ipsa unione et assumptione destruatur seu excludatur illa negatio, quam dicit Scotus esse de ratione intrinseca suppositi.

incommunicabilitas est proprietas hypostasis.

13. Dico Secundo *quod ex omnibus negationibus, quæ hypostasi et personæ insunt, ea sola illi per se primo, et per modum proprietatis inest, qua dicitur esse non pars, seu incommunicabilis per modum partis.*

Probatur 1. quia hæc sola illi inest, qua hypostasis, sola, quæ rationem totius, quæ est quasi differentia ultima et specifica hypostasis, tam necessario, et immediate sequitur, quam non esse accidens rationem substantiæ.

2. Quia ab ea est omnino inseparabilis. Hypostasis enim licet qua substantia non sit incommunicabilis alteri, per modum partis, est tamen qua suppositum.

3. Quia aliæ negationes v. g. non esse accidens, non esse in multis, insunt non suppositis et partibus, ut animæ rationali sive separatæ, sive unitæ corpori.

14. 4. Quia negatio unionis cum alio, seu esse incommunicabile alteri, nisi per modum partis id intelligatur, non est proprietas hypostasis, cum Personis Divinis, atque adeo non omni hypostasi conveniat; nam persona Verbi in Christo unita et communicata humanitati persona esse non desinit, quia non communicatur ei per modum partis. Humanitas contra, quia est in Christo et in Verbo, ut pars in toto, non est persona humana, ut docent Sancti Patres,

Theodorus Abucara.

et diserte habet Theodorus Abucara Episcopus Cariæ Dialog. 2. contra Acephalos disput. 39. *Est,* inquit, *aliquid, quod dicitur hypostasis, et est aliquid, quod dicitur hypostaticum. Et commune utrique est, componi ex natura et proprietatibus. Differunt ta-*

men, quia hypostasis non est pars alicujus, hypostaticum vero pars est, v. g. Petrus non est pars alicujus, quare hypostasis, corpus autem pars Petri, quare hypostaticum, et non hypostasis Petri corpus, quamvis natura cum proprietatibus. Sed non satis est esse compositam naturam cum proprietatibus ad generationem hypostasis, sed oportet convenire ad hoc non esse partem. Quia igitur pars Christi est assumptum corpus animatum, idcirco non est hypostasis, sed hypostaticum. Hæc ille.

Modus loquendi Scoti reprehenditur.

15. Cæterum ad pleniorem nostræ hujus doctrinæ confirmationem juverit hoc loco admonere, quam improprie et parum apposite suam illam Scotus negationem, sive unam, sive duplicem, quam vult esse de ratione suppositi, vocet independentiam, et ostendere quod suis illis negationibus, naturam et rationem hypostasis et suppositi obvolvat potius et obscuret, quam evolvat et illustret. Etenim omne totum a suis partibus, et omne suppositum creatum, a suis causis, tam extrinsecis, efficiente et finali, quam intrinsecis, materia et forma, si est materiale, pendet; igitur nullum absolute dici potest independens.

16. Deinde, cum negatio non nisi per oppositam affirmationem cognoscatur, independentia autem sit negatio dependentiæ; hac ignorata, vel non declarata sufficienter, independentiam suppositi ignorari necesse est. Eam autem Scotus, nec sua divisione in actualem, potentialem et aptitudinalem, nec cujusque definitione, nec allatis exemplis, quantum satis est, declarat et exponit, cum ejusmodi divisio cuilibet rerum et causarum generi conveniat. Est enim dependentia effectiva, v. g. quædam actualis, quædam aptitudinalis, alia obedientialis, seu causa efficiens; alia est actu, alia potentia tantum vel naturali, vel obedientiali. Igitur quæ præcise independentia conveniat supposito clare dicendum et determinandum fuit : alioquin indeterminatio hæc confusionem et errorem parit.

Alius modus loquendi reprehenditur.

17. Dicet aliquis Scotum per independentiam intellexisse negationem unionis et communicationis cum alia sive substantia, sive hypostasi. At quanto melius et brevius id expressisset ut Richardus, voce *incommunicabilitatis*, quæ una simul et actualem, et aptitudinalem unionem excludit a supposito. Et longe adhuc clarius per negationem partis. Nam suppositum esse independens, (si hac nomenclatura utendum) aliud nihil est, quam ipsum non esse partem, nec in alio more partis, seu non ha-

Quid nomine independentiæ intelligendum sit.

bere dependentias, imperfectiones, et habitudines partis ad totum, quas recensuimus supra cap. 12. num. 9.

Negatione sustentationis non recte declaratur ratio hypostasis

18. Dicet alius Scotum ibid. num. 3. aperte significare suppositum esse independens ab alio, tanquam a *sustentante*. Omnino id dicit, et est ille loquendi modus satis frequens apud nonnullos theologos, qui humanitatem Christi carere dicunt subsistentia propria, quod sustentetur a Verbo. Verum quid proprie sit illa *sustentatio*, et in quo præcise sita sit, eorum nullus, quod sciam, hactenus liquide exposuit, et Incarnationis rationem ac carentiam personalitatis humanæ in Christo per sustentationem, nec SS. Patres, nec D. Thomas unquam declararunt. Ipseque Scotus ibidem, rem explicatu perdifficilem esse ingenue fatetur. Ac ejus declarandæ causa, falso ac sine fundamento accidentis a suo subjecto duplicem distinguit dependentiam.

Refellitur Scoti distinctio.

19. Unam *informationis* quæ connotat imperfectionem et potentialitatem in subjecto. Alteram *posterioris naturaliter ad prius*, non tamen ut a causa, quæ nullam dicit imperfectionem. Nam omnis vera dependentia ab aliquo, ab eo est tanquam a causa, vel habente rationem causæ : igitur nulla est, tanquam a non causa. Deinde subjectum non sustentat accidens, nisi per modum causæ materialis, et ratione suæ potentiæ passivæ. Hoc enim differt ab efficiente, et a potentia activa; igitur secunda sustentatio ac dependentia accidentis semper est cum imperfectione subjecti, imo omnino eadem cum prima.

Adde quod comparatio Verbi ad humanitatem, cum subjecto sustentante accidens, valde abusiva est, et inverso modo fieri debet, cum Verbum Divinum in Christo rationem formæ potius habeat, humanitas rationem materiæ. Hæc enim ad illud se habet, ut pars ad totum, imperfectum ad perfectum, contentum ad continens. Totum autem ad partem habet rationem formæ 2. Phys. text. 31. et continens ad contentum lib. 4. de cœlo text. 23.

20. Igitur humanitas Christi subsistit in Verbo, non propter ullam ab eo sustentationem, qualem dicunt plerique, sed solum, quia in eo, et in Christo est, ut pars in toto, ut imperfecta substantia in perfectissima : et quia cum a Verbo Divino assumpta sit in unitatem suæ personæ, est quædam ejus natura, ut cum S. Thoma, dicemus infra cap. 27. et testatur diserte S. Leo Epist. 10. ad Flavianum his verbis. *Non enim superare possemus peccati et mortis auctorem, nisi naturam nostram ille susciperet,*

S. Leo.

et SUAM faceret. Itaque tam ipsa, quam omnes ejus partes, potentiæ, sensus, vires, motus, actiones, et passiones Verbi Divini sunt, modo quodam peculiari, quo non sunt Patris, aut Spiritus Sancti, cum ab illo habeatur ac regatur, ut pars a toto, manus ab anima.

Unde orta de substentatione opinio.

21. Ad extremum hæc de Verbo humanitatem sustentante, et universim de supposito quasi aliquid sustentante, vel opinio, vel loquendi ratio, orta videtur ex ipsis nominibus hypostasis, subsistentiæ ac suppositi, quæ subjectionem quamdam, ac sustentationem alterius insinuant. Verum, ut sæpe monet S. Thomas, aliud plerumque est etymologia nominis, aliud propria ejus significatio, et id, ad quod significandum nomen imponitur, sæpe est diversum ab eo unde hoc ducitur. Nominantur enim res prout cognoscuntur. Sæpe autem ex proprietate, aut ex accidente aliquo notiores sunt, quam ex sua propria natura. Lapis a lædendo pede dicitur, quod tamen non significat, alioquin ferrum pedem lædens, esset lapis. Itaque licet hypostasis et suppositi nomina a subjectione et sustentatione, qua supposita creata, et logice subsunt secundis substantiis, et physice etiam accidentibus, trahantur; non tamen hæc propria est eorum vis ac significatio, nec essentialis ratio suppositi, sed quædam solum substantiæ creatæ proprietas, et quoddam accidens suppositi creati : unde et non suppositis videlicet partibus convenit. Quod accidens, cum adjunctam habeat imperfectionem, dicatque potentiam passivam et perfectibilitatem ab alio, hypostasibus et Personis Divinis nullo modo convenire potest.

Quare nulla in hypostasi, persona, aut supposito cogitanda est independentia ab alio, tanquam a sustentante; nulla negatio dependentiæ, nisi ejus, qua pars a toto pendere, teneri, contineri, ac sustineri dicitur, quæ aliud nihil est, quam suppositum nullius esse partem, idque, ut diximus, solum est proprietas quædam negativa suppositi, rationem totius illi essentialem immediate et necessario consequens.

CAPUT XIX.

Hypostasim esse quid non solum positivum, sed etiam maxime perfectum in ratione entis, et substantiæ.

1. Argumentum. **1.** Rationem hypostasis non modo positivam esse, et nihil negationis habere, sed insuper in genere entis et substantiæ summe perfectam esse patet. Primo quia hypostasis aliud nihil est, quam substantia prima, tota, et suppositum, ex sua ratione intrinseca, est aliquid integrum. Totum autem et perfectum, aut idem sunt, aut natura proxima, 3. Phys. text. 64. *integrum et perfectum sunt idem,* inquit S. Thomas text. 1. in cap. 2. Dionysii de divinis nominibus, *et totalitas, integritas, complementum, seu completio idem quod perfectio,* et 1. p. q. 48. art. 5. *Actus,* inquit, *est duplex, primus et secundus : actus quidem primus, est forma et integritas rei : actus autem secundus est operatio.*

2. Argumentum. **2.** Secundo quia esse, habere, et agere sunt entis positivi et perfecti; esse quidem, quia proprie est totius non partis, ut præclare docet S. Thomas Opusc. de opposit. cap. 4. tum quia totius est, non partium, fieri et generari; tum quia partes in toto sunt tantum potentia, et non actu, nec tam sunt id quod est, quam id quo aliquid est : et quia quod sunt, alterius, id est, totius gratia sunt, ut dictum est, supra cap. 12. Habere quoque ejus est, quod est in quaque re præstantissimum. *Quando* enim, inquit S. Thomas Opusc. 3. contra Græcos et Armenos c. 6. *plura simul concurrunt, et in uno aliquo conjunguntur, id quod est principalius et dignius, dicitur habere reliqua omnia, et hæc ab illo haberi.* Agere item ejus est, quod proprie est, et dare esse ei maxime competit, quod maxime est. Hypostasis autem et suppositi est esse, habere, et agere, cum *actiones sint suppositorum* 1. Metaphys. cap. 1. et essentia proprie non habeat esse, sed suppositum. Igitur, ut habet S. Thomas q. de unione Verbi art. 2. ad 3. ad *rationem hypostasis vel suppositi non sufficit quod aliquid sit particulare in genere substantiæ, sed ulterius requiritur, quod sit perfectum, et in se subsistens.*

3. Tertio ita docent SS. Patres, et scriptores Ecclesiastici, ut Paschasius Romanæ Ecclesiæ Diaconus lib. 2. de Spiritu sancto contra Macedonium cap. 4. *In Deo,* inquit, *et homine gemina quidem substantia, sed non gemina persona est : quia persona personam consumere potest, substantia vero substantiam consumere non potest. Si quidem persona res juris est,* (id est dignitatis et excellentiæ) *substantia res naturæ.* 3. Argumentum.

4. Perfectio autem realis et positiva, quam hypostasis in sua propria et adæquata ratione includit, alia non est, quam totalitas, et integritas substantialis, eaque entis soliditas et perfectio, quæ inest substantiæ primæ et toti triplicis entis, ut diximus cap. 14. nempe accidentis, universalis, et partis imperfectioni, opposita. Nam cum accidens natura sua sit entis ens, et ens adeo debile, et infirmum, ut per se stare nequeat, cum secundæ item et universales substantiæ in primis tantum, et per primas subsistant, hisque sublatis pereant; cum denique pars sive essentialis, sive integrans, sit in alio, nempe in toto, imo sit totius gratia, nec sui juris, et ut ait S. Thomas Opusc. 2. cap. 211. *partes cum accidentibus habeant aliquid commune scilicet, quod per se non existunt, sed in aliis insunt, licet secundum modum diversum :* propterea perfectio hypostasis in eo consistit, ut sit ens per se, et non in alio, nec ut accidens in subjecto, nec ut secundæ substantiæ in primis, nec ut partes in toto; sed substantia prima, tota, et integra, per se independens, suique juris, et præterea habeat perfectionem rationis et intelligentiæ, si est persona. In quo consistat perfectio hypostasis.

5. Notandum tamen, quod licet esse per se, suique juris, cæteris paribus, melius; et perfectius sit, quam esse alterius, et esse in alio sui generis et ordinis, ac eo modo, quo partes sunt in toto, atque adeo hypostasis propria ad quandam rei dignitatem pertineat; tamen ut notat S. Thomas. 3. p. q. 2. art. 2. ad 2. melius et perfectius est, esse in alio se perfectiori, quam esse per se; et dignius est, esse partem alterius perfectioris, quam esse totum; ac nobilius, est subsistere hypostasi et personalitate excellentiori aliena, quam propria. *Dignius,* inquit, *est alicui, quod existat in aliquo se digniori, quam quod existat per se : et ideo ex hoc ipso humana natura dignior est in Christo, quam in nobis; quod in nobis, quasi per se existens, propriam personalitatem habet; in Christo autem existit in persona Verbi : sicut esse completivum speciei pertinet ad dignitatem formæ, tamen sensitivum nobilius est in* Quod aliquando sit perfectius esse in alio quam in se. S. Thomas.

homine, propter conjunctionem ad nobiliorem formam completivam, quam sit in bruto animali, in quo est forma completiva, et q. 25. art. 1. ad 3. ubi ait, quod non diminuitur dignitas animæ Christi, ex eo quod sit unita digniori, scilicet personæ Verbi, sed augetur.

D. Bonavent. IDEM habet Bonaventura in 3. dist. 5. art. 2. q. 2. solutione ad 2. *Natura*, inquit, *assumpta in Christo eo ipso est nobilior, quod in nobiliori persona stabilitur, quia non in persona creata, sed in persona increata. Unde ordinatio ad dignius, quamvis auferat rationem suppositi, tamen non aufert dignitatis proprietatem. Melius enim est subesse superiori, quam præesse alicui inferiori : et perfectior est anima, cum possidetur a Deo, quam cum possidet res creatas; meliusque nubit virgo nobilis regi, cui subsit, quam rustico, cui præsit; et si Deus aliquem assumeret, qui jam esset persona vel ens actu, cum desineret esse persona, nihil dignitatis amitteret. Esset enim persona secundum naturam assumentem, non secundum assumptam.* Hæc ille.

Corollaria duo. **6.** EX HIS habes primo humanitatem Christi non esse personam, quia non est summe perfecta ejus substantia. Habes secundo jacturam hypostasis et personalitatis propriæ in ea, non demissionem, sed summam, imo infinitam ejus exaltationem fuisse, cum ipsa unione ad Verbum, qua ejus personalitas humana exclusa est, ad unitatem personæ Verbi divini, et ad infinitam dignitatem Filii Dei assumpta et elevata sit. Si enim *dignitas est servum esse potentis*, ut ait Ambrosius in cap. primum primæ ad Timoth., quam sublimis et excelsa dignitas erit Filium esse Omnipotentis : ut verissime ab angelo Beatissimæ Virgini, de eo, quem conceptura et paritura erat, prænuntiatum fuerit. *HIC ERIT MAGNUS, ET FILIUS ALTISSIMI VOCABITUR.* Quod si quæ humilitas in admirabili mysterio Incarnationis cogitanda est, ea potius est ex parte Verbi divini assumentis, quam ex parte humanitatis assumptæ, juxta apostolum ad Philipp. 2. *Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Ideoque recte S. Leo sermone undecimo de passione Domini. *Mirabilior nobis fit in Deo humilitas, quam potestas, et difficilius capitur divinæ majestatis exinanitio, quam servilis formæ in summa provectio.*

CAPUT XX.

Proponuntur, et solvuntur argumenta Scoti, cum nonnullis aliis.

1. Duo sunt præcipua Scoti argumenta. Primum est. Si quid positivum naturæ addit suppositum, illud in Christo, vel est assumptum a Verbo Divino, vel non est. Non primum, quia duo essent in Christo supposita, quod est contra fidem. Neque secundum, quia est contra SS. Patres dicentes, id quod non est assumptum, non esse redemptum; igitur. 1. Argumentum Scoti.

2. Respondeo 1. hoc argumentum nimium, atque adeo nihil probare. Probat enim, si bonum est, mortalium neminem a Christo esse redemptum. Si enim ex SS. Patribus, id solum est redemptum et salvatum, quod est a Verbo assumptum, cum nullum suppositum, nullaque persona humana sit assumpta a Verbo, nulla erit salvata. Deinde probat etiam humanitatem Christi esse redemptam, eamque solam, quia sola assumpta est. Denique sic in Scotum ipsum retorqueri potest. Si nihil est salvatum, nisi quod est assumptum, cum negatio communicationis, quam vult Scotus esse de ratione suppositi, non sit assumpta, sed consumpta et exclusa, nullum suppositum, ejusmodi negationem involvens, erit salvatum. Responsio prima.

3. Respondeo 2. concessa sequela majoris, et prima parte minoris, negandam esse sequelam secundæ partis. Cum enim dicunt SS. Patres, *quod non est assumptum, non esse salvatum,* illud (*quod*) sumi potest, vel pro supposito et persona humana, vel pro ipsa realitate et substantia naturæ humanæ. Si primo modo sumatur, propositio est falsa, nec a SS. Patribus ita unquam est intellecta, quia omnes homines sunt redempti, cum tamen nulla persona humana sit assumpta a Verbo. Si vero secundo modo sumatur, propositio vera est. Ejus enim sensus est; si natura humana non est assumpta, cæteri homines, in quibus ea natura reperitur, non sunt redempti et salvati; quæ consequentia bona est. Nam ut ait Paulus ad Hebræ. 2. *Quia ergo pueri* Responsio secunda. D. Paulus.

communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem.

4. Hanc autem esse mentem SS. Patrum ex eo patet, quod hac propositione utantur, non solum contra Manichæos, Ebionitas, Valentinianos, aliosque hæreticos, qui Christo verum corpus humanum denegabant, et contra Apollinarem, qui negabat Christo animam rationalem, ac etiam contra Nestorium, qui dicebat Christum esse purum hominem, negabatque humanitatem a Verbo esse assumptam in unitatem personæ, sed etiam contra Monothelitas negantes in Christo esse voluntatem humanam; ut patet ex Damasceno lib. 3. de fide orthod. c. 6. et c. 18. *Neque enim,* inquit, *quod non assumptum, morbo levatum est; quocirca totum hominem assumpsit, ut toti salutem afferret.* Ubi de tota natura assumpta, ejusque voluntate, arbitrii libertate, atque mente scientia et sapientia prædita, se loqui manifeste ostendit. Idem constat ex Agathone papa Epistola ad Constantinum, Heraclium, et Tiberium contra hæresim Monothelitarum, lecta et approbata in 6. Synodo universali, ubi hæc habentur. *Quod a Verbo non est susceptum, nec salvatum est, secundum quod nos prædicator veritatis præstantissimus Greyorius Nazianzenus instituit; itaque si ab eo humana voluntas, sicut et natura, suscepta est, et salvata est.*

Damascenus.

Agatho Papa.

. Argumentum.

Secundum argumentum Scoti est. Quod si suppositum formaliter et adæquate est quid positivum, humanitas Christi carebit perfectione sibi naturali, eaque maxima; hoc autem est absurdum, quia erit violenter in Verbo.

Responsio.

5. Distinguenda sequela majoris hunc in modum. Si per *perfectionem* intelligatur forma aliqua, aut modus ab humanitate Christi a parte rei distinctus, neganda est sequela. Si intelligatur ipsa totalitas et perseitas substantiæ, quæ est tantum modus quidam humanitatis, ab ea ratione solum distinctus, concedenda est, et neganda minor, ejusque confirmatio; quia humanitas Christi, sua hypostasi et totalitate per unionem cum Verbo destituta, in statu est, non violento, neque omnino naturali, sed supernaturali, et omnium sublimissimo ac perfectissimo. Quare argumenta Scoti valent tantum contra eos, qui volunt hypostasim et personalitatem esse formam et modum aliquem a natura re distinctum, et ab humanitate Christi exulantem. Sic enim vere careret aliqua perfectione sibi naturali, et sic aliquid esset redemptum quod non esset assumptum.

Neque his duobus validiora sunt alia, quæ habet ibidem, v. g. quod si suppositum addit aliquid positivum naturæ, humanitas assumpta a Verbo, si dimittatur, non poterit esse persona, vel existens posset esse non persona. Utraque enim consequentia est falsa; quia humanitas a Verbo sejuncta erit substantia prima, tota, et rationalis, proindeque hypostasis et persona humana, nullaque indiget sibi superaddita forma, vel entitate, qua persona formaliter constituatur.

6. Tertia objectio. Hypostasis essentialiter est substantia tota et perfecta; totum autem et perfectum negationem intrinsece includunt, cum totum sit, a quo nulla pars abest, et perfectum cui nihil deest eorum, quæ inesse debent. 3. Objectio.

Concessa majore, neganda est minor, ejusque confirmatio; nihil enim deesse, et nullam partem abesse, licet modo loquendi negativa videantur, tamen aliquid affirmativum et positivum vere significant. Nihil enim abesse, est omnia adesse. Responsio.

7. Quarta objectio, omne finitum in suo conceptu dicit negationem ulterioris perfectionis; hypostases autem creatæ finitæ sunt; igitur saltem hæ in suo conceptu negationem includunt. 4. Objectio.

Respondeo ad majorem, finitum negationem amplioris perfectionis dicere non essentialiter, sed solum consequenter, et per modum proprietatis cujusdam. Nam ex ea portione, et ut ita dicam, tantitate perfectionis positivæ, quam quælibet creatura habet, oritur negatio cujusvis alterius; ut in homine v. g. negatio naturæ equinæ ex positiva perfectione naturæ rationalis : ideoque rei alicujus perfectionem abesse ab alia, huic omnino accidentarium est, cum id nusquam in ejus definitione ponatur : alioqui negationes infinitæ essent de essentia cujusque rei creatæ, cum quælibet plus habeat de non ente, quam de ente. Responsio.

8. Quinta objectio. Hypostasis ex Sanctis Patribus est substantia separata et distincta; omnis autem distinctio negationem quamdam in suo conceptu includit, igitur et hypostasis. 5. Objectio.

Concessa majore, negatur minor. 1. Quia idem et diversum sunt reales et positivi modi entis, ut docet Philosophus 10. Metaphys. text. 11.; cum non dicantur de non entibus et quia ens non contrahitur, nec modificatur per negationes. 2. Quia ens a non ente distinguitur, imo ei opponitur oppositione contradictoria, quæ est summa diversitas : non potest autem distingui a non ente per negationem, cum non entis non detur negatio. 3. Quia ipsum non ens proprie, non tam distinguitur ab ente, quam non est idem cum Responsio.

Nulla negatio est de conceptu ullius entis creati.

eo, ut docet S. Thomas Opusculo de oppositis cap. 3. et Philosophus
Aristoteles. tum supra, tum lib. 1. de part. animal. c. 3. *Privationis, qua privatio est, nulla est differentia. Non enim fieri potest ut species ejus sit, quod non est, velut impedati, aut impennati, sicut pennati et pedati.* 4. Quia et species a genere et differentia, et corpus naturale a materia et a forma, et omne totum a qualibet sui parte differt realiter, vel aliquo modo essentialiter, si est heterogeneum, nec tamen dicit negationem ejus partis a qua distinguitur. 5. Licet id quod distinguitur ab alio, adjunctam plerumque habeat ejus negationem, vel hoc illius; homo enim est non lapis, et lapis non homo, et hæc negatio, quia ut plurimum nobis notior est ipsa reali et positiva perfectione, qua res distinguuntur, in definitione rerum assignanda adhibeatur; hæc tamen non est de conceptu et essentia ipsius definitionis, sed velut proprietas eam consequens. 6. Licet ens a non ente vere et proprie se toto sit diversum, imo ei opponatur oppositione contradictoria, quæ est omnium maxima, tamen ipsum non ens, nec est idem cum ente, nec diversum ab eo propter rationem paulo ante dictam, quod idem et diversum sint modi entis, sed solum est non idem cum eo, et non diversum ab eo, ex Philosop. 10. Metaphy. text. 11 et D. Thoma ibidem, et Opusc. de oppositis cap. 3. 6. Quia,
Alensis. idem est principium essendi, et distinguendi, ut notat Alensis in text. 33. lib. 5. Metaphys. et sicut differentiæ specificæ munera sunt, contrahere genus, constituere speciem, et constitutam ab alia distinguere; ita differentiæ numericæ ac realis, sive ea formalis sit, sive materialis, munera sunt, speciem contrahere, constituere individuum, et illud distinguere ab aliis : hæc autem munera nullam in sua ratione includunt negationem.

Distinctio non consistit in negatione. **9.** Ex QUIBUS patet falsum esse quod ait Suarez tomo I. suæ Metaph. disp. 7. sect. 1. num. 1. et 2. quod distinctio realis semper consistit formaliter in negatione quod una res non sit alia. Nam, ut ex dictis patet, distinctio unius ab alio est per aliquid positivum, et ad eam negatio consequenter tantum se habet, et adhuc non semper, ut dictum est.

D. Thomas. AD HOC, inquit S. Thomas 1. parte q. 40. art. 2. *quod duo aliqua distincta intelligantur, necesse est eorum distinctionem intelligi per aliquid intrinsecum utrique, ut in rebus creatis per materiam et formam.* et quæst. 10. de Potentia art. 5. *Oppositio affirmationis, et negationis* (scilicet inter entia positiva) *sequitur distinc-*

tionem, non autem eam causat, cum existens ab altero distinguatur per aliquid sibi inhærens substantialiter, vel accidentaliter. Quod enim hoc, non sit hoc, sequitur ex eo quod distincta sunt : et in existentibus veritas cujuslibet negativæ supra veritatem affirmativæ fundatur. Nam Æthiops non est albus, quia est niger. Hæc ille. Distinctio igitur non consistit formaliter in negatione, ut etiam rectè docet Hurtadus in sua Metaphysica disp. 5. sect. 1. § 10. Itaque Ferrariensis exponens, quod Sanctus Thomas ait lib. 1. contra Gentes cap. 71. « quod in ratione distinctionis est negatio, et quod prima, quæ se ipsis distinguntur, mutuo negationem includunt » recte ait, id intelligendum esse non formaliter, sed materialiter, et fundamentaliter. Negatio enim quantitatis non est de ratione substantiæ formaliter, sed fundatur solum immediate in ipsa ratione substantiæ.

Hurtadus de Mendo.

Ferrariensis.

10. Hactenus de quidditate hypostasis, et personæ definitione. Unde reliqua de iis scientia, ut e nucleo arbor, prodire, et omnium, quæ deinceps circa eas moveri possunt, difficultatum solutio, ut ex fonte rivi fluere et manare debent.

CAPUT XXI.

Quod Sancti Patres hypostasim ratione tantum distinxerint a natura.

1. Quæstioni quid res sit, proxime juncta est quæstio de identitate, vel diversitate ejusdem ab alia. *Debet enim omnis, qui de re aliqua quærit, primum quid sit cognoscere, deinde ita demum, sitne unum, an duo, exquirere,* inquit Damascenus tractatu de duabus voluntatibus. Unde Philosophus lib. 7. Top. locos, quibus rei identitas, aut diversitas inquiritur et examinatur, subjunxit immediate locis ad confirmandam vel evertendam definitionem idoneis : admonetque eos, qui ad evertendam identitatem utiles sunt, valere etiam ad definitionem refutandam. Cum igitur hactenus de quidditate hypostasis et personæ abunde tractatum sit, nunc agendum nobis est de ejusdem, vel identitate, vel distinctione a natura et substantia, etiam particulari.

Damascenus

Ordo doctrinæ

Quæstionis utilitas.

2. Est autem hujus quæstionis intelligentia, non solum utilis ad confirmationem eorum, quæ hactenus tradita sunt, sed omnino necessaria, ad plurima SS. Patrum de hypostasi et persona pronunciata, a plerisque minus cognita, sane intelligenda; tum etiam ad Trinitatis et Incarnationis fidem, ac veritatem distinctius cognoscendam, et facilius tuendam adversus hæreses contrarias. Illæ enim ex hujus quæstionis et discriminis ignorantia potissimum ortæ sunt, ut notat Gregorius Nyssenus lib. de differentia essentiæ et hypostasis, in initio. *Quoniam*, inquit, *complures nihil interesse putant utrum essentiam, an hypostasim quis dicat, quasi in utroque nomine una significatio sit, et ideo duplicis hæreseos in contrarium scissæ error circa significationem harum vocum, principia atque argumenta præbuit; cum Sabellii quidem sectatores propter conjunctionem essentiæ Sanctam Trinitatem in unam hypostasim cogant : vice vero versa qui contrario morbo correpti sunt* (*Arianos dico*) *propter differentiam hypostaseon, præscriptionem quoque essentiarum introducant.* Idemque tradunt Epiphanius Diacon. in 7. synodo Actione 6. Et Anastasius Sinaita in ὁδηγῷ cap. 8. et 9. Cum autem varias auctorum de hac quæst. sententias supra cap. 6. retulerimus, et ex eis illam nobis magis probari dixerimus, quæ hypostasim a natura, non re aut modaliter, sed ratione tantum distinguit, ea deinceps nobis omni argumentorum genere, et in primis Conciliorum, et Sanctorum Patrum auctoritate confirmanda est.

Gregor. Nyssen.

Ratione tantum differre probatur. 1. Argumentum

3. Ergo quod Sancti Patres hypostasim a natura ratione tantum distinxerint, ostenditur primo, quia hypostasim et personam dicunt se habere ad essentiam, sicut proprium et incommunicabile ad commune, sicut particulare et individuum ad universale et ad speciem, et ut singulare et indivisibile ad communicabile multis et divisibile in plura. Ita Athanasius de definitionibus : *Ideo dicitur hypostasis, quod essentia subsistat; natura vero et essentia dicuntur universales, hypostasis vero particularis. Si angelum nomines, totam expressisti essentiam angelorum; si vero dicas Gabrielem, vel Michaelem, unam dixisti hypostasim. Una quædam est hominum natura humanitas, hypostases vero sunt Petrus et Paulus,* etc., ubi pluribus exemplis ostendit naturam significare aliquid commune et universale; hypostasim vero particulare sub illa natura. Idem docet Basilius *Epist.* 43. ad Gregorium Nyssenum fratrem, et Epist. ad Amphilochium. *Tantum*

Athanasius

Basilius.

differunt, inquit, *natura et hypostasis, quantum proprium et commune.* Et Epist. ad Terentium; *quam habet rationem id quod commune est ad id quod proprium; hanc habet essentia ad hypostasim.* Theodoret. dialogo immutabilis. *Si Patrum doctrina,* inquit, *attenditur, quam habet differentiam commune et proprium, vel genus et species, ac individuum, eamdem habet substantia et hypostasis.* Quod pluribus postea explicat. Theodoretus

Damascenus lib. 3. de fide orthodoxa cap. 4. et 6. *Quod,* inquit, *aliud sit essentia, aliud hypostasis sæpe a nobis dictum est, quodque essentia communem speciem significet, hypostasis autem individuum.* Et lib. de duabus Christi voluntatibus; *natura,* inquit, *ut placet SS. Patribus, commune quiddam est, et infinitum, et quasi infima species; hypostasis autem quid singulare, quod per se cohæret.* Idem docent Anastasius Sinaita in ὁδηγῷ cap. 2. Nicetas lib. 3. Thesauri fidei, cap. 2. et 34. Anselmus lib. de Incarnatione Verbi cap. 5. Plura eorumdem Sanctorum Patrum testimonia, vide apud Didacum Ruiz de Trinitate disp. 32. sectione 6. Damascenus

Anastasius Nicetas Anselmus

At nec individuum a specie, et universali, nec proprium a communi, universim loquendo, realiter differt, vel, quod idem est, esse commune, et non esse commune, seu esse proprium non arguunt distinctionem realem aut modalem, cum ad hoc sufficiat distinctio rationis : igitur, etc.

4. Secundo argumenta quibus Patres probant aliud esse naturam, aliud hypostasim, solum discrimen rationis concludunt. Quæ plusquam 30. et 40. tam ex veteri, quam ex novo Testamento, Sanctisque Patribus deprompta videri possunt apud Anastasium Sinaitam lib. citato cap. 9. et 10. Exempli gratia; *Deus,* inquit, *maledicendo Cain, et Noe Cham filio, personæ, et non naturæ universæ maledixerunt; igitur persona et natura non sunt idem. Et cum Enoch Genes. 5. translatus a Deo est, persona duntaxat, et non natura hominum est translata. Et Christus Judam execratus Matth. 26. unam duntaxat personam, non universam Apostolorum naturam execratus est.* Ex quibus aliisque similibus probationibus ita concludit cap. 8. *quod ex veteri novoque Testamento demonstratum sequitur, ut ex eadem Scriptura planum faciamus personam ne posse quidem naturæ appellationem suscipere.* Quod pluribus postea ostendit. 2. Argumentum.

5. Tertio id diserte docet Theodorus Abucara Episcopus Cariæ, 3. Argumentum.

Theod. Abuca. Disput. 28. ex iis quas per dialogismos instituit. Hæreticus inquit. *Aliudne est substantia, et aliud hypostasis?* Orthodoxus. *Aliud et aliud, non tanquam res alia, et alia, sed tanquam aliud significet hypostasis, et aliud substantia : sicut granum frumenti dicitur, et est semen et fructus, non tanquam res alia, et alia, aliud vero significat semen, et aliud fructus; quoniam semen quidem semen est futuræ agriculturæ, fructus vero præteritæ agri-*
Aristoteles *culturæ fructus.* Hoc autem inter semen et fructum discrimen est solum rationis, ut patet, et diserte affirmat Philosophus lib 1. de generatione animalium cap. 18. *Semen et fructus,* inquit, *inter se differunt prioris posteriorisque ratione; fructus enim quod ex alio, semen ex quo aliud. Nam alias ambo idem sunt.* Hæc Aristoteles.

4. Argumentum. **6**. Quarto probatur ex modo loquendi Sanctorum Patrum, qui plerumque hypostasim, non dicunt aliud esse, sed aliud significare,
Theodoretus quam substantia, ut Theodoretus supra. *Hypostasis,* inquit orthodoxus, *aliquidne aliud quam substantiam significare putamus? an substantiæ esse aliud nomen existimamus?* Damascenus loco citato de fide orthodoxa cap 4. et alii : quo loquendi modo sæpe utitur sanctus Thomas 1. parte q. 39. art. 2. in corpore et ad 2. 3. q. 2. art. 2. in corpore, q. 9. de potentia art. 1. et alibi passim agens de distinctione naturæ a supposito et persona. Hic autem modus loquendi solam indicat distinctionem rationis.

5. Argumentum. **7**. Quinto probatur, quia discrimen rationis naturæ ab hypostasi sufficit ad mysteria Trinitatis et Incarnationis eorumque substantiam et veritatem declarandam, ac defendendam contra omnes adversarias hæreses. Imo distinctio realis, seu modalis naturæ ab hypostasi in Deo, est impossibilis, et contra simplicitatem essentiæ Divinæ, ut patet : ac etiam contra mysterium Incarnationis, ut ostendetur cap. 33. Unde Sancti Patres cum mysterii Incarnationis œconomiam ac substantiam exponunt, nullius unquam modi aut formæ hypostaticæ ab humanitate Christi exulantis meminere.

CAPUT XXII.

Explicatur distinctio rationis naturæ ab hypostasi et persona, quam tradunt SS. Patres.

1. Cum ex capite præcedenti, hypostasim a natura Sancti Patres ratione tantum distinxerint, in quo illud rationis discrimen constituunt apertius dicendum est.

Discrimen rationis quid.

Cujus rei gratia supponendum primo, discrimen rationis tantum tunc esse, quando eadem realitas objicitur duobus, aut pluribus mentis nostræ conceptibus, diversa, et non idem repræsentantibus. Sic enim dicitur illa realitas habere in nostro intellectu et ratione plura esse distincta.

Conceptus duobus modis sunt diversi.

2. Supponendum 2. conceptus illos duobus modis posse esse diversos. Primo *simpliciter et ex toto,* cum unus nihil expresse menti objicit, quod ab altero formaliter repræsentetur; ejusmodi sunt conceptus generis et differentiæ, actionis et passionis, fundamenti et relationis, quæ genere et categoria differunt. Secundo *ex parte et secundum quid,* quando unus alterum includens ei aliquid superaddit, ut conceptus speciei et generis, individui et speciei, corporis, superficiei et lineæ. Ita enim species claudit genus ut ei addat differentiam, et individuum naturam, ei addens singularitatem; ita superficies lineæ latitudinem superaddit.

Quomodo conceptus hypostasis à conceptu naturæ differat.

3. Quibus suppositis, conceptum hypostasis hoc tantum secundo modo a conceptu naturæ diversum esse satis indicant Sancti Patres, cum naturam commune quiddam et infinitum esse dicunt, hypostasim autem quid proprium, singulare, et per se cohærens, ut Damascenus lib. 3. de fide orthodoxa cap. 6. et Anastasius Sinaita lib. ὁδηγοῦ cap. 2. *Persona,* inquit, *sive hypostasis ex sententia SS. Patrum est proprium quiddam præter commune. Cujusvis enim rei natura quiddam est commune, at hypostases sunt propriæ. Exempli gratia, una natura seu essentia est divinitas; tres vero hypostases Pater, Filius et Spiritus Sanctus. Et si quis dixerit, custodiat nos divinitas, tota Trinitas significatur; at si*

Anastasius Sinaita

dicas, nobiscum est Filius Dei, unam ex tribus hypostasibus indicasti. Et paulo post Sectione de natura. *Natura,* inquit, *dicitur substantia angeli; (quasi diceres uno verbo angelitas) hypostasis vero angeli est propria cujusque angeli appellatio, puta Gabriel, Michaël, Uriel, Raphaël. Rursus natura una est et communis; hypostasis vero est Petrus, Paulus, Thomas, cæteræque personæ et characteres, etc.* Commune autem in proprio continetur et hoc illi aliquid superaddit. Igitur conceptus hypostasis secundum quid tantum ratione differt a conceptu naturæ.

Communitas duplex.

4. Ut autem quid illo *communi,* illoque *proprio* intelligant Sancti Patres planius intelligatur revocanda in memoriam est, duplex illa rei communitas, vel ut alii loquuntur, communicabilitas,

Rationis.

cujus meminimus supra cap. 16. Una *rationis,* seu *universalis,* qua natura aliqua ita est communis, ut multiplicetur in illis, et de iis prædicari possit; quo modo quælibet natura generica, vel speci-

Realis.

fica communis dicitur. Altera *realis,* qua natura, etiam singularis, eadem numero manens, uni vel pluribus communicatur, vel per simplicem identitatem, quomodo natura divina communicatur tribus personis divinis, vel per realem compositionem, et unionem substantialem cum altero, quomodo humanitas Verbo Divino communicata est, et partes sive essentiales, ut materia et forma, sive integrantes, ut partes aquæ et sanguinis sibi invicem et toti sese communicant.

Proprium duplex.

5. Utrique autem illi communicati duplex proprium, seu duplex proprietas, aut duplex incommunicabilitas opponitur. Una opposita communitati rationis et universali, quæ aliud nihil est in abstracto quam individuatio et singularitas ; in concreto individuum ac singulare, quod nec est in multis, nec prædicabile de multis, sed de uno tantum, ut Petrus, Paulus, hæc albedo, hic calor, etc. Alia est opposita communitati, seu communicabilitati reali, idemque ac singulare singularitate physica et reali, id est, quod est solum ac separatum quodque sui juris est, et non alterius, nec in alio, nec habetur ab alio, nec communicatur alteri, ut pars parti, aut toti atque adeo est quid totum, et integrum.

6. Jam vero utrumque proprium est de ratione hypostasis, et suppositum utramque illam incommunicabilitatem naturæ communi superaddere manifestum est ex dictis supra cap. 13. et 16. quia omnis hypostasis, et omne suppositum est natura individua ac singularis, et substantia tota ac separata ab alia seu incommu-

nicabilis. Hypostasis, inquit Anastasius Sinaita supra cap. 2. *et est, et dicitur persona separata.*

Quid per proprium intelligant SS. Patres.

Itaque duas prædictas proprietates et incommunicabilitates, hypostasis in sua ratione quidditativa includit, excluditque oppositas communitates. Natura vero in suo conceptu neutram includit, sed præscindit ab eis, estque ex se indifferens ad utrumque statum, communem, vel proprium, id est, ut sit universalis, vel singularis, ideoque melius diceretur natura *indifferens* quam communis. Ac in illa indifferentia aliud nihil est, quam natura secundum se, ut includit tantum principia ei essentialia, quæ in definitione rei continentur. Eadem autem jam individua et singularis, adhuc indifferens est, ut sit tota vel pars, in se, vel in alio, atque adeo hypostasis, vel non hypostasis. Hanc indifferentiam naturæ agnovit Theodorus Abucara episcopus Cariæ Opusc. 2. contra Acephalos. *Patronis,* inquit, *et defensoribus synodi Chalcedonensis necesse est demonstrare naturam, neque communem, neque particularem dici, sicut dicunt illi,* (id est Severiani) *hoc est communem, quæ ex se prædicetur de omnibus individuis, vel particularem quæ sit hypostasis et persona, sed rem communem quæ absurditatem utrorumque* (id est Severianorum et Nestorianorum) *fugit. Quæ quidem communis res, nec est omnes hypostases, nec una hypostasis, sed quæ spectatur et reperitur* ὁλικῶς, *id est, tota in unaquaque hypostasi.* Hæc ille.

Theodorus Abucara.

Natura igitur secundum se a Sanctis Patribus, et etiam a sancto Thoma, communis dicitur, quia ut sic, est indifferens ut sit universalis, vel particularis, et etiam quia, ut particularis ac singularis, est indifferens ut sit tota, vel pars, atque adeo ut sit hypostasis propria, vel sit in aliena, sit per se, vel in alio.

Quomodo natura ut contra distinguitur ab hypostasi dicatur communis.

7. Quæ tota res non incommode, meo quidem judicio, explicari potest per analogiam ad quantitatem. Nam 1° quemadmodum eadem realis quantitas ex se, nec est tota, nec pars, sed indifferens ad utrumque essendi modum, fitque tota, quando est sola, et ab omni alia separata, et pars, cum alteri conjungitur; ita eadem natura, et humanitas, v. g. singularis, est hypostasis propria, cum est sola, et tota rei substantia : non est autem hypostasis, si est in alio, ut pars in toto : secundum se vero indifferens est ad utrumque essendi modum.

Res declaratur per analogiam ad quantitatem.

8. Deinde 2° quemadmodum nulla est quantitas, quæ non sit tota, vel pars, sola, vel cum altera conjuncta : ita nulla est, vel esse

potest natura singularis, sine subsistentia propria, vel aliena, et quæ non sit, vel per se, vel in alio.

9. Tertio ut quælibet quantitas alteri conjuncta ab ea dividi, et divisa eidem, vel alteri uniri potest : sic quælibet natura singularis cum est unita alteri substantiæ, caretque subsistentia propria, est in potentia ad aliam, et cum habet propriam, est in potentia, saltem obedientiali ad alienam, ut ad divinam, imo etiam in potentia naturali ad eam. Partes enim substantiæ sive homogeneæ, sive heterogeneæ a se invicem dividi, atque adeo tota et supposita fieri, et divisæ iterum uniri, suasque subsistentias amittere et acquirere naturaliter possunt.

10. Quarto quemadmodum novam aliquam quantitatem (malo enim novam, quam veterem, jamque præexistentem, ut exemplum cum eo quod intendimus magis congruat), duobus modis Deus creare potest, vel solam et sejunctam a quavis alia, vel alteri præexistenti ita conjunctam et continuam, ut novæ quantitatis nulla pars sit extrema, sed circumquaque præexistenti continua; primo modo habebit necessario figuram aliquam sibi propriam, puta globosam vel cubicam, aut aliam sive regularem, sive irregularem. At secundo modo nullam habebit figuram propriam, sed solum alienam, ut pote undique cinctam, et cingenti continuam, ut si pedem aquæ intra aliam aquam Deus producat. Ita quamlibet naturam singularem, si solam et ab omni alia sejunctam Deus creet, hoc ipso erit hypostasis, et persona propria; si vero eam simul creet, et uniat alteri, ut factum est in Incarnatione, in qua humanitas Christi simul creata, et Verbo divino unita est, excludetur ab ea subsistentia propria et erit in aliena.

11. Quinto ut figura a quantitate et extremis ejus partibus ratione tantum differt. Illud enim ratione distinctum quod superaddit extremis partibus quantitatis aliud nihil est quam situs et ordo quidam earum, tum inter se, tum respectu aliarum partium ejusdem quantitatis; ita hypostasis superaddit naturæ individuationem, singularitatem, totalitatem, et proprietatem, seu incommunicabilitatem ab ipsa natura, ratione tantum distinctam.

12. Atque ex hactenus dictis manifestum est, idipsum, quod Sancti Patres appellant *proprium*, hoc a theologis *individuum, singulare, totum, integrum, incommunicabile* nominari; et quod utrique aliud nihil volunt, quam hypostasim addere naturæ proprietatem, seu individuationem, aut singularitatem tam logicam,

quam physicam, ac realem substantiæ totalitatem et integritatem, et exclusionem utriusque supra dictæ communitatis ac communicabilitatis.

13. Ex iis etiam sequitur, quod quemadmodum species, quæ addit aliquid generi, ejus respectu rationem habet totius, et genus rationem partis; ita quia suppositum addit naturæ, id quod dictum est, propterea hæc respectu suppositi habet rationem partis, estque ejus veluti forma metaphysica, et se habet ut quo; suppositum vero ad eam se habet ut totum, et ut quod, et ut habens naturam, ac etiam omnia alia quæ in eo sunt, sive re, sive ratione tantum a natura diversa, ut existentiam, proprietates et accidentia, quæ tamen, ut antea dictum est, ad ipsum stricte sumptum non pertinent. Ideoque recte S. Thomas 3. parte q. 2. art. 2. in corp. *Natura*, inquit, *significat essentiam speciei, comprehenditque in se illa tantum, quæ cadunt in definitione hominis; suppositum vero significatur, ut totum habens naturam, sicut partem formalem et perfectivam sui.* Idem habet 1. p. q. 3. art. 3. et Opusculo 34. de oppositis cap. 4. *In rebus simplicibus*, inquit, *cum idem sit suppositum et essentia, et differant secundum rationem, necessario essentia erit habens esse, sicut et suppositum; sed quia ratione differunt, essentia enim est ut quo aliquid est, suppositum vero ut habens esse, ideo cum essentia non sit suum esse, dicitur in eis habere esse per suppositum, cum quo tamen realiter idem est.* Hæc ille.

Natura se habet ad suppositum ut quo et ut pars ac forma

suppositum ut quod et ut totum.

CAPUT XXIII.

Quomodo hypostasis, licet ratione tantum a natura distincta, hac remanente, corrumpi, aut impediri, et ab ea abesse possit.

1. Cum natura et substantia aliqua singularis, v. g. hominis, leonis, lapidis, sola et ab omni alia separata, de novo producitur, aut corrumpitur, hypostasim simul etiam produci, aut corrumpi, facile est intelligere. At manente eadem naturæ et

substantiæ realitate, nullaque in ea de novo forma, modo, aut entitate producta, vel destructa, quomodo hypostasis aut persona propria ponatur, vel tollatur, plerique non satis capiunt, estque res non indiligenter pertractanda, quod veram Incarnationis Dominicæ rationem maxime contineat, et quod ejus ignorantia deceperit plurimos, præsertim recentiores, induxeritque in falsam, ut arbitror, de modali subsistentia opinionem. Nam tria hæc : primum; *Hypostasim et personalitatem propriam esse quid reale et positivum;* secundum; *Illo positivo, illaque hypostasi et personalitate propria, humanitatem Christi carere;* tertium; *Eamdem tamen nulla forma, modo, aut entitate reali in aliis hominibus, aut personis humanis existente spoliatam esse, nihilque minus habere unitam Verbo, quam haberet ab ea separata :* tria, inquam, hæc plerisque videntur simul consistere non posse.

2. Verum nihil habere incompatibilitatis facile est ostendere, videturque res adeo certa et indubitata, ut a nemine convelli, adeo clara, et evidens, ut ipsis pene oculis cerni ac dijudicari possit. Etenim specifica cujusque rei differentia sublata, rem illam perire; et eadem cum omnibus aliis ad rei quidditatem pertinentibus posita, eamdem necessario poni philosophorum ac theologorum nemo ignorat. Cum igitur totalitas et integritas substantiæ, ex cap. 10. 11. 12. supra, sit de essentia hypostasis et personæ, ejusque specifica differentia, qua differt a substantia singulari non hypostasi, ut sunt partes in toto : ea posita vel sublata, hypostasim tolli vel poni necesse est.

Totalitas est velut specifica hypostasis differentia.

3. Hæc vero in rebus creatis ponitur et tollitur detractione et additione, seu divisione, ac unione cum alio. Omne enim totum finitum et creatum suam totalitatem amittit, non solum absentia, et detractione alicujus quod ei inerat, sed manentibus omnibus quæ inerant, sola adjectione alicujus, quo melius et perfectius fiat; ut patet inductione per omnia totorum genera. Nam et definitio, una adjecta vel detracta differentia, mutatur, fitque alia; et rerum essentiæ similes sunt numeris, ut ait philosophus, et cum eo cæteri omnes *eo quod, ut de numero, ablato vel addito aliquo, ex quibus numerus, non est amplius idem numerus, sed diversus, etiamsi minimum auferatur, vel addatur; ita nec definitio, nec ipsum quod quid erat esse, erit amplius ablato aliquo, vel addito.* In rebus vero naturalibus, aqua, quæ sola totum erat, alteri aquæ conjuncta quod erat totum esse

Totalitatem additione perire probatur 1. inductione.

8. Met. text. 10.

desinit. Et, in eorum sententia, qui formas substantiales in mixtis, et partiales in viventibus cum anima manere volunt, simplicia corpora, ignis, aer, aqua, terra, talia esse desinunt, nulla ejecta forma, aut realitate substantiali, sed sola inducta forma mixti, vel anima, qua substantialiter magis complentur. In accidentibus, si calori ut quatuor gradum unum addideris, efficies aliud totum : et in rebus moralibus, detracta vel addita una circumstantia, actionis speciem, vel honestatem ponit aut tollit. In mathematicis, si ternario addideris unitatem, fiet quaternarius, et triangulo, si alterum addideris, fiet quadratum. In artefactis denique, si orationi dictionem aliquam, vel dictioni syllabam, aut litteram addideris, sensum mutabis, fietque aliud totum, et alia oratio. Et si calceo aliquid, quo ejus figura, vel usus destruatur, assueris; destruetur calceus : et ita in aliis omnibus.

Omne et totum quomodo differant.

4. Deinde (*omne et totum*) termini sunt synonymi, et idem significantes, hocque solum differunt ex Philosopho 5. Metaph. text. 31. quod de totis, quorum diversus partium situs nullam facit naturæ diversitatem, ut numerus, aqua, et humida, *omne* : de iis in quibus mutatio ordinis partium, et diversa earum positio essentiæ diversitatem efficit, ut calceus, domus, animal, *totum*. De iis vero quæ utrumque habent, id est, quæ transpositione partium naturam retinent forma mutata, ut cera, quæ mutata figura semper cera manet, *omne et totum* dicuntur. At id quod est omne, nulla prorsus suarum partium jactura, solaque alicujus adjectione, desinit esse omne quod erat. Si enim omnis alicujus pecunia mille aurei sint, omnis esse desinet, si illis centum addideris. Et si omnes ducis milites, vel præceptoris scholastici centum sint, vel uno addito, non erit idem omne, et sic de aliis; igitur *totalitas*, et ut ita dicam, *omneitas* sola alicujus adjectione perit, et alia exurgit. Quod si ita est in toto substantiali, accidentali, naturali, esssentiali, integrante, logico, morali, Mathematico et artificiali, cur non in toto hypostatico et personali?

2. Argumentum.

5. Secundo hypostasis et persona est quid summe perfectum in genere substantiæ : summa autem rei finitæ perfectio nullius entitatis detractione amitti potest, sola adjectione alterius : tum quia, omnis perfectio finita, adjectione alterius fit major, ergo alia quam erat antea, ut constat exemplis paulo ante allatis; tum

quia omne summum finitum alicujus appositione summum esse desinit, ut patet non solum in continuis et discretis, sed etiam in aliis generibus. Omnium enim in cœtu aliquo optimus, doctissimus aut ditissimus talis esse desinit, adventu solo melioris, doctioris, et ditioris. Igitur et summa perfectio substantialis hypostasis, sola accessione alterius; tum quia, cum omne et totum idem sint, ut antea dictum est, et totum item, idem quod perfectum, 3. Phys. text. 64, omne et perfectum idem erunt. Quod diserte affirmat Philosophus 1. de Cœlo text. 3. *Omnia, omne et perfectum secundum formam non differunt ab invicem.* Igitur si quod erat omne et totum sola additione alicujus desinit esse omne et totum, etiam sola alicujus substantiæ additione et substantia perfecta desinet esse perfecta, ea summa perfectione, integritate et totalitate substantiali, quam antea habebat. Ergo sola additione desinet esse hypostasis propria.

3. Argumentum. **6.** Tertio hypostasis est naturæ terminus ultimus, et ultimum complementum subtantiale, supra cap. 13. Terminus autem, sola ulterioris positione, ultimus esse desinit; et complementum ultimum, sola accessione alicujus quo magis compleatur, ultimum esse desinit. Igitur hypostasis accessione novæ substantiæ, qua magis compleatur, destruetur.

4. Argumentum. **7.** Quarto hypostasis est substantia per se, et non in alio, est substantia separata, ac seorsim existens : quod autem erat per se et solum, adjectione novæ entitatis, per se, et eodem modo quo erat separatum esse desinit; igitur. Atque hæc eadem veritas clarius adhuc elucescet, magisque firmabitur ex iis, quæ de mysterio Incarnationis et persona Christi dicentur, capite proximo et sequentibus.

Hypostases divinæ nulla accessione substantiæ pereunt **8.** Dixi autem omne totum creatum et finitum, atque adeo personam et hypostasim finitam alterius substantiæ accessione, et unione perire, quia divinæ hypostases et personæ, nullius creatæ substantiæ accessione suam totalitatem summamque perfectionem amittere possunt, propter infinitam substantiæ divinæ perfectionem, quæ nullius entis, aut substantiæ creatæ additione melior et perfectior fieri potest, ut docent Augustinus lib. 6. de Trinitate cap. 8. et 10. et D. Thomas Opusc. 2. cap. 211. et Opusc. 3. cap. 6. et q. de unione Verbi art. 1. ad 9. *Sicut incarnatio,* inquit, *nihil bonitatis adjicit ad personam divinam; ita nihil etiam adjicit ei diligibilitatis. Unde persona Verbi Incarnati*

Augustinus. D. Thomas.

non est plus diligenda, quam persona Verbi simpliciter; licet sit secundum aliam rationem diligenda, quæ tamen ratio sub universali bonitate Verbi comprehenditur. Idem habet 1. p. q. 103. art. 3. ad 3. et 1. 2. q. 34. art. 3. ad 2. Itaque, quod jam insinuavimus supra cap. 12., increata Dei perfectio ad creatam se habet, quasi circulus ad lineam rectam. Circulus enim ex Philosopho 1. de Cœlo t. 12. perfecta est linea, quia ei nihil addi, aut detrahi potest; recta vero linea nulla est perfecta, quia extra omnem aliquid est, et quamlibet augeri contingit. *Si enim perfectum,* inquit, lib. 2. de Cœlo t. 23. *id est, extra quod nihil eorum quæ ipsius sunt possibile est accipere, et rectæ quidem appositio semper est, circulari autem nunquam; perfecta utique erit, ea, quæ circulum continet.* Igitur cum substantiæ divinæ additio nulla fieri possit, quo fiat melior et perfectior, possit autem cuilibet enti et substantiæ creatæ; propterea Deus nullius entis, aut substantiæ conjunctione suam totalitatem amittere potest et quælibet hypostasis divina, sive sola, sive conjuncta, cuilibet enti creato, eadem semper manet. Aristoteles.

9. Ex his patet primo quomodo in substantiis creatis, sola earum, vel divisione, vel unione simul pereat una persona, et hypostasis, unumque suppositum, et simul fiat alterum, quia scilicet, una divisione simul, destruitur una substantiæ totalitas, et sit altera, vel etiam plures, ut cum aqua, v. g. in plures aquas, et quælibet substantia homogenea in plures dividitur. Cum etiam substantia præexistens alteri unitur, quia, quæ erant duæ totalitates destruuntur, et sit una nova, simul sit novum suppositum, et pereunt duo, ut docet Albertus Magnus in 3. Dist. 5. art. 11. et 12. *Sicut personalitas propria destruitur per accidens unione, ita per accidens ponitur divisione. Et si dicatur quod divisio potius tollit quam confert; dicendum quod per se aufert* (scilicet rem quæ erat unita) *et per accidens confert divisum esse unum et ab alio divisum, et hæc est singularitas.* Hæc ille. Corollarium 1. Albertus Magnus.

10. Patet secundo, quam vere a S. Thoma dictum sit 3. p. q. 4. art. 2. ad 2. *Quod naturæ assumptæ non deest propria personalitas, propter defectum alicujus, quod ad perfectionem humanæ naturæ pertineat; sed propter additionem alicujus quod est supra humanam naturam, quod est unio ad divinam personam.* Corollarium 2.

11. Patet tertio, quomodo eadem humanitas Christi, si sejungeretur a Verbo, nulla alia superinducta entitate, forma, Corollarium 3.

aut modo ab ea a parte rei distincto, fieret persona humana, ut
S. Thomas. docet S. Thomas in 3. dist. 5. q. 3. art. 3. ad. 3. quod est ejusmodi. *Deponat Christus naturam assumptam, ex separatione nihil acquiretur, quod prius non haberetur.* Cui ita respondet. *Separatio dat utrique partium totalitatem et in continuo dat utrique esse in actu, unde supposito quod hominem deponeret, subsisteret homo ille per se in natura rationali et ex hoc ipso acciperet rationem personæ.* Et ibidem distinct. 6. q. 1. art. 2. ad 5. ***Ex hoc ipso,*** inquit, *quod compositum ex anima et corpore, non adjungitur alteri subsistenti in natura composita, sequitur quod conjunctum sit homo; unde si Christus humanam naturam, quam assumpsit, deponeret, ex hoc ipso esset homo,* (id est persona humana) *illud conjunctum ex duabus substantiis.* Hæc ille. Ratio enim hujus rei est, quia per solam divisionem et separationem a Verbo, humanitas fieret substantia, tota, integra, per se, separata et ex se substantialiter ultimo terminata.

Dionysius Cisterciensis. **12.** Patet quarto quam vera sint, licet nonnullis mira videantur, quæ habet Dionysius Cistersiensis, vir acutissimus, et in summa brevitate mire perspicuus, in 3. q. 1. art. 3. dubio 4. ubi ait : quod si natura humana relinqueretur a Verbo, esset quidem eadem natura humana, sed alius homo, qui esset idem in
4. Corollarium. natura, sed alius in persona; *quia,* inquit, *aliud suppositum esset illius naturæ, quam fuit prius.* Et ad quæstionem qua quæritur, num ille homo esset Filius Virginis? Respondet quod non : quia Virgo fuit Mater Filii Dei; ille autem homo, nec esset, nec fuisset Filius Dei.

Tria admiranda corollaria. **13.** Ex quo tria alia infert corollaria. Primum est. Aliquid, quod non est homo, potest incipere esse homo, absque hoc quod aliqua entitas de novo producatur, si nimirum natura assumpta a Verbo relinqueretur. Secundum. Quod modo est homo, potest desinere esse homo, absque hoc quod ulla entitas destruatur, annihiletur, vel corrumpatur, v. g. si humanitas Petri assumeretur a Verbo. Tertium. Quod fieri potest, ut nunc sint mille homines, et cras unus tantum erit homo, nullo tamen ex illis corrupto, vel annihilato, nempe, si omnes illi mille homines præexistentes assumerentur a Verbo. Quorum omnium ratio est quod *homo* dicat personam et suppositum, suppositum autem, ut supra ostendimus, sola divisione multiplicari aliudve fieri, et multiplicatum sola unione, præsertim ad personam Divinam, aliud fieri potest.

14. Itaque minus probandum videtur, quod dicunt Vasquez 1. p. disp. 155. cap. 5. num. 18. 19. et de Lugo de Incarnatione disp. 23. sect. 2. num. 56. Humanitatem Christi, si a Verbo divino relicta existeret cum subsistentia propria, eumdem fore hominem JESUM, qui antea esset. Licet enim eadem esset entitas, et realitas humanæ naturæ, quæ antea, non tamen idem esset homo. Quia et Deus, et hic homo, qui dicitur JESUS, et Petrus, Paulus, ac alia ejusmodi nomina substantiva, suppositum seu naturam in supposito, primo, per se, directe ac formaliter significant, suntque termini singulares pro individuo non vago, sed determinato, et pro hac, vel illa persona, aut hypostasi supponentes, ex D. Thoma, 1. p. q. 39. art. 4. tum ex communi loquendi usu, tum etiam ex eo quod ejusmodi nomina substantiva perfecte quid substantivum significent. Perfecta autem substantia est suppositum, quod maxime stat per se, nec est in alio, ut accidens, ut universale, ut pars in toto. Natura autem humana a Verbo sejuncta esset suppositum diversum ab eo quod erat antea, ut patet. Igitur non esset idem homo, nec idem JESUS.

Humanitatem à Verbo relictam fore alium hominem 1. Argum.

15. Deinde certum est fide divina, B. Virginem esse deiparam, et Gabrielem, illi de eo, quem paritura erat dixisse; *Vocabis nomen ejus JESUM. Hic enim erit magnus, et filius Altissimi vocabitur.* At humanitas illa a Verbo separata, non esset Deus, nec Filius Dei aut Virginis; sed nudus ac purus homo. Igitur non esset idem homo, nec idem Jesus. Nam Jesus naturam humanam in supposito divino subsistentem determinate significat; non secus ac nomen *CHRISTUS.* De quo Leontius Bizantinus hypothesi 27. *Nomen CHRISTI,* inquit, *secundum B. Cyrillum, non naturam, sed hypostasim declarat; neque vim definitionis habet, nec ullam substantiam declarat; ut hominis, equi, bovis.*

2. Argumentum.

Leontius Byzantinus.

16. Præterea. Ad rei, vel personæ diversitatem constituendam, vel mutandam nominis alicujus significationem, pauciora, quam ad ejusdem rei, aut significationis identitatem retinendam requiruntur. Ideoque vel sola suppositi diversitas alium, et non eumdem facit, ut habet S. Thomas 1. p. q. 31. art. 2. in corpore. *Hoc nomen* (*alius*) inquit, *masculine sumptum, non importat, nisi distinctionem suppositi. Unde convenienter dicere possumus, quod Filius est alius a Patre, quia scilicet, est aliud suppositum divinæ naturæ, sicut est alia persona, et alia hypostasis.* Et ibidem ad 1. *Dicendum,* inquit, *quod* (*alius*) *quia est sicut quod-*

3. Argumentum.

S. Thomas.

dam particulare nomen, tenet se ex parte suppositi. Unde ad ejus rationem sufficit distinctio substantiæ, quæ est hypostasis vel persona.

17. At neque propter solam suppositi diversitatem vera et orthodoxa tantum est hæc propositio; *Filius est alius a Patre,* sed etiam hæc alia; *Filius est Deus alius a Patre.* Tum quia, non naturæ, sed solius hypostasis distinctionem significat, sicut alia prior; tum quia eo loquendi modo usi sunt SS. Patres, ut Gregorius Nazianzenus in carmine arcano 1. post medium, ubi postquam de Patre dixit : *Unicus omnino Deus est, ab origine nulla,* de Filio statim subdit : *Unus item est alius Deus, alti sermo parentis; non alius Deitate tamen.* Quæ postrema verba priorum sunt, non correctio, ut putat Didacus Ruiz de Trinitate Disp. 39. sect. 7. sed prudens, cauta, et rudibus ac terminorum rerumque theologicarum ignaris, ne ignorantia errent, aut offendantur, necessaria expositio, qua declarat se Deum dicere alium, non essentia et deitate more gentilium. Quo solo sensu Scriptura, ut Isaiæ 45. ℣. 18. *Ego Dominus, et non est alius,* et vers. 22. *Ego Deus, et non est alius,* et similibus locis negat esse Deum alium, scilicet natura, essentia, deitate. Præterquam quod nomen *DEUS* illis locis supponit pro tota Trinitate, et Deo Patre, Filio, et Spiritu Sancto : in qua suppositione Deum esse alium, sive natura, sive persona nefas est dicere. At cum Filius dicitur esse Deus alius a Patre, Deus tunc pro solo Filio supponit; quemadmodum cum dicitur *Deus generat Deum,* priore loco pro solo Patre, posteriore pro solo Filio nomen Dei sumitur.

Gregorius Nazianzenus.

Cum igitur dimissa a Verbo humanitas foret suppositum, et persona a seipsa in Verbo subsistente diversa, recte diceretur esse alius, et non idem homo, nec idem *JESUS* licet natura foret eadem.

CAPUT XXIV.

Declaratur fides et substantia mysterii Incarnationis absque distinctione reali suppositi a natura.

1. Etsi Dominicæ Incarnationis declaratio ad tractatum de Divina hypostasi incarnata proprie pertineat, de ea nihilominus nobis hic necessario dicendum aliquid est, quod plerique in opinionem de reali et modali distinctione hypostasis a natura descenderint, falsa hac persuasione inducti, quod aliter mysterium Incarnationis, vel simpliciter fieri, vel saltem non ita commode declarari et defendi posse existiment. Ad hunc igitur ex eorum animis scrupulum detrahendum, quam commode fiat, et explicetur tota Incarnationis ratio, sine ulla reali, vel modali distinctione hypostasis a natura, per solam additionem, ac unionem divinitatis cum humanitate, paucis nunc ostendendum est.

In quo consistat mysterium Incarnationis.

2. De substantia igitur ineffabilis, et, ut ait Apostolus ad Ephes. 3. *a sæculis absconditi* mysterii, quo Verbum caro factum est, et tremenda ejus, ut loquuntur SS. Patres, œconomia, hoc habet fides catholica in symbolo Athanasii potissimum expressa, quod Dominus noster Jesus Christus, Deus est, et homo : idemque non duo, (est enim hæc hæresis Nestorii damnata in synodo generali Ephesina,) sed unus, non unitate essentiæ; quia duæ sunt in eo naturæ, estque perfectus Deus, et perfectus homo; tum quia neque conversione carnis in divinitatem, aut divinitatis in carnem, (est enim divina natura prorsus immutabilis, atque adeo inconvertibilis in aliud,) neque confusione substantiæ divinæ et humanæ, una tertia natura fieri potest (hic enim fuit error Eutychetis damnatus in synodo generali Chalcedonensi); sed est unus unitate personæ divinæ, per assumptionem humanitatis a Dei Filio in unitatem suæ personæ divinæ, ac æternæ, et per veram, realem, substantialem, et a nobis incomprehensibilem unionem Verbi divini cum humanitate, illi sine confusione conjuncta, et ab eo sine separatione distincta. Itaque

Ecclesiæ catholicæ fides est, quod in Christo Domino una tantum est persona, eaque, non humana, neque composita ex humana natura et divina, ut, contra SS. Patrum et omnium antiquorum theologorum consensum, quidam recentiores theologi existimant, quos refellemus suo loco; sed ipsa simplex et æterna Verbi divini persona, tota est Christi persona, et non alia. Hæc autem veritas, et doctrina fidei, sine exclusione ullius formæ, aut modi realis ab humanitate, posita tantum distinctione rationis inter naturam et hypostasim, atque adeo per solam unionem et additionem personæ Verbi divini ad substantiam naturæ humanæ, rectissime intelligitur, et facillime explicatur.

Ostenditur in Christo non esse personam humanam.

4. Ac IN PRIMIS quod in Christo non sit persona humana ex eo manifeste demonstratur. Hypostasis et persona humana, est natura humana singularis, individua, et incommunicabilis; vel, humanitas per se, sola et separata ab omni alia substantia præsertim digniore; vel est natura humana prout est tota et integra rei substantia, ejusque, ut loquuntur, ultimum complementum substantiale. At Christi humanitas, licet sit singularis et individua, ut singulare opponitur universali, tamen non est substantia separata, individua et incommunicabilis, ut postulat adæquata ratio hypostasis propriæ, cum sit realiter, intime et substantialiter, modo quodam a nobis incomprehensibili unita et communicata Verbo divino, ejusque personæ ac substantiæ longe dignissimæ. Neque est substantia tota, integra, et ultimum ejus in quo est complementum substantiale, cum præter eam sit Verbum divinum a quo, et ipsa, et Christus totus ulterius, imo infinite substantialiter completur. Igitur in Christo nullo modo est, vel potest esse persona humana, nec persona Christi est, aut dici potest persona humana.

In Christo non alia est persona quam Verbi.

5. QUOD autem persona Christi non alia sit, quam simplex persona Verbi, et fides docet, et ex eo evidenter ostenditur, quod sola persona Verbi divini, summa et tota perfectio substantialis est Christi, eo quod sit infinita, sicut et natura divina, quam in sua propria ratione essentialiter includit. Persona enim Verbi divini aliud nihil est, quam natura et substantia divina proprietate personali, id est relatione filiationis, a Patre distincta. Cum igitur persona Verbi in Christo, quia est infinite perfecta, omnemque entis nobilitatem et plenitudinem continet, nullius naturæ creatæ accessione substantialiter augeri, magisque perfici possit; summe tota et perfecta est Christi substantia. Ergo illa sola est ejus hypostasis.

6. Deinde Deus, ut sapientia, sanctitate, potentia, felicitate, aliisque perfectionibus; sic substantia est optimus et maximus. Optimo autem nihil melius, et maximo nihil est majus. Igitur personæ divinæ substantia optima, maxima, nullius accessione major meliorve fieri potest; quia ad personam Verbi se habet humanitas, sicut punctum ad lineam, quam nihil auget et extendit. *Bonum creatum,* inquit S. Thomas in 3. Sent. q. 2. art. 3. ad 1. *se habet ad increatum, Sicut punctum ad lineam. Unde sicut punctum additum lineæ non facit majus; ita nullum bonum creatum additum in persona bono increato facit melius.* Et q. de unione Verbi art. 1. ad 9. *Sicut incarnatio,* inquit, *nihil bonitatis adjicit ad personam divinam; ita nihil ei adjicit diligibilitatis. Unde persona Verbi incarnati non est plus diligenda, quam persona Verbi simpliciter; licet sit secundum aliam rationem diligenda, quæ tamen ratio sub universali bonitate Verbi comprehenditur.* Hæc ille. Idem docet q. 5. de malo art. 1. ad 4. Legatur art. 3. q. 52. 3. partis, ubi explicat quomodo Christus totus fuit in sepulchro, totus in inferno, et totus ubique, quia totus ejus persona ibi erat.

S. Thomas.

Humanitas ad Verbum est sicut punctum ad lineam.

7. Et certe si tres Personæ Divinæ simul sumptæ, non sunt perfectiores una, nec una tribus, ut docet Augustinus Epistola 66. ad Maximum medicum, et lib. 6. de Trinitate c. 10 : *In rebus corporeis,* inquit, *non tantum est res una, quantum tres simul, et plus aliquid sunt duæ, quam una res. Cæterum in illa summa trinitate tantum est una, quantum tres simul, nec plus aliquid sunt duæ, quam una, et in se infinitæ sunt. Ita et singulæ sunt in singulis, et singulæ in omnibus, et unum omnia.* Et lib. 15. cap. 3. *Clarum est,* inquit, *in substantia veritatis, non solum Patrem Filio non esse majorem, sed nec ambos simul aliquid majus esse, quam solum Spiritum Sanctum, et quoslibet duos in eadem Trinitate, majus esse aliquid, quam unum, aut omnes, quam singulos simul, tres majus esse aliquid, quam singulos.* Multo minus persona ulla divina adjectione ullius substantiæ creatæ fiet perfectior. Igitur persona Verbi in Christo Domino semper est, et se habet, ut tota et integra ejus perfectio substantialis; ergo ejus hypostasis et persona.

Tres Personæ Divinæ simul non sunt perfectiores una. Augustinus.

8. Quare persona Christi non est alia, quam persona Verbi : hocque solum ante Incarnationem a seipsa post Incarnationem differt, quod ante erat solum hypostasis naturæ divinæ, et persona

solius Verbi; post Incarnationem vero est persona Christi, et hypostasis, non tantum divinæ naturæ, sed etiam humanæ, illius per identitatem, hujus per unionem, et conjunctionem substantialem. Ad Incarnationis igitur substantiam, et perficiendam, et intelligendam, et recte explicandam, nihil opus est distinctione reali, vel modali hypostasis a natura, nec exclusione ullius modi, aut formæ realis ab humanitate Christi.

CAPUT XXV.

Prædicta declaratio auctoritate SS. Patrum, Doctorum scholasticorum, et rationibus theologicis comprobatur.

1. Incarnationis mysterium, eo quo diximus modo, SS. Patres semper intellexisse manifestum est; tum ex iis locis, in quibus diserte asserunt Christum aliis hominibus per omnia similem esse, excepto peccato, aut in humanitate Christi non esse personam humanam propter ejus unionem cum Verbo, seu indivisionem ab eo, quæ postea referemus, cap. 29. et 30; tum quod nullius unquam modi, aut formæ ab humanitate Christi exulantis mentionem faciant; tum etiam cum docent, quod in Christo humanitas, est veluti quædam pars illius, supponentes scilicet rationem totius esse de quidditate hypostasis propriæ, ac Verbum in Christo habere rationem totius. Quod diserte habet Theodorus Abucara Episcopus Cariæ dial. 2. contra Acephalos disp. 39 : *Quia pars Christi est assumptum corpus animatum, idcirco non est hypostasis, sed hypostaticum.* Et Paschasius Romanæ Ecclesiæ diaconus cardinalis lib. 2. de Spiritu Sancto contra Macedonium cap. 4. *Dei quidem,* inquit, *et hominis duplex substantia est, sed tamen una persona. Quamobrem? Quia formam servi accipiens, famulo Deus jungitur, minoris humilitas intra reverentiam majoris absconditur, et superioris lumine exinaniti consumitur, ac sic proprietatem personæ humanitas, divinitate obumbrante, vel eminente, non obtinet.*

Theodorus Abucara.

Paschasius.

2. Eadem etiam mens et sententia fuit theologorum et scholasticorum omnium, qui hypostasim ratione tantum a natura distingunt, quos retulimus supra cap. 6. Duorum tantum verba referam; nempe Hugonis a S. Victore, et S. Thomæ. Ille igitur tomo 3. Apologiæ de Verbo Incarnato quæst. 7. hæc habet. *Dicet aliquis, nonne homo assumptus persona esset, si non esset unitus Verbo? Solutio. Esset quidem persona, et haberet suam personantiam ex sua rationalitate. Nunc vero ex quo totus splendor divinitatis se infudit lucernæ humanitatis, minus lumen cedit majori, id est, homo assumptus trahit suam personantiam ex Verbo, et dicitur, et est persona una cum illo ex eadem personantia, quam habuit Verbum ab æterno. Unaquæque creatura rationalis ex hoc dicitur persona quod habet excellentius. Quia ergo splendor divinitatis incomparabiliter excellentior est lucerna humanitatis, merito ex eo homo est persona. Unde scriptum est; natura naturam non consumit, sed persona personam, quia nomen juris est. Hæc diligenter intuere lector, et intelliges, quare homo dicatur in personam, non in naturam assumptus, et quare Verbum dicatur assumpsisse naturam, non personam. Ideo enim homo assumptus est in personam divinam, quia particeps factus est luminis divini, ut per ipsum ab omnibus discerneretur sicut Verbum. Non in naturam, licet divina persona sit natura divina, quia hoc esset mutari et converti in eam. Verbum vero ideo naturam hominis, non personam assumpsit, licet id quod est assumptum sit persona, quia non trahit personalitatem, vel personantiam, ex eo quod est assumptum, habens multo digniorem personam ex natura divinitatis. Sicut lampas in nocte dicitur lumen ecclesiæ, in die vero solis majore splendore superveniente, jam lampas non dicitur lumen ecclesiæ, sed potius solis lumen; sic homo persona quidem esset ex sua rationalitate, si non esset assumptus; nunc, ut jam dictum, ex eo quod in ea dignius est, id est in lumine divino, est persona. Qui non videt hoc, quærat a Domino intellectum.* Et ibidem q. 10. *Dicimus quod homo assumptus est in personam Verbi, sed Verbum non assumpsit personam hominis; quia non superior ab inferiori, sed inferior a superiori persona dicitur.*

Hugo a S. Victore.

Nota similitudinem.

3. Divus Thomas autem idem locis plurimis docet, ut 3. p. q. 4. a. 2. ad 2. Quem locum propter ejus evidentiam bis jam recitavimus. *Dicendum quod naturæ assumptæ non deest propria persona-*

S. Thomas.

litas propter defectum alicujus, quod ad perfectionem humanæ naturæ pertineat; sed propter additionem alicujus, quod est supra humanam naturam, quod est unio ad divinam personam. Cujus loci adeo expressi vim, et robur Cajetanus ibidem conatur infringere dicendo : *Sanctum Thomam supponere defectum propriæ personalitatis in humanitate assumpta, et non dicere simpliciter nihil deficere; sed nihil deficere spectans ad perfectionem naturæ, ut distinguitur contra hypostasim.*

Cajetani cavillatio.

4. At ictus vehementiam his verbis Cajetanus nec retundit, nec declinat, neque impedit quo minus sua de mente S. Thomæ opinio hac auctoritate prorsus dejiciatur. Esto enim, supponat S. Doctor ab humanitate personalitatem propriam abesse, indene sequitur eum velle id fieri per modi, aut ullius formæ ab ea re distinctæ absentiam? An non, et nos omnes, qui de hac materia disputamus, idem supponimus? cum hoc sit de fide. Et hujus absentiæ modum et causam quærimus? Omnis autem quæstio, quomodo et propter quid de re aliqua, rem esse necessario præsupponit. Nemo tamen propterea dixerit, nos existimare abesse ab humanitate Christi formam aliquam ab ea re distinctam, aut hoc ex illa suppositione sequi.

Refellitur.

Deinde S. Thomas abesse personalitatem ab humanitate Christi non supponit tantum, sed diserte negat abesse propter defectum alicujus perfectionis, utique re distinctæ ab humanitate. Nam iisdem verbis in hunc sensum utitur, Quæstione de unione Verbi a. 5. in corp. *In Christo,* inquit, *secundum humanam naturam est creata potentia voluntatis, sicut et intellectus creatus; cum ei nihil desit eorum, quæ pertinent ad perfectionem humanæ naturæ.*

Præterea non solum negat abesse propter defectum, etc.; sed affirmat expresse abesse propter additionem alicujus positivi, nempe unionis ad Verbum : quo aperte significat nullam formam realem abesse. Alioqui debuisset dicere personalitatem humanam abesse ab humanitate propter defectum alicujus formæ, aut modi, et perfectionis ab ea de re distinctæ.

Postremo, loquatur de natura, ut contradistinguitur ab hypostasi, qua ratione potest inde colligere Cajetanus realem inter utramque distinctionem? Numquid et nos etiam de natura loquimur, ut contradistinguitur ab hypostasi et personalitate, quando dicimus eas ratione tantum distingui? Igitur nihil ad S. Thomæ mentem affert Cajetanus, nihil ad suæ opinionis defensionem contra tam expressum testimonium.

5. Sunt præterea innumera alia ejusdem S. Doctoris testimonia, quibus disertis verbis affirmat, humanitatem Christi non esse personam humanam præcise, quia est unita Verbo, et quia non per se ac separatim existit, ut 3. p. q. 2. a. 2. ad 3. et a. 5. ad 1. q. 16. a. 12. in corpore, et ad 2. q. de potentia art. 2. ad 7. et 13. et art. 4. in corpore, 4. contra Gentes cap. 49. ad 9. et 10. quodl. 9. q. 2. art. 1. q. de unione Verbi art. 1. et art. 2. in corp. et ad 3. et ad 10. Ubi hæc habet : *Humana natura quamdiu est Verbo unita, quia non secundum se existit, non habet proprium suppositum vel hypostasim, præter personam Verbi. Sed si separaretur a Verbo, haberet non solum proprium suppositum, sed etiam propriam personalitatem, quia jam per se existeret : sicut etiam pars continui, quamdiu est indivisa a toto, est in potentia, et non in actu; sed solum facta divisione.* Eadem habet ad 14. et 17. et in 3. sentent. dist. 6. q. 1. art. 2. ad 5. *Ex hoc ipso*, inquit, *quod compositum ex anima et corpore non adjungitur alteri subsistenti in natura composita, sequitur quod conjunctum sit homo*, id est persona hominis. *Unde si Christus humanam naturam, quam assumpsit, deponeret, ex hoc ipso esset homo illud conjunctum ex duabus substantiis.* Et dist. 5. q. 3. art. 3. ad 3. *Separatio*, inquit, *dat utrique partium totalitatem, et in continuo dat utrique esse in actu. Unde supposito quod hominem Christus deponeret, subsisteret homo ille per se in natura rationali, et ex hoc ipso acciperet rationem personæ.*

6. Postremo prædictis auctoritatibus tres non leves rationes adjungi possunt. Prima est, gratia habitualis, et cætera alia dona supernaturalia, ita perficiunt naturam, et ad statum, et ordinem supernaturalem elevant, ut nihil eam lædant, nullam formam, aut modum realem ab ea ejiciant; igitur multo magis id efficiet increata unionis hypostaticæ gratia. Recte enim Leontius Byzantinus lib. 2. contra Nestorium, et Eutychetem : *Quæ supra naturam sunt, non interimunt, quæ sunt secundum naturam; sed potius deducunt, et impellunt, ut et ea, quæ secundum naturam sunt, possimus.* Et paulo post. *Considera mihi carnem Domini, salvis naturæ legibus, post unionem supra naturam admirabilem, etiam ea, quæ supra naturam sunt, recipere.*

1. Ratio.

Leontius Byzantinus.

7. Secunda ratio est. Eadem gratia habitualis, quæ in aliis hominibus fundamentum est filiationis adoptivæ, eam in Christo amittit, absque eo quod illi quicquam reale pereat, et propter solam filiationem naturalem, quam Christo gratia unionis hypostaticæ tribuit.

2. Ratio.

Igitur humanitate Christi hypostasis propria abesse poterit absque exclusione ullius formæ, aut modi realis illi naturalis.

3. Ratio. **8.** Tertia. Quia hac Incarnationis declaratione facile intelligitur quomodo, sine ullo novo miraculo, dæmonem latuerit. Ut enim baculum bipedalem uno tantum pede coloratum, non nisi pedalem esse, et alteri pedali æqualem visus judicarit, quod pes alter, ut pote colore privatus, non sit intra latitudinem objecti visibilis; ita unio Verbi Divini ad humanitatem, cum supernaturalis sit, et extra ambitum objecti naturalis intellectus angelici, eam Angeli, sive boni, sive mali, nulla ingenii perspicacitate naturali poterant cognoscere, sed Christum hominem aliis hominibus prorsus similem aspiciebant. Quod si hypostasis et personalitas creata, est modus a natura re distinctus, cum hunc non viderent dæmones in humanitate Christi, in eam facile suspicionem venissent, vel Deum miraculo quodam, illum eis tegere, vel abesse ab humanitate Christi, propter ejus unionem cum aliqua persona divina. Aliter enim, ex doctrina modistarum, abesse non potest.

Incarnatio ut Dæmones latuerit.

9. Quærat quispiam quo sensu hoc, et præcedenti capite dictum sit, quod Verbum Divinum est tota Christi substantia, cum in eo præterea sit natura et substantia humana.

Quæstio.

Respondeo. Si per *totam* intelligat excludi à Christo omnem aliam substantiam, hoc sensu Verbum Divinum non est tota et integra Christi substantia; si vero per *totam* intelligat, summè perfectam et integram rei substantiam, hoc modo Verbum Divinum est tota et integra Christi substantia : quia per humanitatem adjunctam, neque ipsum Verbum, neque Christus fit substantialiter magis totus et perfectus; quemadmodum linea est tota extensio et perfectio in longum, licet ei insit punctum eam terminans, quod illo non fiat major.

Responsio.

CAPUT XXVI.

S. THOMÆ amplior, lectuque dignissima mysterii Incarnationis declaratio, sine reali hypostasis, et suppositi a natura distinctione.

De Incarnationis substantia, quod paucis complexus est S. Doctor locis a nobis capite præcedenti partim recitatis, partim indicatis, id ab eo multo plenius et uberius expositum est Opusculo 2. quod est compendium suæ theologiæ cap. 211. Quem locum, propter insignem, quam continet, doctrinam, et quod a theologo nemine, etiam Thomista hanc materiam tractante, ne quidem citetur, a paucis ubi est legatur, ac etiam ut appareat ex quo fonte hauserimus, quoque Doctore potissimum didicerimus, quæ hoc tractatu continentur, integrum hic tibi transcribimus. Sic igitur habet.

OPORTET dicere, quod in Christo non solum sit una persona Dei et hominis, sed etiam unum suppositum, et una hypostasis; natura autem non una, sed duæ.

Suppositum dicit rationem totius et integri.

AD cujus evidentiam considerare oportet, quod hæc nomina, persona, hypostasis, et suppositum, integrum quoddam designant. Non enim potest dici, quod manus, aut caro, aut quæcumque aliarum partium sit persona, vel hypostasis, aut suppositum; sed hoc totum, quod est hic homo. Ea vero nomina, quæ sunt communia individuis substantiarum et accidentium, ut individuum, et singulare, possunt, et toti, et partibus aptari. Nam partes cum accidentibus aliquid habent commune, scilicet, quod non per se existunt, sed aliis insunt, licet secundum modum diversum. Potest igitur dici quod manus Sortis et Platonis est quoddam individuum, vel singulare quoddam; licet non sit hypostasis, vel suppositum, vel persona.

Nota.

EST etiam considerandum ulterius, quod aliquorum conjunctio per se considerata, quandoque quidem facit aliquod integrum, quæ in alio, propter additionem alterius, non constituit aliquod integrum; sicut in lapide commixtio quatuor elementorum facit aliquod inte-

grum. Unde illud, quod est ex elementis constitutum in lapide, potest dici suppositum vel hypostasis, quod est hic lapis; non autem persona, quia non est hypostasis naturæ rationalis. Compositio autem elementorum in animali, non constituit aliquod integrum; sed constituit partem, scilicet corpus, quia necesse est aliquid aliud advenire ad completionem animalis, scilicet animam. Unde compositio elementorum in animali non constituit suppositum, vel hypostasim. Sed hoc animal totum, est hypostasis vel suppositum. Nec tamen propter hoc minus est efficax in animali elementorum compositio, quam in lapide; sed multo amplius, quia est ordinata ad rem nobiliorem.

Ubi unionis vel subsistentiæ modus a natura re distinctus?

SIC IGITUR IN ALIIS HOMINIBUS UNIO ANIMÆ ET CORPORIS CONSTITUIT HYPOSTASIM ET SUPPOSITUM, QUIA NIHIL ALIUD EST PRÆTER HÆC DUO. In Domino autem JESU CHRISTO præter animam et corpus advenit tertia substantia, scilicet divinitas. Non ergo est seorsum suppositum vel hypostasis, sicut nec persona, id quod est ex corpore et anima constitutum; sed suppositum, hypostasis, vel persona est id quod constat ex tribus substantiis, corpore scilicet, et anima, et divinitate. Et sic in Christo, sicut est una tantum persona; ita unum suppositum, et una hypostasis.

Alio modo anima advenit corpori, quam divinitas utrique in Christo.

ALIA autem ratione advenit anima corpori, et divinitas utrique. Nam anima advenit corpori, ut forma ejus existens : unde ex his duobus constituitur una natura, quæ dicitur humana natura. Divinitas autem non advenit animæ et corpori per modum formæ, neque per modum partis. Hoc enim est contra rationem divinæ perfectionis. Unde ex divinitate, et anima, et corpore, non constituitur una natura, sed ipsa natura divina in seipsa integra, et pura existens, sibi quodam modo incomprehensibili et ineffabili humanam naturam ex anima et corpore constitutam assumpsit. Quod ex infinita virtute ejus processit. Videmus enim quod quanto aliquod agens est majoris virtutis, tanto magis sibi applicat aliquod instrumentum ad aliquod opus perficiendum. Sicut igitur virtus divina, propter sui infinitatem, est infinita, et incomprehensibilis; ita modus quo sibi univit humanam naturam Christus, quasi organum quoddam ad humanæ salutis effectum, est nobis ineffabilis, et excellens omnem aliam unionem Dei ad creaturam.

Incarnationis modus est ineffabilis.

Cur hypostasis et persona in Christo tota sit ex parte Verbi.

ET quia, sicut jam diximus, persona, hypostasis, et suppositum designant aliquod integrum, si divina natura in Christo est, ut pars, et non ut aliquid integrum, sicut anima in compositione hominis;

una persona Christi non se teneret tantum ex parte naturæ divinæ, sed esset quoddam constitutum ex tribus, sicut et IN HOMINE PERSONA, HYPOSTASIS, ET SUPPOSITUM EST QUOD EX ANIMA ET CORPORE CONSTITUITUR. Sed quia divina natura est aliquid integrum, quod sibi assumpsit per quamdam ineffabilem unionem humanam naturam, persona se tenet ex parte divinæ naturæ, et similiter hypostasis, et suppositum. Anima vero et corpus trahuntur ad personalitatem personæ divinæ, ut sit persona Filii Dei; sicut etiam persona Filii hominis, et hypostasis, et suppositum.

Exemplo accidentis ostendit quomodo tota personalitas sit à Verbo.

POTEST autem hujusmodi exemplum aliquale in creaturis inveniri. Subjectum enim et accidens non sic uniuntur, ut ex eis aliquod tertium constituatur; sed est integrum quoddam, quod est persona, hypostasis et suppositum. Accidens autem trahitur ad personalitatem subjecti, ut si persona eadem hominis et albi, et similiter eadem hypostasis, et idem suppositum. Sic igitur, secundum similitudinem quamdam, persona, hypostasis, et suppositum filii Dei, est persona, hypostasis, et suppositum humanæ naturæ in Christo. Unde quidam propter hujusmodi similitudinem dicere præsumpserunt, quod humana natura in Christo degenerat in accidens, et quod accidentaliter Dei filio uniretur, veritatem a similitudine non discernentes. Patet igitur ex præmissis quod in Christo non est alia persona, nisi æterna, quæ est persona filii Dei, nec alia hypostasis, aut suppositum. Unde cum dicitur, hic homo, demonstrato Christo, importatur suppositum æternum.

Homo de Christo et de aliis dicitur univoce.

NEC tamen propter hoc æquivoce dicitur hoc nomen, homo, de Christo, et de aliis hominibus. Æquivocatio enim non attenditur secundum diversitatem suppositionis, sed secundum diversitatem significationis. Nomen autem hominis attributum Petro, et Christo idem significat, scilicet naturam humanam; sed non idem supponit, quia hic supponit suppositum æternum filii Dei, ibi autem suppositum creatum.

Idiomatum communicatio ex unitate suppositi oritur.

QUIA vero de unoquoque supposito alicujus naturæ possunt dici ea quæ competunt illi naturæ, cujus est suppositum, idem autem est suppositum in Christo humanæ et divinæ naturæ; manifestum est quod de hoc supposito utriusque naturæ, sive supponatur per nomen significans humanam naturam, aut per nomen significans divinam naturam, aut personam, possunt dici indifferenter, et quæ sunt divinæ, et quæ sunt humanæ naturæ, ut puta, si dicamus

quod Filius Dei est æternus, et quod Filius Dei est natus de Virgine : et similiter dicere possumus, quod hic homo est Deus, et creavit stellas, et est natus, mortuus, et sepultus. Quod autem prædicatur de aliquo supposito, prædicatur de eo secundum aliquam formam, vel materiam, sicut Sortes est albus secundum albedinem, et est rationalis secundum animam. Dictum est autem supra, quod in Christo sunt duæ naturæ, et unum suppositum. Si ergo referatur ad suppositum, indifferenter sunt prædicanda de Christo humana et divina. Est tamen discernendum secundum quid utrumque dicatur; quia divina dicuntur de Christo, secundum divinam naturam, humana vero secundum humanam. Hactenus S. Thomas. In quo discursu diserte continentur quatuor, aut quinque a nobis in hoc opere fusius explicata.

Primum. Quod hypostasis et suppositum in sua ratione claudit rationem totius et integri.

Secundum. Quod ejusmodi hypostasis integritas, et totalitas sola additione tolli, et perire potest.

Tertium. Quod hypostasis aliud nihil est, quam ipsa cujusque rei substantia singularis, et per se, seu ut est tota et integra rei substantia.

Quartum. Quod hypostasis Christi est simplex, et tota tenet se ex parte Verbi; quia solum Verbum in Christo habet rationem totius, summeque perfectæ substantiæ, propter infinitam Divinæ naturæ perfectionem, quæ multominus in ratione substantiæ a natura humana sibi conjuncta perficitur, quam substantia creata in ratione substantiæ perficiatur ab accidente, aut linea in ratione longitudinis a puncto.

Quintum. Abesse ab humanitate Christi hypostasim propriam, propter solam additionem et conjunctionem Verbi cum ea, nulla abjecta, vel exclusa forma reali, modo re distincto, aut ulla ejus particula, ut plenius et uberius a nobis postea ex Scriptura, Conciliis, et Sanctis Patribus demonstrabitur.

Cajetanus. Videat nunc Cajetanus quam vere, et quam conformiter doctrinæ S. Thomæ scripserit 3. p. q. 2. art. 2. ad dubium primum. *Non esse intelligibile naturam sive angelicam, sive compositum ex materia et forma a persona divina assumptibilem esse, si suppositum et natura sunt omnino idem secundum rem.* Hoc enim falsum esse ex dictis manifestum est. Imo vero ostendemus infra cap. 33. incarnationem esse impossibilem, si suppositum re differt a natura.

CAPUT XXVII.

Idem iterum, ab eodem, eodem modo alibi declaratur.

Ut quam certa et constans hæc Incarnationis exponendæ ratio S. Doctori fuerit Lector intelligat, cum eadem ferme habeat Opusculo 3. contra Græcos et Armenos capite 6; placet illa etiam hic referre iisdem de causis, quibus superiora retulimus. Sic igitur habet.

Unde habeat Deus quod uniri possit naturæ creatæ.

CUM autem dicimus Deum hominem fieri, nemo existimet hoc sic accipiendum esse, ut Deus convertatur in hominem, sicut aer fit ignis, cum in ignem convertitur. Immutabilis est enim Dei natura, corporea autem sunt quæ invicem convertuntur. Spiritualis autem natura in naturam corpoream non convertitur. Sed potest ei aliqualiter uniri propter efficaciam suæ virtutis, sicut anima unitur corpori. Et licet humana natura ex anima constet et corpore, (anima autem non corporea, sed spiritualis naturæ sit omnis) tamen creatura spiritualis deficit a simplicitate divina multo amplius quam corporea creatura a simplicitate spiritualis naturæ. Sicut ergo spiritualis natura unitur corpori per efficaciam suæ virtutis, ita et Deus potest uniri tam spirituali, quam corporali, et secundum hunc modum dicimus Deum naturæ humanæ fuisse unitum.

EST autem attendendum, quia unumquodque maxime videtur esse illud, quod invenitur in eo esse principium. Omnia autem alia videntur ei quod est principium adhærere, et ab eo quodammodo assumi, in quantum id quod est principium, aliis utitur secundum suam dispositionem. Quod quidem patet non solum in ordinatione civili, in qua principes civitatis quasi tota civitas esse videntur, et aliis utuntur secundum suam dispositionem, ut sibi adhærentibus membris, sed etiam in adunatione naturali. Licet enim homo naturaliter constet ex anima et corpore, principalius tamen videtur homo esse anima, quam corpus, quod animæ adhæret, et quo anima utitur ad operationes animæ convenientes. Sic ergo, et in unione Dei ad creaturam non trahitur Deitas ad humanam naturam; sed humana natura a Deo assumitur, non quidem ut convertatur in

Nota. *Deum, sed ut Deo adhæreat. ET SUNT QUODAMMODO ANIMA ET CORPUS SIC ASSUMPTA, ANIMA ET CORPUS IPSIUS DEI; SICUT PARTES CORPORIS ASSUMPTÆ AB ANIMA, SUNT QUODAMMODO IPSIUS ANIMÆ MEMBRA.*

EST tamen in hoc aliqua differentia attendenda. Nam anima, licet sit perfectior corpore, non tamen totam perfectionem in se possidet humanæ naturæ. Unde corpus sic ei advenit, ut ex corpore et anima una compleatur humana natura, cujus quædam partes sunt anima et corpus. Sed Deus ita est in natura sua perfectus, ut plenitudini naturæ ipsius nihil adjici possit. Unde cum natura divina non potest sic uniri altera natura, ut ex utraque una constituatur natura communis. Sic enim natura divina pars esset illius naturæ communis, quod repugnat perfectioni divinæ naturæ. Nam hominis pars imperfecta est. Deus ergo Dei Verbum sic humanam naturam assumpsit quæ ex anima constat et corpore, ut tamen nec altera transiret in alteram, nec ex duabus una natura conflaretur; sed post unionem duæ naturæ distinctæ remanerent quantum ad proprietates naturarum.

Deus non potest esse pars.

EST autem rursus considerandum, quod cum spiritualis natura corpori uniatur per spiritualem virtutem, quanto fuerit major virtus spiritualis naturæ, tanto perfectius et firmius sibi naturam inferiorem assumit. Est autem virtus Dei infinita, cui omnis creatura subjicitur, et unaquaque utitur pro suo arbitrio. Non autem eis uteretur, nisi aliquo modo per efficaciam suæ virtutis uniretur eis. Tanto autem alicui naturæ perfectius unitur, quanto in eo magis suam virtutem exercet. Inter omnes siquidem creaturas virtutem suam exercet quantum ad hoc, quia omnibus esse largitur, et ad proprias operationes movet, et secundum hoc, quodam communi modo in omnibus rebus dicitur esse. Sed specialiori quodam modo virtutem suam exercet in mentibus sanctis, quas non solum in esse conservat, et ad operandum movet, sicut alias creaturas, sed etiam eas convertit ad se cognoscendum, et amandum. Unde etiam sic in sanctis mentibus specialiter dicitur habitare, et mentes sanctæ Deo plenæ esse dicuntur. Quia ergo secundum quantitatem virtutis, quam Deus exercet in creaturam, magis et minus dicitur creaturæ uniri, patet quod cum efficacia divinæ virtutis humano intellectu comprehendi non possit, sublimiori modo Deus potest creaturæ uniri, quam intellectus humanus capere possit.

Natura assumpta est quædam Filii Dei natura.

QUODAM ergo incomprehensibili et ineffabili modo dicimus Deum

unitum esse humanæ naturæ in Christo, non solum per inhabitationem, sicut in aliis sanctis, sed quodam modo singulari, ita quod humana natura esset quædam Filii Dei natura, ut Filius Dei, qui ab æterno habet naturam divinam a Patre, ex tempore per assumptionem mirabilem habeat humanam naturam ex genere nostro : et sic quælibet partes humanæ naturæ ipsius Filii Dei dici possunt Deus, et quidquid agit, vel patitur quælibet pars naturæ humanæ in Filio Dei potest attribui Unigenito Dei Verbo. Unde non inconvenienter dicimus animam et corpus esse Filii Dei, sed et oculos, et manus, et quod Filius Dei corporaliter videat per oculi visionem, et audit per auris auditum, et sic de aliis, quæ partibus animæ, vel corporis convenire possunt.

Exemplis utcunque declaratur.

HUJUS autem admirabilis unionis nullum convenientius exemplum inveniri potest, quam unio corporis et animæ rationalis. Est etiam non inconveniens exemplum de hoc quod verbum nostrum in corde manet absconditum, et sensibile sit per assumptionem vocis et scripturæ. Sed tamen hæc exempla a prædicta unionis repræsentatione deficiunt; sicut et cætera humana a rebus divinis. Nam neque Deitas sic unitur humanæ naturæ, ut sit pars alicujus naturæ, neque sic unitur humanæ naturæ, ut solum significetur per eam, sicut verbum cordis significatur per vocem, aut scripturam, sed sic ut veraciter Filius Dei habeat naturam humanam, et homo dicatur.

PATET ergo quod non dicimus Deum unitum esse naturæ corporeæ, ut sit virtus in corpore ad modum materialium et corporalium virtutum, quia nec intellectus animæ corpori unitæ sic est virtus in corpore. Multo minus ergo Dei Verbum, quod ineffabiliter et sublimiori modo sibi naturam humanam assumpsit.

Habere dignioris est et præstantioris.

PATET etiam secundum præmissa quod Filius Dei, et divinam naturam habet et humanam : unam ab æterno, aliam ex tempore per assumptionem. Contingit autem ab eodem plura haberi secundum diversos modos, in quibus tamen omnibus semper quod est principalius habere dicitur, quod autem minus principale, haberi. Habet enim totum multas partes, ut homo, manus et pedes. Non autem dicimus e converso quod manus vel pedes habeant hominem. Habet etiam unum subjectum multa accidentia, sicut pomum colorem et odorem, non e converso. Habet etiam homo aliqua exteriora, sicut possessiones et vestes, non e converso. In solis autem illis quæ sunt partes alicujus unius essentiales, aliquando aliquid dicitur habere et haberi, ut anima corpus, et corpus animam. Et similiter in quan-

tum vir et uxor in matrimonio conjunguntur, dicitur vir habere uxorem, et uxor virum. Et similiter in his quæ per relationem uniuntur, sicut dicimus, quod Pater habet Filium, et Filius Patrem.

SI ergo sic uniretur Deus humanæ naturæ, sicut anima corpori, ut ex his constitueretur una natura communis; posset dici quod Deus habet naturam humanam, et humana natura habet Deum, sicut anima habet corpus, et e converso. Sed quia ex divina et humana natura non potest constitui una natura, propter perfectionem divinæ, ut dictum est, et tamen in prædicta unione principalius est, quod est ex parte Dei, manifeste consequitur quod ex parte Dei accipi oportet id quod habet naturam humanam. Illud autem quod per aliquam naturam dicitur esse dicitur esse suppositum, vel hypostasis naturæ illius, sicut quod habet naturam equi dicitur esse hypostasis vel suppositum naturæ equinæ, et, si sit natura intellectualis, quæ habetur, talis hypostasis dicitur persona. Sicut dicimus Petrum esse personam, quia naturam humanam habet, quæ est intellectualis natura.

Verbum in Christo est habens, ideoque suppositum.

CUM ergo Filius Dei, Unigenitum Dei Verbum, per assumptionem habeat humanam naturam, ut dictum est, sequitur quod sit hypostasis vel suppositum, vel persona humanæ naturæ. Et cum ab æterno habeat divinam naturam, non per modum compositionis, sed simplicis identitatis, dicitur etiam hypostasis, vel persona divinæ naturæ, secundum tamen quod divina verbis humanis exprimi possunt. Ipsum ergo Unigenitum Dei Verbum est hypostasis, vel persona duarum naturarum, divinæ scilicet et humanæ, in duabus naturis subsistens.

Objectio.

SI quis autem objiciat quod humana natura, etiam in Christo non sit accidens, sed substantia quædam; non autem universalis, sed particularis, quæ hypostasis dicitur; videtur consequi quod ipsa humana natura in Christo hypostasis quædam sit præter hypostasim Dei Verbi et sic in Christo erunt duæ hypostases.

Responsio.

Considerare debet, qui sic objicit, quod non omnis substantia particularis, hypostasis dicitur, sed solum illa, quæ ab aliquo principaliori non habetur. Manus enim hominis substantia est quædam particularis, non tamen potest dici hypostasis, nec persona; quia habetur a principaliori, quod est homo. Alioquin in quovis homine essent tot hypostases, vel personæ, quot membra vel partes. Humana ergo natura in Christo non est accidens, sed substantia; non universalis, sed particularis; nec tanem hypostasis dici potest, quia assumitur

a principaliori, scilicet a Verbo Dei. Hæc angelice doctor Angelicus.

Ex quibus non solum patent quæ supra adnotavimus sola scilicet additione et unione Divini Verbi cum humanitate perfectum esse Incarnationis mysterium, et hypostasim Christi totam se tenere ex parte Verbi; sed præterea hæc duo diligenter notanda :

Primum. Humanitatem Christi, esse Verbi Divini modo quodam singulari, quo non est Patris, aut Spiritus Sancti, eo quod propter ineffabilem ejus cum Verbo Divino conjunctionem sit propria quædam natura Verbi Divini, ejusque corpus, anima, caput, oculi, manus, pedes, partesque omnes, Filii Dei quodammodo partes sunt.

Secundum. Actiones, quæ per humanitatem ejusque partes exercentur, esse peculiariter Filii Dei actiones et operationes, et magis illius, quam ipsiusmet humanitatis, aut partium et potentiarum per quas exercentur. Actiones enim sunt suppositorum.

CAPUT XXVIII.

Subsistentiam humanitatis Christi a Verbo Divino proprie non suppleri; sed impediri et excludi.

Medinæ argumentum.

1. Ut suam sententiam, suumque subsistentiæ modum, et formam, a natura re et modaliter distinctam adversarii statuant; ita vulgo argumentantur, præsertim Medina in argumento 4. conclusione 3. ad art. 2. q. 4. 3. partis S. Thomæ. De fide est, et Ecclesia, et SS. Patres Doctoresque theologi communiter tradunt, Verbum Divinum in Christo supplere hypostasim et personalitatem humanæ naturæ; hoc autem verum esse non potest, quin subsistentia sit forma, aut modus aliquis, cujus absentia suppleatur. Igitur.

Responsio.

2. Itane vero falso fidei nomine novitios theologos terrere, et eos quibus per ætatem, aut aliarum rerum studium SS. Patrum libros versare non licuit, ementita eorum auctoritate ad fraudem et errorem impellere? Quo, quæso, fidei articulo, quo

Scripturæ loco habetur, aut ex quo deducitur Verbum Divinum in Christo hypostasis humanæ absentiam supplere? A quo Concilio id unquam est, vel definitum, vel leviter insinuatum? Nominetur qui de SS. Patribus id uspiam scripserit, citetur locus, verba referantur. Nam contrarium diserte scribunt, ut Innocentius tertius Papa, qui in quadam decretali, apud S. Thomam 3. p. q. 4. art. 2. ait. *Quod persona Dei consumpsit personam hominis.* Idemque habet Paschasius Ecclesiæ Romanæ Diaconus l. 2. de Spiritu Sancto, cap. 4. *In Deo et homine gemina quidem est substantia, sed non gemina persona est : quia persona personam consumere potest; substantia vero substantiam consumere non potest. Si quidem persona res juris est; substantia res naturæ.*

Innocentius.

Paschasius.

Quomodo persona personam consumat.

3. Quanquam quod dicunt Sancti Patres, personam Dei in Christo consumpsisse personam hominis, non ita accipiendum est, quasi personam hominis ante existentem, et per se consistentem, Verbum Divinum postea assumendo humanitatem consumpserit, vel ab ea formam aliquam, aut modum re distinctum ejecerit; sed quod humanitatem simul atque extitit assumendo, sibique uniendo, ne unquam persona humana esset, aut dici posset effecerit. Itaque consumptio ibi impropriè sumitur, ut admonet S. Thomas 3. parte q. 4. art. 2. ad 3. et in 3. dist. 5. q. 3. art. 3. ad 4. *Consumptio,* inquit, *ibi non importat destructionem alicujus, quod prius fuerit; sed impeditionem ejus, quod aliter esse posset. Quia persona divina sua unione impedivit, ne humana natura suam personalitatem haberet.*

4. Ex antiquioribus autem theologis scholasticis, nulli fere hoc loquendi modo utuntur, nec eum unquam in S. Thoma, Bonaventura, Magistro sentent. Alensi, Alberto et similibus reperias. Et si qui forte de illis antiquioris scholæ doctoribus sic aliquando locuti sunt, non propterea indicare voluerunt, abesse a Christi humanitate formam aliquam, cujus defectum, vel effectum formalem Verbum suppleat; sed solum dicere voluerunt humanitatem assumptam, cum non subsisteret, nec esset in se, ac per se, in Verbo, et in Christo esse ac subsistere. Quanquam ne hoc quidem proprie est subsistere. Nam ut ait S. Thomas 1. parte q. 29. art. 2. *Illa subsistere dicimus, quæ non in alio, sed in se existunt.*

5. Ergo Verbi Divini hypostasim, personalitatem, et hypostasim humanæ naturæ tollere, destruere, consumere, et impedire, potius quam supplere, probatur.

6. Probatur primo. Quia hypostasis humana, est natura humana per se, et non in alio, seu, ut est tota et integra rei substantia, et non pars alteri communicata. Per unionem autem substantialem cum Verbo, humanitas Christi fit in alio, et non per se, estque non tota rei substantia, sed veluti pars communicata, et unita alteri : manifestum igitur est ejus hypostasim a Verbo Divino impediri et destrui, non autem suppleri.

7. Probatur secundo. Quia aquæ aut vini guttulæ, quæ separatæ, erant substantiæ totæ, atque adeo hypostases et supposita, cum in unum coeunt, fiuntque partes, et hoc ipso desinunt esse supposita, non dicuntur earum hypostases suppleri ab hypostasi totius, quod componunt. Igitur nec hypostasis humanitatis a persona Verbi, cui unitur, proprie suppletur.

8. Probatur tertio. Quia in sacramento Eucharistiæ defectum subjecti respectu accidentium, Deus supplere potest, et quia ipsum subjectum, est quid re distinctum ab illis, et quia a Deo in genere causæ efficientis suppleri potest. At subsistentia humana nec est quid re distinctum ab humanitate, nec in quo genere causæ a Deo suppleatur, explicari potest. Non in genere causæ finalis et efficientis; hæ enim causalitates Dei in humanitatem, sunt communes tribus Personis Divinis; igitur Verbum Divinum non magis supplebit hypostasim humanam, quam Pater, aut Spiritus Sanctus. Nec in genere causæ formalis, quia licet Verbum unitum humanitati, quia perfectius est, eamque sua unione infinite perficit, dici possit habere quamdam rationem causæ formalis respectu illius, tamen ejus proprie non est causa formalis, quia non est actus informans humanitatem. Nec denique in genere causæ materialis, quia Verbum humanitatem non recipit, nec est ejus subjectum, nec in potentia ad illam.

In nullo genere causæ Deus hypostasim supplere potest.

9. Nam quod nonnulli dicunt Verbum *sustinere, fulcire, sustentare, suppositare humanitatem, vel hanc illi inniti, insidere, recumbere,* modi sunt loquendi parum proprii, et ut jam adnotavimus, supra cap. 18. num. 21. ex eo desumpti, quod suppositum in rebus creatis subsit accidentibus, et ea sustineat in esse; ideoque existimant, omne quod est in aliquo supposito, ab eo fulciri et sustentari, quasi per modum subjecti. At cur non idem dicunt de partibus homogeneis, cum sibi invicem in toto unitæ, suam amittunt hypostasim? Cur non dicunt eas a toto sustentari? Itaque ejusmodi locutiones metaphoricæ sunt et impropriæ, nec in S. Tho-

ma, aut antiquioribus theologis reperiuntur, nec in Conciliis, Sanctisque Patribus. Hi enim in exponenda Incarnationis ratione, non supplementi, aut sustentationis, sed unionis, counionis, coadunationis, conjunctionis, copulationis, compositionis, assumptionis, adhæsionis, susceptionis, ac similibus nominibus utuntur, ut videbitur capp. sequentibus.

4. Argumentum.

10. Probatur quarto. Quia, ut daretur subsistentiam esse modum a natura re distinctum, impossibile esset ipsum a Deo suppleri. Tum quia frigus calorem, aut formam ignis, formam ligni expellere, non est eam supplere; persona autem Verbi personam humanam excludit; tum quia nullus effectus formalis suppleri potest nisi a forma; tum quia si Deus supplet modum subsistentiæ, ergo et intellectum, et voluntatem, et sapientiam, aliasque virtutes animæ supplere poterit, et efficere, ut anima intelligat sine intellectu, velit sine voluntate. Modus enim subsistentiæ, si datur, est forma, et actus informans. Neque refert quod dicatur terminus naturæ. Non enim magis a Deo suppleri possunt formæ, quæ sunt termini, quam formæ informantes. Quasi vero Deus omnem in se et substantiæ, et accidentium perfectionem continens, supplere per se possit punctum lineæ terminativum, si ab ea re differat.

Objectio prima.

11. Sed contra hujus et præcedentium capitum doctrinam duo hic objici possunt. Primum, si humanitas tota est in Christo, nihilque in ea suppletur a Verbo, nihil minus habebit ei unita, quam haberet separata. Hoc autem videtur absurdum. Sequetur enim eam in Christo existentem, æque esse personam humanam, et propriam habere subsistentiam, ac si esset separata.

Responsio prima.

12. Hoc argumentum, tanquam efficax contra Henrici et Durandi sententiam proponit Vasquez 3. p. Disp. 31. cap. 1. n. 5. Cui tamen duabus responsionibus efficacioribus facilè occurri potest. Prima negat sequelam majoris. Cum enim habere proprie sit suppositi, et humanitas separata sit suppositum, ut sic proprie est habens; juncta autem Verbo, cum non sit hypostasis, nec per se, sed in alio, nihil habet, sed habetur a persona Verbi, tam ipsa quam omnia, quæ sunt in ea, et ad summum in Christo non est habens, nisi ut quo, non autem ut quod, proindeque inexistens, et sociata Verbo Divino, est minus habens quam ab eo sejuncta. Præterea unita Verbo non habet divisionem a qualibet alia substantia, caretque totalitate, et integritate substantiæ, ac

perseitate humanæ personalitatis; igitur ex ea parte, conjuncta Verbo minus habet quam separata.

13. Secunda responsio, concessa majore, negat minorem, ac ejus confirmationem : quia aliud est humanitatem esse totam in aliquo, aliud esse totam illius substantiam; hoc enim dicit rationem hypostasis et personæ humanæ, illud non. Itaque sicut aliud est totam aliquam domum esse in possessione alicujus, et aliud eam esse totam ejus possessionem; hoc enim secundum excludit omnem aliam possessionem, primum non excludit : ita aliud est humanitatem esse totam in Christo, et aliud esse totam et summe perfectam ejus substantiam. Primum enim verum est, nec importat rationem hypostasis et suppositi; secundum falsum est, quia significat humanitatem esse Christi hypostasim. Adde quod ad rationem personæ humanæ non sufficit humanitatem nihil minus habere substantiæ et entitatis unitam quam separatam; sed præterea requiritur, ut non habeat amplius : at unita habet, si tamen habere dicenda est, aliquid amplius, nempe unionem realem cum Verbo divino. 2. Responsio.

14. Secundo objici potest. Hypostasis adæquate sumpta est quid reale et positivum, nullamque in sua ratione includit negationem, ut probatum est supra capite 18. Ergo ea pereunte per unionem cum Verbo, necessario perit aliquid reale : ergo aliqua forma, aut modus realis ab humanitate re distinctus; non enim perit ipsa substantia humanitatis. Objectio secunda.

15. Ad claram hujus argumenti dissolutionem præmittendæ sunt duæ distinctiones. Prima (*Reale*) cum sit terminus valde generalis, et æquivocus, multisque dicatur modis, quos referemus infra c. 43. dupliciter, quantum ad præsens negotium spectat, ens, seu quid, aut aliquid, dici posse reale. Primo, ut *reale opponitur nihilo, et enti rationis*, dicitque id omne quod est nemine cogitante, quocunque modo sit : secundo, ut opponitur *modali*. Ut enim res contradistinguitur a suo modo, ita reale a re, ut contradistinguitur a modo deductum, distinguitur a modali. Secunda distinctio est, dupliciter aliquid reale perire posse, vel simpliciter, cum aliqua entitas, et realitas simpliciter perit ac corrumpitur, ut cum homo moritur, lignum comburitur, etc., vel secundum quid tantum, cum manente rei entitate solum ejus aliquis modus desinit, vel per additionem alicujus, vel propter mutationem extrinsecam alterius rei, exempli gratia, æqualitas lineæ alicujus Reale dupliciter sumitur. Dupliciter aliquid definire et perire potest.

perire potest, vel simpliciter cum tota lineæ entitas corrumpitur, vel secundum quid tantum, cum ei aliquid adjicitur, quo fiat longior : et figura corrumpitur simpliciter, cum perit quantitas cujus est modus, secundum quid autem tantum perit, cum ei adjicitur alia quantitas.

Responsio. **16.** Itaque ad argumentum propositum, concesso antecedente, distinguendum est consequens. Pereunte simpliciter hypostasi perit ens reale, ut rem dicit et modum; pereunte vero tantum secundum quid per additionem alterius perit tantum ens reale modale, proindeque neganda secunda consequentia. Quomodo autem aliquid reale pereat secundum quid per solam additionem jam ostensum est supra capite 23. num. 3. et 4. et plenius adhuc explicabitur infra cap. 50. et 51.

CAPUT XXIX.

Humanitatem Christi in ipsa Incarnatione nullius formæ realis, aut modi a se re distincti, jacturam fecisse ostenditur ex Scriptura, Conciliis, et Sanctis Patribus.

1. Contra indistinctionem realem, seu modalem hypostasis a natura, cum nulla Scripturæ, Conciliorum, vel Sanctorum Patrum testimonia, etiam confessione adversariorum proferri possint; (quæ enim a quibusdam theologis afferuntur contra sententiam Henrici negantis subsistentiam a natura rè distingui, ea, inquit Gabriel Vasquez 3. p. disp. 31. cap. num. 6. sunt conficta, nihilque contra eamdem in sanctis Patribus haberi, vel ex eis colligi posse, diserte habet Joannes Præpositus solutione ad 4. objectionem dubio 2. ad art. 2. q. 4. 3. partis S. Thomæ) tum vero pro ea, contra subsistentiam modalem, qua humanitas Christi spoliata dicitur, innumera adduci possunt, quæ doctrinæ et perspicuitatis gratia, ad 4. summa capita revocabimus. 1. Continebit ea quibus diserte significatur humanitatem Christi nostræ per omnia, solo peccato excepto, esse similem. 2. Ea quibus negant Patres humanitatem

Gabriel Vasquez.

Joannes Præpositus.

Christi esse personam humanam propter solam ejus unionem cum Verbo. 3. Ea quibus dicunt sola divisione ac separatione a Verbo eam fieri, et esse personam humanam. 4. Ea complectetur quibus, contra Nestorium, ex eo quod in Christo esse personam humanam diceret, inferunt, improbantque quod Christum faceret, et diceret esse purum, solum, nudum, merum, communem et vulgarem hominem.

Ex Scriptura Paulus Apostolus.

2. Ut igitur a primo capite exordiamur, occurrunt primo Apostoli verba ad Philipp. 2 : *Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Et ad Hebræ 2. *Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit iisdem.* Ac paulo post, ubi ex professo agit de mysterio Incarnationis. *Nusquam*, inquit, *Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Unde debuit per omnia fratribus similari,* et cap. 4. *Tentatum per omnia pro similitudine absque peccato.* Quid his verbis expressius? qui dicit *omnia,* nihil excipit. Nam in fratribus, id est, aliis a Christo hominibus, si qua est entitas, si quis realis et positivus, sive existentiæ, sive subsistentiæ modus naturalis, qui non sit in Christo, quomodo humanitatem habens tali modo destitutam ab Apostolo vere et proprie dici potuit *per omnia similari fratribus :* in similitudinem hominum factus, et similiter ac illi participare carni ac sanguini? præsertim cum subsistentiæ modus ab ejus defensoribus dicatur esse summum et ultimum complementum substantiale naturæ, tantæque virtutis, ut sine eo quælibet natura particularis maneat substantialiter incompleta, nihilque possit agere, aut pati; actiones enim sunt suppositorum.

Ex Conciliis. Chalcedonensi.

3. Secundo idem ostenditur auctoritate Conciliorum. Nam in Concilio œcumenico Chalcedonensi sexcentorum triginta Patrum act. 5. in definitione fidei, sessione 6. ut notat Baronius ad annum Christi 451. Sic habetur : *Sequentes Sanctos Patres confitemur eumdem Dominum nostrum JESUM Christum perfectum in deitate, eumdem perfectum in humanitate, consubstantialem Patri secundum deitatem, et eumdem consubstantialem nobis secundum humanitatem, PER OMMIA NOBIS SIMILEM ABSQUE PECCATO. Ante sæcula quidem de Patre genitum secundum deitatem, in novissimis autem diebus eumdem propter nos, et propter nostram salutem, ex Maria Virgine Dei genitrice, secundum humanitatem unum eumdem Christum Filium, Dominum, unigenitum, in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum,*

nusquam sublata differentia naturarum propter unionem, magisque salva proprietate utriusque naturæ in unam personam atque subsistentiam concurrentis.

Nicæna secunda.

Et Septima Synodus generalis (quæ est Nicæna secunda act. 3). litteras confessionemque fidei Tarasii Archiepiscopi Constantinop. approbat, in qua hæc leguntur. *Confiteor factam propter salutem nostram in novissimis diebus secundum carnem, nativitatem unius Sanctissimæ Trinitatis, Filii scilicet Dei, et Domini nostri JESU Christi, ex veraciter Sancta Dei genitrice, semperque Virgine Maria, consubstantialem quidem factum nobis MODIS OMNIBUS ABSQUE PECCATO. Non autem desinentem esse quod erat, sed duabus naturis inconfuse manentibus una cum consistentibus in se duabus voluntatibus et operationibus.*

Concilium Romanum.

Præterea Concilium Lateranense Romanum centum quinque episcoporum sub Martino 1. contra Monothelitarum et Acephalorum hæresim, ubi damnati sunt ejus defensores, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Paulus, et Pyrrhus Constantinopolitani Patriarchæ, consultatione 5. in confessione fidei can. 5. ita habet. *Si quis secundum SS. Patres non confitetur proprie, et secundum veritatem unam naturam Dei Verbi incarnatam, per hoc quod incarnata dicitur nostra substantia, perfecte in Christo Deo et INDIMINUTE ABSQUE TANTUMMODO PECCATO significata, condemnatus sit.* Et canone 9. *Si quis secundum SS. Patres non confitetur proprie, et secundum veritatem naturales proprietates deitatis ejus et humanitatis INDIMINUTE IN EO ET SINE DEMINORATIONE salvatas, condemnatus sit.* Quid clarius et expressius dici potuit? aut quis neget vel existentiam humanam qua Cajetanus spoliat humanitatem Christi, vel modum substantiæ, si datur, esse de naturalibus, et maxime intimis proprietatibus et perfectionibus humanitatis?

Neque dixeris per proprietates solummodo intelligere intellectum, voluntatem, earum facultatum operationes. Nam universim Concilium loquitur de proprietatibus, et postea Canon. 11. et 12. aliisque consequentibus speciatim et expresse definit, duas in Christo esse voluntates, duasque operationes, dicitque anathema iis, qui unam tantum in Christo voluntatem et operationem affirmant.

Probatur ex Patribus. Damasus.

4. Post Concilia sequuntur Patres et Pontifices, e quibus Damasus papa Epist. 1. ad Paulinum Antioch. Epis. de fide et

formula, quam, qui ab hæresi revertuntur, debent profiteri, quæ habetur tom. 1. Concil. pagina 497. Hæc habet. *Confitendus est Filius Dei humanum suscepisse corpus, animam, sensum, id est, integrum Adam, et ut expressius dicam, totum veterem nostrum sine peccato hominem.*

S. Leo. S. Leo serm. 3. de Nativitate. *Tenet,* inquit, *sine defectu proprietatem suam utraque natura, et sicut formam servi forma Dei non adimit; ita formam Dei forma serui non minuit.* Et paulo post. *In integra,* inquit, *veri hominis perfectaque natura verus natus est Deus, totus in suis, totus in nostris : nostra autem dicimus, quæ in nobis ab initio Creator condidit, et quæ reparanda suscepit.* Hæc ille, qui eadem repetit in divina illa et admirabili Epist. 10. ad Flavianum cap. 3. et Serm. 14. de Passione Domini. *Unigenitus summi Patris tale iniit cum humana humilitate consortium, ut suscepta nostræ carnis animæque substantia, unus atque idem Dei Filius permaneret, nostra augendo, non propria; quia infirmitas erat provehenda non virtus, ut cum suo Creatore creatura unita, nihil assumpto divinum, nihil assumenti deesset humanum.*

Agatho. Agatho Papa Epist. ad Constantinum, Heraclium, et Tiberium Augustos scripta contra Monothelitas, lecta et approbata in 6. Synodo : *Si in nullo,* inquit, *differentia naturarum Domini nostri JESU Christi sublata est, necesse est, ut in omnibus proprietatibus eamdem differentiam conservemus.*

Athanasius. Athanasius non modo in Symbolo, cum ait, quod Christus *perfectus Deus, et perfectus homo est,* sed expressius in tractatu de Incarnatione 3. tomo. *Quæcumque ipse sua voluntate in natura formaverat, ea sua voluntate in seipsum recepit.* Et tractatu de adventu Christi adversus Apollinarem ; *existens ante sæcula Deus, Verbum ex Nazareth homo visus est genitus ex Maria Virgine, et semine in sancto Bethleem Judæ, ex semine Davidis, Abrahæ et Adæ, ut scriptum est, omnia desumens ex Virgine, quæ ab initio Deus ad hominem constituendum in fingendo faciendoque adhibuerat, excepto peccato, ut ait Apostolus, ad similitudinem citra peccatum.* Hæc ille qui idem habet tractat. de humana natura assumpta.

Eusebius Vercellensis. Eusebius Vercellensis in subscriptione Epistolæ Concilii Alexandrini apud Athanasium ad Antiochenos, et Baronium ad annum Christi 362. num. 203 : *In incarnationem,* inquit, *salvatoris nostri,*

consentio, eum videlicet, cum Filius Dei esset, hominem esse factum, et excepto peccato, omnia, quæ veteris erant nostræ humanitatis assumpsisse. Qui dicit *omnia,* nihil omnino relinquit, idque confirmat exceptio diserta peccati. Exceptio enim firmat legem seu regulam in non exceptis, ut dicunt Bartholus in leg. Quæsitum §. denique ff. de fund. instr. Decius de regulis juris in regul. primam num. 21. et alii communiter.

Ambrosius. Ambrosius Epist. 47. lib. 7. Epist. *Cum esset,* inquit, *in plenitudine divinitatis, exinanivit se et accepit plenitudinem naturæ et perfectionis humanæ. Sicut Deo nihil deerat; ita nec hominis consummationi, ut esset perfectus in utraque forma.*

Cyrillus. Cyrillus Alexandrinus, quem merito Bellarminus lib. de scriptorib. Ecclesiasticis ait specialiter a Deo edoctum circa mysterium Incarnationis, et cujus Capitula, et scripta omnia contra Nestorium approbat Synodus 5. Generalis Collat. 8. in definitione Fidei Can. 13. ubi anathematizat omnes qui contra ejus Capitula scripserunt, et senserunt, in tali impietate usque ad mortem perseverantes. Hic igitur lib. de recta in Christum fide ad Reginas ita scribit : *Perfectus Deus cum esset, factus est perfectus quoque homo, neque quidquam omnino quod naturæ humanæ cognatum esset, præter unam malitiam, reliquit.* Et Opusculo 2. ad easdem. *Perspicuum est unigenitum, corpore assumpto, eodemque vivificato et informato anima ratione prædita, eademque perfecta, hominem factum esse. Necesse enim fuit, ut in omnibus, sive ad animam, sive ad corpus pertinentibus nobis assimilaretur.*

Nicephorus. Nicephorus Constantinopol. Epistola ad Leonem tertium Pontificem Maximum, quæ habetur in Concilio Ephesino tomo 5. cap. 22. *Per Spiritum Sanctum,* inquit, *animam et carnem sibi adaptans, totamque nostram naturam quemadmodum hominem in principio finxerat sibi adsciscens, prodiit Deus incarnatus.*

Augustinus. 5. Augustinus in Enchiridio cap. 34. *Verbum caro factum a divinitate carne suscepta, non in carnem divinitate mutata, nihilque naturæ humanæ in illa susceptione fas est dicere defuisse.*

Cassianus. Cassianus, qui rogatu S. Leonis Magni scripsit septem libros de Incarnatione contra Nestorium, lib. 1. cap. 4. referens professionem fidei Leporii presbyteri ejurantis hæresim Pelagii et Nestorii : *Sic,* inquit, *omnia dicimus quæ erant Dei transiisse in hominem, ut omnia quæ erant hominis in Deum venirent. Ac sic ipse Deus Verbum, totum suscipiens quod est hominis, homo sit, et assumptus*

homo totum accipiendo quod Dei est, aliud quam Deus esse non possit. Novit Deus sine corruptione misceri, et tamen in veritate misceri. Novit ita in se suscipere, ut nihil ei crescat augmenti, sicut se totum novit infundere, ut nihil accedat detrimenti. Et paulo post. *Sic in alterutrum unum sit Verbum et caro, ut manente in sua perfectione naturaliter utraque substantia, sine sui præjudicio, humanitati divina communicent, et divinitati humana participent.*

Alia plura in eumdem sensum continentur in confessione Leporii, quam Cassianus cap. 6. ait esse catholicorum omnium fidem, à Gallicanis et Africanis episcopis approbatam, eique nominatim subscripsere Aurelius Carthaginiensis, Augustinus, Florentinus, Secundinus aliique episcopi africani, ut constat ex integro dicti Leporii libello, studio et opera Jacobi Sirmundi nuper in lucem edito.

6. Theodoretus (ut habet Baronius ad annum Christi 449.) Epistola 113. ad S. Leonem Pontificem, ejusdem laudans Epistolam ad Flavinianum : *Incidimus,* inquit, *in ea quæ scripta sunt a vestra sanctitate de suscepta a Deo Salvatore nostro humanitate, et quæ accurate et perfecte scripta essent, admirati sumus. Utrumque enim simul declarant, et æternam Unigeniti ex æterno Patre divinitatem, et quæ erat ex semine Abrahæ et David humanitatem, et quod, quæ sumpta erat natura, nobis similis erat in omnibus, solum autem erat dissimilis, quod ab omni peccato permanserit alienus; quandoquidem id non a natura, sed ab animi instituto, et libero arbitrio nascitur.* Theodoretus.

Damascenus lib. 3. de fide orthodoxa c. 3. *Neque enim Deus Verbum, quidquam eorum,* inquit, *quæ cum nos initio fingeret, naturæ nostræ inseruit, prætermisit, sed omnia assumpsit, corpus, animam intelligentem, et ratione præditam, eorumque proprietates.* Et cap. 13. *Dominum nostrum JESUM Christum, et perfectum Deum, et perfectum hominem confitentes, hoc dicimus eumdem et omnia habere, et quæ Pater habet, excepta ingeniti proprietate, et omnia item quæ primus Adam, peccatum duntaxat excipio.* Et cap. 20. *hominem totum atque omnia, quæ hominis natura fert, suscepit, peccato excepto. Et omnia,* inquit paulo post, *assumpsit, ut sanitatem omnibus afferret.* Clarissime autem et disertissime multis locis idem testatus est. Damascenus.

S. Maximus Constant. cujus Opuscula ante paucos annos interprete Turriano a Gretsero in lucem edita sunt : in Epist. ad Nicandrum episc. cujus verba retulimus supra cap. 1. n. 5. et in Epist. S. Maximus.

ad Marinum presbyterum, *Magnum æconomiæ mysterium pro nobis implevit,* (supple Verbum) *nihil penitus quod naturale esset carni assumptæ detrahens, præter peccatum.* Et paulo post ait : *Christum fuisse Deum et hominem in utraque natura perfectum, habentem perfecte omne quod ambabus naturis insitum est, excepto peccato.* Quod sæpius repetit in epistola ad Gregorium presbyterum et abbatem; et opusculo ad Marinum discipulum pag. 71. et 72. *Si proprietatem ambarum naturarum,* inquit, *non servat sine imminutione ulla, excepto peccato solo, sicuti SS. Patres tradunt, aliqua re deficitur Deus, et rursus aliqua re deficitur homo, si quidem totaliter homo imminutionem naturalium habuit. Non oportet igitur occasione unionis neutram naturam lædentis, sed solum ambas in unum secundum hypostasim copulantis, earum essentiam violare, sublata naturali voluntate, et operatione. Non enim,* ut ait postea pag. 76, *venit, ut naturam adulteraret, quam ipse condiderat, sed venit, ut naturam ex toto deificaret, quam ipse volens bona voluntate Patris, operante pariter Spiritu Sancto, secum secundum unam et eamdem hypostasim copulavit cum omnibus, quæ naturaliter in ea insunt, præter peccatum.* Cujus rei probationem meo quidem judicio optimam, et velut a priori subjungit, paulo post his verbis. *Nihil enim naturalium, sicut nec ipsa prorsus natura auctori naturæ unquam repugnat. Et si quis forte dicat aliquid eorum quæ sunt secundum naturam Deo repugnare, ipsius Dei potius, quam naturæ crimen est, si quidem bellum naturaliter imposuerit rebus, ut contra eum, et contra se seditionem et pugnam concitarent. Quod enim nihil naturale Deo contrarium sit, ex eo perspicitur, quod hæc naturalia ab ipso, cum generati sumus, facta sunt. Eadem* ferme habet Leontius *Byzantinus* lib. 2. contra Nestorium et Eutychetem. *Cogitavi ego illud recte habere, pium omnibus videri, quod sicut Dominus omnia sua cum carne communicans manet fixus, ac stabilis in statu naturali; sic etiam humanitas ejus perseverans in iis, quæ naturæ ejus sunt, et habens naturales facultates, et actiones corporis, ac passiones communes et a crimine alienas, ac liberas nunquam deferens, et definitionem perfectionis nostræ secundum substantiam possidens, omnia bona ex Verbo participavit.. Nec enim Verbi erat privare eam nostris proprietatibus manentem alioqui nobiscum.*

Leontius Byzantinus.

Theodorus Abucara.

Theodorus Abucara Episcopus Cariæ in Epistola ab eo arabice dictata, a Michaele presbytero in Græcum sermonem translata, et

a B. Thoma Patriarcha Hierosolymitano, ut continente fidem orthodoxam, ad hæreticos Armeniæ missa. *Æternus Filius sine mutatione et variatione factus sicut unus ex omnibus, excepto peccato, assumpta natura nostra quam non habebat, remanente divina quam ex æternitate habebat.*

7. Plura videri possunt apud eosdem aliosque SS. Patres testimonia, quibus tam aperte significant humanitati Christi nihil omnino positivum ac reale deesse, quod sit in aliis hominibus, ut dubitare nemo possit, quin ita plane senserint. Nam iis verbis et loquendi modis utuntur, quibus non solum damnant hæreses Valentini, Ebionis, Manichæi, Apollinaris, aut aliorum, qui Christo, vel corpus humanum, vel animam rationalem detrahebant, eumque verum esse hominem negabant, sed quibus significant sacrosanctæ humanitati Christi nihil omnino positivum deesse ad ejus, sive essentiam, sive perfectionem naturalem, substantialem et accidentalem pertinens. Et certe cum contra Monothelitas disputant, perspicuum est eos loqui tantum de iis quæ sunt extra essentiam. Unde Abucara supra: *Post carnem assumptam*, inquit, *habet duas naturales proprietates, et item naturales operationes, ac duas naturales voluntates; quia naturæ comprehensio non est firma et certa, nisi natura omnino habeat quæcumque sunt perfectionis ejus.*

Responsio Cajetani.

8. Neque vero hujus vim et robur argumenti a tam gravi auctoritate, et a tanto consensu tot taliumque testium ducti eluserit Cajetani cavillatio, qui 3. parte quæst. 4. art. 2. Responsione ad 1. Scoti, ubi præmisit, quod sicut substantia sumitur et pro natura, et pro hypostasi, ita entitas sumitur dupliciter, vel pro entitate naturali, ut distinguitur contra hypostasim, vel pro entitate personali ut distinguitur contra naturam; respondet a Verbo Divino assumptum esse quicquid spectat ad naturam humanam, ut distinguitur contra hypostasim humanam, non autem quicquid spectat ad personalitatem humanam, ut distinguitur contra naturam humanam; *sub quo membro*, inquit, *continentur multæ entitates reales, quamvis diversimode, scilicet personalitas, actus essendi, id est, existentia, relatio filiationis, etc. Ideoque omnes auctoritates sonantes aliquam integritatem et assumptibilitatem assumptorum a Verbo, intelligendas esse in genere naturalium, ut distinguntur contra personalia.*

Refellitur Cajetani responsio.

9. Verum hæc responsio videtur hominis vel parum versati in lectione Patrum, vel ad ea quæ dicit non satis attendentis; aliudque nihil agentis quam ut suam thesim, et opinionem præfracte tueatur.

Nam licet verissimum sit, esse aliquam inter naturam et personam distinctionem, eam nimirum, quam supra exposuimus; verissimum item, assumi posse naturam non assumpta persona, et revera ita factum sit in Christo; non tamen inde sequitur personalia non assumpta differre realiter a naturalibus. Itaque in eo

1. Errat Cajetanus, quod personalia distinguat realiter a naturalibus, qui si ad suam comparationem recte attendisset, vidisset, quod sicut substantia pro natura et essentia, a substantia pro hypostasi sumpta, ratione tantum differt, ut supra monstratum est; ita et entitas naturæ, ab entitate hypostatica, seu naturalia, a proprie personalibus, ratione tantum differunt.

2. Errat in eo quod illa duo ita distinguat realiter, quasi sint duo membra et entia sese invicem excludentia, cum natura in persona, naturalia in hypostaticis, et realiter et essentialiter includantur, licet non e contra, personalia contineantur essentialiter in naturalibus et essentialibus.

3. Per entitatem naturæ, ut opponitur hypostasi intelligit essentiam et naturam vel nudam, vel vestitam et affectam omnibus suis proprietatibus et accidentibus naturalibus. Primum dici non potest, quia sequeretur intellectum, voluntatem, aliasque potentias et proprietates naturales hominis, inter hypostatica et personalia numerandas esse, proindeque a Verbo non esse assumptas, nec esse in Christo. Neque secundum; cum enim existentia, modus personalitatis et relatio filiationis sint accidentia et proprietates naturales cujuslibet naturæ humanæ particularis fuerint in humanitate, non minus quam cætera alia accidentia, atque adeo Verbum assumpserit, non tantum naturalia, ut opponuntur hypostaticis, sed etiam ipsa hypostatica, quod negat Cajetanus.

4. Cum existentia et relatio filiationis non sint de ratione intrinseca modi personalitatis, ut fatetur Cajetanus, cur ea vocat hypostatica et personalia? An quia in hypostasi propria recipiantur, illamque necessario consequantur? At intellectus etiam et voluntas recipiuntur in hypostasi propria; cum suppositum sit, quod habet quicquid est in re et actiones et passiones sint suppositorum; proindeque omnia accidentia erunt hypostatica et personalia, et non assumpta a Verbo.

5. Cum Scriptura, Concilia, Patres, tam sæpe tamque disertis verbis affirment Verbum assumpsisse omnia, quæ sunt in nobis, solo peccato excepto, omnia quæ plantavit in Adamo, dicere sub

personalitate non assumpta contineri multas entitates reales non assumptas; hoccine est Sanctorum Patrum, et Ecclesiæ doctrinam sequi? Utri credendum putas, lector, Ecclesiæne, an Cajetano?

6. Falsum est humanitatem Christi carere existentia propria, eamque non esse assumptam a Verbo, ut pluribus ostendetur infra capite 33. et 34.

Itaque Sancti Patres cum dicunt Verbum assumpsisse omnia quæ plantavit in Adamo, per *omnia assumpta* intelligunt, et naturam humanam, et omnes ejus proprietates ac perfectiones naturales ab ea a parte rei distinctas in aliis hominibus existentes, non autem ejus hypostasim propriam; quia cum a natura non re, sed ratione differat, et assumptioni repugnet, ipsa assumptione, ut loquuntur Sancti Patres, consumpta est, id est impedita, et exclusa ab humanitate assumpta, eo quo jam sæpius a nobis dictum est modo.

CAPUT XXX.

Proferuntur alia Sanctorum Patrum testimonia.

1. Secundum caput auctoritatum Sanctorum Patrum eas continet, quibus defectum personalitatis humanæ in Christo, non depositioni ullius modi aut realitatis, sed soli unioni humanitatis cum persona Verbi adscribunt. Athanasius lib. de Incarnatione Verbi contra Paulum Samosatenum tomo 3. *Se*, inquit, *cum carne conjiens secundum Paulum in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo : homo vero una persona, et unum animal ex spiritu et carne.* Ubi modus personalitatis? ad cujus similitudinem intelligendum est Christum unam et non duas personas esse. Idem tractatu de adventu Christi contra Apollinarem. *Tota*, inquit, *Verbi natura affuit, ad exhibendam humanam formam et carnem visibilem, non divisione personarum, sed coessentia deitatis et humanitatis :* antea dixerat *coadunatione et communione naturarum.* Athanasius.

Gregorius Nazianzenus in carmine secundo. Gregorius Nazianzenus.

Tunc cum mortali DEUS est in corpore junctus.
Unus utrinque DEUS. Deitati namque beatæ,
Junctus homo, deitasque homini simul addita, CHRISTUS.

Augustinus. **2.** Augustinus tract. 19. in Joan. *Ipse est filius hominis,* inquit, *qui est Filius Dei. Hærendo enim ad unitatem personæ Filius hominis Filio Dei, facta est una persona,* et in Enchiridio, c. 35. *Christus JESUS Dei Filius est, Deus et homo, Deus ante omnia sæcula. Homo in nostro sæculo. Deus, quia Dei Verbum. Deus enim erat Verbum. Homo, quia in unitatem personæ accessit Verbo anima rationalis et caro.*

Cyrillus. Cyrillus lib. de recta in Christum fide ad Reginas, exponens locum ad Hebræos, Christus JESUS heri et hodie, etc. *Quomodo,* inquit, *idem est heri et hodie, et in sæcula, non utique alia ratione, quam carnis, quam assumpsit, cum Deo Verbo conjunctione.* Et contra Theodoretum anathemate 2. *Secundum subsistentiam,* inquit, *unitatem dicimus, factam hoc secundum subsistentiam nihil aliud esse declarantes, quam solam Verbi naturam, sive subsistentiam esse.* Et Epistola ad Nestorium, quæ refertur in Concilio Chalcedonensi. *Quia,* inquit, *carnem animatam, anima scilicet rationali, uniens sibimet secundum subsistentiam, Deus Verbum inenarrabiliter et inscrutabiliter factus est homo.* Et paulo post. *Verbum carnem fieri nihil est aliud, nisi quia similiter ac nos participatus est carni et sanguini, quodque carnem animatam anima rationali Verbum substantialiter et ineffabiliter sibi copulaverit; factus est homo.* Idem habet in Epist. ad Joan. Antiochenum.

S. Maximus. S. Maximus Epist. ad Nicandrum Episcopum : *Sic denunciat,* inquit, *Cyrillus Deum non jussione omnium effectrice curare, et vitam tribuere, sed sanctam carnem tanquam cooperariam ad hoc adhibere, et per eam ejusque tractionem vocemque vivificare ac curare, ut ostendat posse eam tribuere vitam, quia sit unione unum cum eo, et quia sit proprie ejus caro, qui vivificat omnia, et non alterius.*

Damascenus. Damascenus lib. 3. de fide orthodoxa cap. 15. *Ex unione,* inquit, *personalis identitas contigit, nec ob id tamen naturarum diversitas sublata est.*

Theodorus. **3.** Theodorus Patriarcha Hierosolymitanus in Epist. sua Synodica quæ habetur tomo 3. Conciliorum in 7. synodo Act. 3. *Duæ,* inquit, *naturæ incommunicabiliter invicem adunatæ in una Verbi subsistentia unum Filium et Dominum nobis demonstrarunt, Deum perfectum et hominem perfectum, etc.* Et paulo post. *Deum* (scilicet synodus Ephesina) *unum Christum Filium, et Christum Domi-*

num, et absolute unam Dei Verbi naturam incarnatam quæ significat duarum naturarum unitionem quæ per subsistentiam facta est. Hoc idem manifeste ostendit frequens illa similitudo unionis animæ cum corpore ad constituendum hominem, qua mysterium Incarnationis Patres declarant, ut Athanasius in Symbolo, Augustinus Epist. 3. ad Volusianum, et loco citato in Joan. Cyrillus Opus. 2. ad Reginas, Athanasius Sinaita in ὁδηγῷ cap. 21. et alii communiter. Ut enim nullus modus, nulla realitas perit corpori, vel animæ rationali cum substantialiter uniuntur ad constituendum unum hominem; ita nihil reale positivum periit, sive divinitati Verbi, sive humanitati assumptæ, cum in unum Christum coaluerunt.

Tertia classis auctoritatum.

4. Tertium caput auctoritatum complectitur eas quibus Patres contra Nestorium scribentes asserunt sola humanitatis a Verbo separatione duas in Christo constitui personas, nulla prorsus mentione facta ullius formæ aut entitatis modalis humanitati superadditæ ad eam in ratione propriæ personæ constituendam.

Cyrillus.

Cyrillus lib. de fide ad Theodosium Imperatorem. *Nemo post unionem,* inquit, *divisionem mihi fingat, neque Emmanuelem hominem seorsum dispescens duas personas efformet,* et postea *si humanitatem in qua Dei Verbum apparuit ab eo sejungas, fidem exegeris.* Et lib. de recta fide ad Reginas, tractans loca ex Evangelio Joannis : *Quomodo non insaniunt,* inquit, *qui' divisione inducta, alium Dei Patris Verbum, alium rursus illum, qui ex sacra Virgine ortum duxit, Filium esse asserunt.* Et in apologia anathematismorum in defensione anathematismi 3. *Dividere,* inquit, *unum in duos filios, et solvere veræ unitionis opus in distinctos, et seorsim positos proprie hominem, et proprie Deum, impietatem habet nulla Scriptura satis sugillabilem.* Et Epist. ad Valerianum Episc. *Duabus hypostasibus per se seorsim positis, omnino duæ quoque personæ ponendæ sunt :* quod sexcenties apud ipsum reperias.

S. Leo.

S. Leo Papa Epist. ad Leonem Augustum; *Anathematizetur Nestorius, qui Beatam Virginem Mariam, non Dei, sed hominis tantum credidit genitricem, ut nec unum Christum in Verbo Dei, et carne sentiret; sed separatim atque sejunctim alterum Filium Dei, alterum Filium hominis prædicaret.* Flavianus Constantinopolitanus idem habet in epistola ad Theodosium, quæ habetur initio Concilii Constantinopolitani.

Flavianus.

Cassianus.

Cassianus lib. 5. de Incarnatione cap. 10. *Omnis qui solvit JESUM ex Deo non est* Joannis 1. Epist. c. 4. *Solvere autem hoc*

est, quod unitum est in JESU velle rumpere, et quod individuum, separare. Quid autem in JESU unitum et individuum est? Homo utique et Deus.

Anastasius. ANASTASIUS Sinaita in ὁδηγῷ, c. 4. *Sancta Ecclesia, ut Nestorium ob naturarum in Christo divisionem separationemve, ita Severum cum suis ob earumdem confusionem rejicit.*

Tarrasius. TARRASIUS Patriarcha Constant. in sua Epist. ad Patriarchas, quæ habetur in 7. Synodo Act. 3. *Nestorium, Diodorum, Theodorum, necnon in Christo personalem dualitatem formantes, procul a confessione mea rejicio.*

5. QUOD si ad constituendam personam humanam necessaria esset realis aut modalis aliqua forma a natura, a parte rei distincta, male omnino Sancti Patres ex sola divisione colligerent in Christo duas esse personas. Diceret enim Nestorius aut alius modalis subsistentiæ defensor, sola separatione humanitatis a Verbo non fieri personam humanam; quia requireretur præterea modus realis, et substantialis humanitatem separatam afficiens, perficiens, et ultimo terminans.

6. QUARTUM caput denique auctoritatum eas complectitur quibus Patres, redarguunt Judæos, ut Athanasius lib. de natura assumpta; nunc Ebionitas, ut Epiphanius lib. 1. de hæresibus hæresi 30. et Chrysostomus homilia 7. in Epistolam ad Philippenses; modo Nestorium, ut Cyrillus lib. de recta in Deum fide ad Theodosium, lib. 2. ad Reginas, et in explicatione suorum anathematismorum, ac sæpius alibi. Liberatus diaconus Carthaginiensis in suo breviario cap. 4. Damascenus, 3. de Fide Orthodoxa cap. 2. Anastasius Sinaita in ὁδηγῷ capite 5. Maximus Constantinop. Epistola ad Georgium presbyterum aliique Patres reprehendunt, quod Christum nudum, solum, purum, communem, et vulgarem hominem dicerent.

Athanasius, Chrysostomus. Cyrillus. Liberatus: Damascenus. Anastasius. Maximus.

Cyrillus. CYRILLUS ad Theodosium supra. *Ulterius progressi, alterum seorsim, ac per se tanquam merum hominem considerant, alterum ut verum naturalemque Deum Filium.* Et aliquanto post. *Christus verus homo est, non tamen purus, ut nos.* Quod sæpius habet in eodem libro. Et libro 2. ad Reginas agens de sanctificatione Christi. *Quod si, ut nonnulli sentiunt, purus per se tantum homo erat, Deo quidem secundum dignitatis, vel auctoritatis æqualitatem conjunctus, secundum hypostasim vero ab eo sejunctus, et quasi seorsum per se positus, etc.* Quemadmodum igitur homo, ut sit, vel

nudus, vel solus nihil eget superaddita sibi entitate modali; neque vinum, ut sit merum et purum. Tale enim est, si solummodo aquæ alteriusve liquoris expers sit; et corpus est nudum præcise eo quod vestimento careat; et quisque est solus, si tantummodo alterius consortio destituatur : ita humanitas Christi erit persona humana, et homo solus, purus, nudus, vulgaris, et similis aliis hominibus, sejuncta tantum ab ea divinitate Verbi, nullaque prorsus in eam inducta realitate intrinseca.

Conclusio argumenti a SS. PP. auctoritate ducti.

7. Quare, ut huic, meo quidem judicio, ineluctabili argumento, tandem aliquando finem imponamus, cum inter naturam et hypostasim solum discrimen rationis SS. Patres agnoverint, et de subsistentia a natura re aut modaliter distincta nusquam mentionem fecerint, neque singuli in suis libris, neque conjunctim in synodis, sive provincialibus, sive generalibus, ut in 1. Nicæna contra Arium, in 2. Constantinopol. contra Macedonium, in 3. Ephesina contra Nestorium, in 4. Chalcedonensi contra Eutychetem, in 5, et 6. Constantinopolitana contra Acephalos et Monothelitas, nec in aliis, in quibus eis non modo occasio data est, sed summa etiam necessitas incubuit declarandi mysteria Trinitatis et Incarnationis adversus enatas hæreses, tam subtiles, tamque varias; cum, inquam, modalis subsistentiæ nunquam meminerint, sane tam altum, perpetuumque eorum hac de re silentium, magno argumento est eam nullam prorsus esse, ac ejusmodi formam, aut modum a natura re distinctum non esse necessarium ad mysterium Incarnationis et intelligendum et perficiendum; imo vero cum Christus ab iisdem, et ab Ecclesia universa in Symbolo Athanasii credatur, et dicatur, *perfectus Deus, et perfectus homo,* id est, æque perfectus homo, ac est perfectus Deus; cum tam sæpe, tam diserte, et constanter ab iisdem dicatur, *similis nobis per omnia, solo peccato excepto; natura humana in eo tenere suas omnes proprietates indiminute, et sine ullo defectu, ac deminoratione; habere omnia quæ humana sunt, quæque in nobis ab initio Deus condidit; habere consummationem perfectionis humanæ, integrum Adam, totumque veterem sine peccato hominem, etc.;* cum mysterium Incarnationis ita declarent, ut nusquam, vel verbulo significent, quidquam reale quod aliis hominibus insit, humanitati assumptæ deesse : persuadere mihi aliud non possum, non modo verissimam, tutissimamque eam esse sententiam quæ hoc defendit, sed contrariam, quæ huma-

nitati Christi per Incarnationem deesse aliquid re distinctum asserit, parum habere probabilitatis et firmitatis, quod a tam gravi, tamque expressa Scripturæ, et Conciliorum auctoritate, a tam certo et constanti Sanctorum Patrum consensu, in re non parvi momenti discedat, nulla in contrarium, vel auctoritate, vel ratione sufficienti : imo videri injuriam nonnullam facere, et Deo, quod se ipse creaturæ suæ communicare non possit, sine aliqua ejus in naturalibus læsione, et Christo ipsi. Ut enim initio admonuimus ex

Cassiano. Cassiano lib. 1. de Incarnatione cap. 2. *Non minoris est erroris Domino JESU Christo impropria addere, quam propria derogare: quod enim de illo non ita dicitur, ut est, etiamsi honor videatur, injuria est.*

8. Quod si in demonibus, ut communiter docent theologi, naturalia per peccatum imminuta non sunt, multo magis illæsa manserint in hominibus, et angelis per gratiam, sive habitualem, sive hypostaticam. Et si de scripto Dei Verbo iota unum, aut unum apicem delere sacrilegium est non ferendum, Verbo Dei Incarnato ejusque humanitati, vel existentiam, vel modum, aliamve perfectionem naturalem detrahere, quo nomine appelles?

S. Thomas. Ut non sine causa a S. Thoma scriptum sit 4. contra Gentes cap. 43. *DEROGARETUR PERFECTIONI INCARNATIONIS DEI VERBI, SI ALIQUID EORUM, QUÆ NATURALIA SUNT HOMINI EI DEESSET.* Et Paulo post. *FIDES PER OMNIA SINE PECCATO, SIMILEM EUM NOBIS IN NATURALIBUS CONFITETUR.*

CAPUT XXXI.

Exponitur propositio Sanctorum Patrum, VERBUM DIVINUM ASSUMPSIT NATURAM, NON ASSUMPSIT PERSONAM.

Objectio. **1.** Non leve sententiæ suæ præsidium in dicta propositione ponunt adversarii. Existimantes enim eam verificari non posse in nostra, ita argumentatur. Concilia, et Patres sæpe affirmant Verbum assumpsisse naturam humanam, et non personam. Hic autem loquendi modus, verus esse non potest, nisi personalitas

humana sit forma realis, et modus a natura humana a parte rei distinctus, a Verbo Divino non assumptus, sed exclusus. Igitur de mente Sanctorum Patrum personalitas humana est modus quidam, aut forma positiva naturæ humanæ superaddita, et ab ea plusquam ratione distincta.

2. Adversariorum in hoc argumento fiducia nascitur ex ignoratione modi, quo a Christo abest hypostasis et personalitas humana. Detractione enim alicujus formæ et realitatis abesse, nec aliter fieri, aut intelligi posse existimant. Nos contra sola additione et unione substantiali Verbi Divini abesse, nec aliter fieri posse censemus, et pluribus supra ostendimus. Ergo ad propositum argumentum, concessa majore, quæ est de fide, et habetur apud Augustinum, vel potius Fulgentium lib. de fide ad Petrum c. 17. a Sanctis Patribus sic concepta ad hæresim Nestorii duas in Christo personas, divinam et humanam, affirmantis diserte excludendam. Neganda est minor. Cujus ut falsitas simulque prædictæ Sanctorum Patrum propositionis vera intelligentia clare eluceat, tria prænotanda sunt. Responsio.

3. Primum est, Nestorium ita duas in Christo personas asseruisse, ut tamen, ad eludenda Scripturæ testimonia, quibus Christus unus et idem dicitur, et quibus quæ Dei sunt, eadem de homine, et quæ hominis, eadem de Deo in Christo prædicantur, eas personas aliquo modo unitas et conjunctas esse diceret. Qua unione, et in quo tota hæresis Nestorianæ ratio sita sit, clarissime explicatur a Sancto Thoma 3. part. qu. 2. art. 6. his verbis. *Alia,* inquit, *fuit hæresis Nestorii, et Theodori Mopsuesteni separantium personas. Posuerunt enim, aliam esse personam Filii Dei et Filii hominis, quas dicebant sibi invicem esse unitas.* 1. *Secundum inhabitationem, in quantum Verbum Dei habitavit in illo homine, ut in templo.* 2. *Per unitatem affectus in quantum voluntas illius hominis est semper conformis voluntati Verbi Dei.* 3. *Secundum operationem, prout scilicet dicebant hominem illum esse Verbi Dei instrumentum.* 4. *Secundum dignitatem honoris, prout omnis honor, qui exhibetur Filio Dei, exhibetur Filio hominis, propter conjunctionem ad Filium Dei.* 5. *Secundum æquivocationem, id est, communicationem nominum, prout, scilicet, dicimus illum hominem esse Deum et Filium Dei. Manifestum est autem istos omnes modos accidentalem unionem importare.* Hæc S. Thomas. In quo consisteret hæresis Nestoriana.

4. Notandum 2. Ex Concilio Ephesino, ut mox dicetur du- Assumptio duplex.

plicem esse unionem, seu assumptionem; (hæc enim duo pro eodem hic accipimus, tametsi ratione aliquo modo differant, ut pluribus exponit S. Thomas q. citata art. 8.) una est *substantialis* quam Concilium vocat *adunationem physicam, naturalem et substantialem.* Altera *accidentalis* et Nestoriana, quam appellat conjunctionem secundum *dignitatem, vel auctoritatem, vel potentiam.*

Concilium Ephesinum.

Quam qui in Christo ponit, ei Concilium anathema dicit, his verbis: *Si quis in uno Christo dividit subsistentias post adunationem sola copulans eas conjunctione, quæ secundum dignitatem quamdam, vel auctoritatem est, vel secundum potentiam, et non magis concursu secundum adunationem naturalem (Physicam alii vertunt, id est substantialem); anathema sit.* Quæ verba sunt anathematismus tertius ex duodecim, quos Cyrillus subjecit epistolæ, quam suo et Alexandrinæ Synodi nomine misit ad Nestorium, quæ habetur tomo 1. concilii Ephesini cap. 14.

Quid assumptio substantialis.

5. Unio autem illa et assumptio *substantialis* atque adeo catholica et hypostatica, est ea qua duæ, aut plures naturæ, et substantiæ singulares, non solum sibi invicem intime præsentes sunt, sed etiam vere et realiter et substantialiter individuæ atque adeo una hypostasis, vel composita ut cum duæ aquæ in unam conjunguntur, vel simplex, natura una, nempe assumpta transeunte in hypostasim assumentis, ut in Christo, cujus hypostasis non est alia quam hypostasis Verbi Divini, ut fides docet, et explicatum est supra cap. 24. et sequentibus. *Accidentalis* vero et Nestoriana unio ac assumptio, ea est qua substantiæ ita unitæ sunt et dicuntur, ut tamen maneant realiter et substantialiter actu divisæ, aque adeo duæ, aut plures hypostases. Quod multis modis fieri potest, nempe vel *loco, et intima præsentia,* ac virtutis applicatione, quo modo Angelus corpori assumpto unitur vel *voluntatum; sensuumque concordia,* ut qui idem sentiunt, et volunt; vel *societate et concursu ad idem opus,* ut artifex et instrumentum ab eo assumptum, vel aliis similibus modis, quibus assumens ita unitur assumpto, ut tamen maneant actu et realiter separata, proindeque duæ sint hypostases, et duæ personæ, si sunt substantiæ rationales. Ita Petrus, et Joannes a Christo Matth. 17. Paulus et Barnabas a Spiritu S. Act. 13. Titus a Paulo ad Galat. 2. Marcus a Barnaba Act. 16. Christus a diabolo Matth. 4. et 12. ab immundo spiritu septem spiritus nequiores assumpti dicuntur.

Assumptio accidentalis quæ sit.

Duplicem etiam hanc assumptionem habet Augustinus sub finem lib. 3. et 4. de Trinitate, ubi priorem vocat assumptionem ad unitatem personæ, qua assumens est id quod assumitur; ut Dei Filius homo ille qui de Virgine factus est. Alteram nominat, non ad unitatem personæ, sed tantummodo ad ministerium aliquod, qua assumens non est id quod assumitur; ita columbæ species a Patre Matth. 3. et igneæ linguæ a Spiritu Sancto Act. 2. assumptæ sunt. *Utrum enim,* inquit, *ad unitatem personæ, an tantummodo ad ministerium peragendæ significationis, invenire difficile est, et temere affirmare non expedit.* Augustinus.

6. Notandum 3 terminum hunc *assumere,* vel *assumptio* dupliciter accipi posse. Vel in genere, ut præscindit et abstrahit ab hoc et illo assumptionis modo paulo ante exposito, vel in specie et determinate pro hac vel illa ratione assumptionis substantiali, vel accidentali : quæ determinatio ex alio in propositione ei adjuncto termino cognoscitur. Nam secundum exigentiam illius pro substantiali vel pro accidentali accipi debet. Quibus prænotatis Assumere sumitur dupliciter.

7. Dico 1. Prædictæ propositionis SS. PP. primam partem nempe *Verbum assumpsit naturam,* a secunda *non assumpsit personam,* non esse disjungendam, ac integræ propositionis sensum esse, humanitatem assumptione substantiali non accidentali a Verbo Divino assumptam esse. 1. Assertio.

Probatur 1. Quia duæ illæ propositiones simplices in unam compositam sic conjunctim a Sanctis Patribus conceptæ sunt, ad Catholicam de Incarnatione fidem diserte astruendam, et simul Nestorianam hæresim expresse rejiciendam : id autem supradicto modo, et sensu fit commodissime, brevissime, et clarissime. 1. Argumentum.

8. Secundo. *Verbum non assumere personam* contradictorie opponitur *assumere personam.* Personam autem assumere est eam sibi unire, modo Nestoriano et accidentali, ita ut semper maneant duæ naturæ separatæ duæque hypostases. Ita enim voluit Nestorius, ut constat, tum ex Conciliis, in quibus ejus hæresis damnata est, tum ex Cassiano lib. 1. de Incarnatione cap. 2. et 3. et lib. 5. cap. 1. ubi hæresim Nestorii in eo existere docet, quod Dominum Nostrum Jesum Christum hominem solitarium, seu tantummodo hominem faceret, hocque tantum ab aliis discerneret, quod esset sine peccato; tum ex Cyrillo locis a nobis supra citatis c. 30.; tum ex Epist. ad Theodosium de recta in Deum fide. *Unum Christum* 2. Argumentum. Cyrillus.

in duos secernunt (scilicet Nestoriani) *et crassa quadam separatione inter hunc et illum inducta, utrumque seorsum ac quasi per se subsistere contendunt.* Et paulo post, *si inter solas naturas secernerent, a veritate non aberrarent. Alia enim carnis; alia rursus Verbi est natura : at hic sese non continent; verum ulterius progressi alterum seorsum per se tanquam merum hominem considerant, alterum ut verum et naturalem Dei Filium nominant.*

Ita sensisse Nestorium patet manifesta ratione. Nam cum hypostasis et persona sit natura prout est substantia distincta, et separata ab alia, atque adeo tota; duæ substantiæ separatæ erunt duæ hypostases et personæ. Igitur cum Nestorius divinam naturam in Christo ab humana disjungeret, duas in eo necessario personas asserebat. Denique cum personam a Verbo assumptam esse diceret, et quod assumptum est post assumptionem manere debeat, in Christo esse personam assumentem et assumptam, atque adeo duas esse volebat. Itaque SS. Patres ejus heresim damnantes recte dixerunt Deum assumpsisse naturam, non assumpta persona.

2. Assertio. **9.** Dico 2. Quod si quis primam prædictæ propositionis partem, *Verbum assumpsit naturam,* a secunda *non assumpsit personam,* sejungat, et duas propositiones faciat; prima intelligenda erit de sola assumptione in genere, ita ut nullum determinet specialem modum quo natura assumpta est. Secunda vero, propter terminum *personæ,* qui in suo conceptu essentiali dicit separationem ab omni alia hypostasi, intelligenda erit in specie de assumptione accidentali et Nestoriana, quæ de Verbo divino negatur. Itaque cum ex prima propositione habeatur, quod humanitas revera est assumpta a Verbo, ex secunda autem quod non est assumpta, ita ut maneret ab eo separata; ex utraque simul recte ac necessario infertur quod non accidentaliter, sed hypostatice, substantialiter et ad unitatem personæ assumpta est.

Hæc assertio clara est. Nam sicut animal est indifferens ad rationale et irrationale; ita assumptio naturæ indifferens est ad substantialem et ad accidentalem, ad eam quæ est sine persona, et eam quæ est cum persona. Cum enim natura includatur in persona; qui personam assumit, etiam naturam assumit, eo scilicet modo quo personam. Igitur sicut qui dicit aliquid esse animal, non determinat quale animal; ita qui tantum dicit naturam assumi, modum et speciem assumptionis non exprimit.

1. Corollarium. **10.** Ex his manifeste patet quod prædictæ Sanctorum Patrum

propositionis, *Verbum non assumpsit personam humanam*, sensus nullo modo is est quem putant adversarii, videlicet, quod ab assumpta humanitate Christi exclusus est modus aliquis, aut aliqua forma realis, qua persona humana formaliter constituitur, aut quod ille modus in ea remanens a Verbo divino non est assumptus, nec ei unitus; quia nullius rei, modi realis, aut formæ a natura humana abjectione, sed sola additione et unione Verbi divini, ut sæpe dictum est, abest a Christo personalitas humana. De ejusmodi enim modo, aut forma ab humanitate Christi exulante, Concilia et Sancti Patres ne per somnium quidem unquam cogitarunt, ut constat ex supra dictis.

11. Patet præterea quod in nostra, vel etiam Scoti sententia de hypostasi, dictæ propositionis adæquatus sensus non est tantum quod Verbum non assumpsit nihil, ut Cajetanus in art. 2. q. 4. 3. p. objicit iis qui tenent personam dicere aliquid negativum; tum quia nemo dicit personam esse quid mere negativum; tum quia cum secundum logicos duplex negatio æquivaleat affirmationi, Verbum non assumere nihil, idem est ac assumere aliquid; quæ propositio vera est, licet propter terminum (aliquid) valde generalem, distincte aut formaliter non exprimat quid sit assumptum. Igitur in eo etiam sensu nihil habet absurdi, tum quia, sive negatio unionis sit de essentia personæ, sive non sit, Verbum non assumpsisse personam assumpta natura humana, est naturam non assumpsisse modo Nestoriano; qui sensus est vere catholicus, et maxime intentus a Sanctis Patribus, ut pote hæresi Nestorianæ contradictorie oppositus. 2. Corollarium. Refellitur Cajetanus.

12. Dico 3. Eos, qui, ubi concessum illis fuerit, hac propositione *Verbum assumpsit naturam, non personam* has et similes contineri *Verbum impedivit in natura humana negationem unionis : non assumpsit naturam humanam sine unione secum : Humanitas a Verbo assumpta non existit per se, sola et sine alio*, dicunt et objiciunt, quod hoc est ridiculas et vanas facere Sanctorum Patrum locutiones, nec quas dicunt SS. Patrum locutiones, neque prædictas omnes propositiones satis intelligere. Id autem dicunt et objiciunt Suares in sua Metaphys. disput. 34. num. 13. Joannes De Lugo disput. 12. de Incarnatione num. 12. et Hurtadus de Mendoza disput. 11. suæ Metaphys. sec. 3. § 30. addens SS. Patres prædictam propositionem juxta dictum sensum enuntiantes perinde facturos, *ac si status Regni Hispaniæ, ad deli-* 3. Assertio. Suarez. De Lugo. Hurtadus.

berandum de summa totius regni in unum coacti, sancirent, hominem sedentem non stare et quiescentem non currere.

Refelluntur

13. Primo enim, quis ferat vanas et ludicras nominari locutiones quas Concilia, et Sancti Patres sexcenties in terminis habeant? Christum enim esse unum, non duo; in eo naturam divinam et humanam esse indivise, inseparabiliter, non seorsim, non sejunctim, non separatim, sine divisione, et similes loquendi formulæ, quid aliud sunt quam Verbum assumpsisse naturam humanam non sine unione? quam humanitatem ita esse assumptam a Verbo, ut non existat sola, et per se? quam Verbum assumendo humanitatem, effecisse, ut in ea non esset divisio et negatio unionis a se? Vix autem aliter loquuntur Sancti Patres, ut patet ex locis supra cap. 30. recitatis. *Anathematizetur Nestorius,* in-

S Leo papæ.

quit Leo Pontifex Epistola 97. ad Leonem Augustum, *qui B.V. Mariam non Dei, sed hominis tantum credidit genitricem, ut nec unum Christum in Verbo Dei et carne sentiret, sed separatim atque sejunctim alterum Filium Dei, alterum Filium Hominis prædicaret.* Et Epist. 83. ad Palæstinos Monachos de Nestorio loquens, *Nec unum,* inquit, *Christum in Verbo Dei, et carne sentiret; sed separatim atque sejunctim alium Filium Dei, alium filium hominis prædicaret.* Quo modo alii omnes Patres fere semper loquuntur.

Secundo. Definitum sua definitione exponere, nemo eam bene intelligens vanum et ridiculum dixerit. At dicere Verbum Divinum assumptione humanitatis impedivisse in ea negationem unionis, vel fecisse ut non esset per se, et sola, est vera, expressa et formalis definitio ejus quod est, assumpta natura non assumpsisse personam. Si enim *assumere personam,* est assumere naturam rationalem ab assumente substantialiter divisam, eique non unitam, ut exemplis supra allatis patet, vel sole clarius est hanc propositionem, assumpta natura non assumere personam, quæ priori contradictoria est, aliud nihil esse, quam naturam assumere sumenti unitam, ab eo indivisam per se, et seorsim ab illo non existentem,

Aristoteles.

et carentem negatione unionis cum eo. Nam quia *privatio quodammodo forma est,* 2. Phys. text. 15. exclusio cujuslibet privationis a suo subjecto per habitus ac formæ oppositæ præsentiam, carentia, negatio, ac etiam privatio appellari solet. Unde aerem lucidum tenebris, doctum ignorantia, divitem paupertate, sanctum peccato carere dicimus; et videns cæcitatis,

sanus infirmitatis carentiam habere vulgari sermonis consuetudine dicitur.

14. Tertio. Causam per effectum, et positivum per negationem ei necessario junctam, eoque notiorem explicare, minime ridiculum et nugatorium est, sed philosophis familiare. At dicere humanitatem assumptam ea assumptione, qua sola et per se non est, caretque negatione unionis, est declarare assumptionem et unionem hypostaticam per ejus effectum formalem negativum, et saltem secundarium.

15. Quarto. Qui speciem aliquam, suo genere suaque differentia qua secernitur ab altera specie, exponit; qui nominis æquivoci significationem propriam declarat; et qui propositionem sensu quo divina fide tenenda est, ab eo quo rejicienda et damnanda est, distinguit, nemo jure nugacem appellarit. At talis est, et simul hæc omnia præstat, qui dicit Verbum assumpsisse naturam non sine unione, vel impediendo in natura humana negationem unionis; cum distinguat assumptionem hypostaticam et substantialem a non hypostatica, hujusque propositionis (*Verbum assumpsit naturam, non assumpta persona*) sensum verum, catholicum, et divina fide tenendum exponit et a falso, Nestoriano et damnando, secernit.

16. Quinto non in eo solum objicientes decepti sunt, quod *assumptionis* vocabulum commune et assumptionem tam accidentalem quam substantialem importans, non distinxerint; sed etiam quod, ut æquivocum non esset, solamque assumptionem substantialem et hypostaticam significaret, tamen prædictum loquendi et exponendi modum male omnino reprehenderent. In communi enim et docendi et loquendi usu nihil frequentius, quam lumen, ab aere tenebras, visum, ab oculo cæcitatem, scientiam, ignorantiam ab anima, et universim formam omnem sui privationem et negationem a subjecto suo excludere, et impedire ne aer luminis, oculus facultatis videndi, et anima scientiæ, etc. privationem et negationem habeat. Hoc enim loquendi modo aliud nihil significatur, quam aerem lumine, oculum visu, animam scientia perfici et informari; cum omnis negatio omnisque privatio, non nisi formæ, aut rei positivæ quam negat, reali præsentia et positione tollatur. Ita cum Verbum ab humanitate assumpta exclusisse negationem unionis, vel assumpsisse naturam a se indivisam, aliud nihil sit, quam substantialiter et hypostatice univisse sibi naturam

humanam, nihil prorsus est in hoc loquendi modo, quod merito reprehendi possit.

17. Sexto, si dicere animam rationalem constituere hominem, eamque corpus non informare sine unione cum eo, et Petrum v. g. non esse hominem sine ratione, bonum sine virtute, doctum sine scientia, nihil habet ridiculi aut inepti; multo minus dicere Verbum non assumpsisse naturam sine unione cum ea.

De Lugo. Porro quod ait De Lugo loco citato; *naturam humanam assumptam a Verbo non mansisse per se existentem sine unione ad Verbum, adeo clarum esse, ut ridiculum esset, et indignum omnino id ab Ecclesia universali, ut dogma fidei definiri* omnino improbandum videtur. Nam si naturam humanam ita a Verbo esse assumptam, ut non manserit sola, et per se, ac sine unione cum eo, est ipsissima ratio et substantia Incarnationis Dei, atque adeo articulus nostræ fidei, post Trinitatem, omnium obscurissimus, et creditu difficillimus; si est res omnem intellectus creati etiam Angelici vim, et capacitatem naturalem tantopere excedens, qui potest dici esse quid adeo clarum, et cuique obvium?

Refellitur.

Deinde qui tantum dicit humanitatem a Verbo Divino assumptam esse, his verbis nullo modo exprimit, qua assumptione sit assumpta, an substantiali, et cum unione ad unitatem personæ, an accidentali sive unione substantiali, et non ad unitatem personæ, sed tantum ad opus et ministerium quoddam, eo modo quo Paulus et Barnabas a Spiritu Sancto Actorum 13. assumpti, et infirmus in fide ad Rom. 14. ac omnis Pontifex ex hominibus a Deo assumptus ad Hebræos 5. dicitur. Itaque cum primo tantum modo naturam humanam esse assumptam, nosse ac certo credere tanti referat ad salutem, sitque totius religionis Christianæ basis, et fundamentum, quod convellere, et funditus evertere Nestorius nitebatur, duas in Christo ponens personas, solamque ponens accidentalem unionem, et negans substantialem; hanc fidei veritatem declarare, hoc religionis totius christianæ fundamentum statuere ac defendere, simulque impiam hæresim damnare, dicendo naturam humanam a Verbo assumptam esse non sine unione cum eo, vel ita ut non manserit sola et per se (quod aliud nihil est, quam Verbum naturam non personam assumpsissẽ) id ridiculum et Ecclesiæ universalis sapientia, gravitate, ac providentia indignum quisquam vel cogitare audeat?

Unione cur pereat subsistentia non divina.

18. Ad id autem quod subjungit idem auctor; *Quod si ex eo*

præcise natura humana amittit propriam personalitatem, quia unitur Verbo; etiam Verbum, quod ei unitur, suam amittet; sæpius responsum est negando sequelam. Sæpiusque dictum quod illa suam amittat subsistentiam, quia cum sit substantia finita, unione cum Verbo suæ amittit substantiæ totalitatem, sitque in Christo, ut pars in toto. Verbum autem, propter contrariam rationem, id est, propter naturæ et substantiæ suæ infinitatem, nullam partis rationem habere possit, ideoque indeperdibilem habeat subsistentiam.

19. Hurtadus autem sua illa comparatione in re seria, non solum jocatur, sed etiam fallitur. Manifestissima enim est exemplorum quæ affert disparitas. Cursus enim a quiete, et sessionis a statione differentia, et unius cum altera in eodem incompatibilitas ignota est nemini, (nisi forsan illi uni; cum enim existimet eamdem naturam posse subsistere per se, et simul a Deo assumi, hoc quodammodo est idem simul stare et sedere) propterea neque gravitatis, neque sapientiæ Hispanicæ esset, non modo in publicis regni comitiis decernere, sed ne in ullo privato congressu, et colloquio familiari dicere, stantem non sedere, quiescentem non currere. At vero tota Incarnationis œconomia occultissima est, et quæ qualisve sit assumptio naturæ humanæ a Verbo Divino, an substantialis, et ad unitatem personæ, nec ne sit, non nisi revelatione divina quæ obscura est, et nobis, et etiam Angelis innotuit. Itaque cum Nestorius, ut diximus, negata inter utramque naturam unione, et inducta inter eas divisione, veritatem Incarnationis everteret; Ecclesiæ, ac Sanctorum Patrum curæ ac vigilantiæ fuit tanto malo occurrere, impiam hæresim damnare, fidem et veritatem tanti mysterii tueri ac declarare, quod expressius, clarius et distinctius fieri non potuit, quam dicendo : *Verbum non assumpsisse naturam sine unione,* vel *assumpsisse naturam humanam indivise, inseparabiliter, sine divisione, et ita ut non esset sola, per se, seorsim, sejunctim, separatim,* a Verbo; quo loquendi modo SS. PP. fere semper utuntur, et rarissime dicunt, *assumpta natura, non assumpsisse personam.*

In sua Metap. Disput. 11. sect. septima.

20. Cæterum nusquam reperiet Hurtadus, quod ait ibidem, *Ecclesiam damnasse hæreticos, quod admissa naturarum unione duas in Christo esse personas dicerent.* Nam, ut ait Anastasius Sinaita in ὁδηγῷ cap. 4. sub finem; *Sancta Ecclesia, ut Nestorium ob naturarum in Christo divisionem separationemve : ita Severum*

Anastasius Sinaita.

cum suis, ob earumdem confusionem rejicit. Præterea *naturas in Christo non esse unitas, esse in eo duas personas : et Verbum assumpsisse personam,* propositiones sunt æquivalentes. Et qui dicit personam assumere personam, duas dicit personas, assumptam et assumentem : et personæ duæ, sunt duæ naturæ separatæ, ac non unitæ substantialiter, idque sole clarius est in Actis Concilii Ephesini, et in Sanctis Patribus, qui de hæresi Nestoriana scripserunt, et potissimum in Cyrillo locis innumeris.

Cyrillus.

Nam præter ea quæ supra retulimus, in eo opere, in quo ex singulis fere novi Testamenti libris argumenta ducit contra Nestorium, tractans locum quemdam ex Evangelio Joannis hæc habet : *Quomodo non insaniunt, qui divisione inducta, alium Dei Patris Verbum, alium rursus illum, qui ex sacra Virgine ortum ducit Filium esse asserunt.* Et tractans loca ex Epistolis Joannis, *quicumque,* inquit, *divisione inducta, eum qui ex muliere natus est, verum Dei Filium negant, filii autem nomen soli, nudoque Dei Verbo assignant, ii Patres omnes mendaces faciunt.* Et tractans loca Epistolæ ad Romanos. *Qui unum in duos dispertiunt, aperto impietatis crimine sese constringunt. Quandoquidem si is qui passus est, esset homo per se et secundum se divisim et non ipsummet Dei Verbum carnis trabea indutum; Pater proprium pro nobis Filium nequaquam dedisset.* Sed nimis multa in re clarissima.

Conclusio et summa hujus capitis.

21. Concludendum igitur quod prædicta SS. PP. propositio et ex eorum mente, et ex rei veritate, ac eo sensu, quo a nobis hic exposita est, nullam infert aut excludit ab humanitate Christi formam, modumve a parte rei distinctum, sed aliud nihil est quam tertii canonis et anathematismi Concilii Ephesini a nobis supra relati summa et brevis comprehensio, quam assertio catholica unius in Christo personæ pluriumque exclusio et expressa hæresis Nestorianæ damnatio, quam mysterii Incarnationis plena et perfecta declaratio, quodque humanitas Christi a Verbo Divino est assumpta, non eo modo quo corpus ab angelo, Petrus et Joannes a Christo aliique supra enumerati dicuntur assumpti, sed modo catholico, sine divisione et separatione, per unionem substantialem et indivisionem realem in unitatem pĕrsonæ divinæ. Qui sensus, ut patet, non vanas et ridiculas, sed maxime serias facit Sanctorum Patrum locutiones; cum nihil brevius, verius et expressus a viris Spiritu Sancto plenis enuntiari potuerit ad catho-

licam de mysterio Incarnationis fidem declarandam et simul Nestorii hæresim destruendam, quam quod *Verbum divinum assumpsit naturam humanam, non assumpsit personam.*

22. OBJICIES primo. Sanctos Patres communiter dicere, Verbum suscepisse hominem. Homo autem est hypostasis et persona, igitur ex eorum mente Verbum assumpsit personam. Hanc difficultatem tractat S. Thomas 3. p. q. 4. a. 3. ubi solut. ad 1. respondet quod *hujusmodi locutiones, quibus Sancti Patres dicunt Deum suscepisse hominem, non sunt extendendæ tanquam propriæ, sed pie exponendæ, ut dicamus hominem assumptum; quia ejus natura est assumpta et quia assumptio terminata est ad hoc, ut Filius Dei sit homo.* 1. Objectio. Responsio.

OBJICIES secundo. Non potest assumi persona sine natura; ergo nec natura sine persona. Concesso antecedente, negatur consequentia. Nam, ut ait S. Thom. q. de unione Verbi art. 2. ad 11. *Quia in supposito includitur natura, non autem, e converso, ideo non potuit assumi suppositum, quin assumeretur natura; potuit autem e converso contingere.* Itaque assumptio naturæ et personæ accidentalis est et Nestoriana; assumptio naturæ non personæ substantialis et catholica, qua VERBUM CARO FACTUM EST. 2. Objectio. Responsio.

CAPUT XXXII.

Quo sensu Sancti Patres dicunt ALIUD ESSE NATURAM, ALIUD HYPOSTASIM, *vel* NON ESSE UNUM ET IDEM.

1. UT NULLUS cujusquam animo hæreat scrupulus, quin ea de distinctione hypostasis a natura, mens ac sententia Sanctorum Patrum, atque adeo Ecclesiæ universæ fuerit, quam superius exposuimus; declarandi nobis sunt quidam eorum loquendi modi, quibus non recte intellectis adversarii in fraudem inducti sunt. Ejusmodi sunt. *Aliud esse naturam, aliud hypostasim; personam et naturam non esse unum et idem : Errasse hæreticos quod existimarint naturam et hypostasim unum et idem esse, quæ sane inter se differre Ecclesiæ catholicæ alumni cognoscunt,* inquit Epiphanius diaconus in Synodo 7. Actione 6. tom. 3. re- Epiphanius.

Damascenus Anastasius.

futationis Synodi falso septimæ. Idem scribit Damascenus libro 3. cap. 3. de fide orthodoxa et Anastasius Sinaita in ὁδηγῷ cap. 17. *Tanquam in conspectu Dei,* inquit, *anathema universasque diras denuntio ei omni, qui naturam ait esse hypostasim; quod cum Sabellii, Arii, Nestorii impietate colludit.* Et capite 22. *Universus Sanctorum Patrum cœtus et ipse Cyrillus non uno loco, aliud esse dicunt naturam, aliud hypostasim. Hanc regulam secuta Ecclesia catholica docet Christum esse duas naturas unitas; duas vero hypostases, sive personas in illo profiteri vel constituere nequaquam audet.* Ad quorum omnium veram intelligentiam germanamque explicationem

Hæreticorum sensus.

2. Dico **1.** Hæreticos, quorum paulo ante mentio facta est, ideo errasse et a Sanctis Patribus merito condemnatos esse, quod existimarint hypostasim et naturam ne quidem ratione distingui, vellentque esse nomina synonyma, non secus ac vestis et indumentum. Ita Leontius et sanctus Thomas a nobis citati supra cap. **6.** num. **3.** et **4.**

Probatur **1.** Quia omne quod hypostasi convenit, hoc naturæ; vicissim omne quod naturæ, hoc hypostasi convenire volebant et cui unum inest, inesse et aliud. Hinc enim inferebant tot semper esse naturas, quot personæ; et vicissim tot personas, quot naturæ. Inferebat Arius tres in Trinitate esse naturas, quod in ea tres essent personæ. Sabellius contra, unam esse tantum personam divinam, quia una tantum esset natura divina. Et Nestorius duas in Christo esse personas, quod duæ in eo essent naturæ. Eutyches contra, Severus, Dioscorus, Acephali et Monothelitæ unam in Christo esse naturam, unamque voluntatem, eo quod in Christo una tantum sit persona. Quæ consequentiæ bonæ essent, vero antecedente. Ut enim jam admonuimus supra cap. **6.** ex Aristoteles. Philosopho 3. Physic. text. 21[illegible] *Non eadem omnia iis insunt, quæ quolibet modo eadem sunt, sed solum quibus esse,* id est, definitio et ratio, *idem est.* Et lib. **2.** Elench c. **4.** *Solis iis, quæ secundum substantiam,* id est essentiam, *indifferentia et unum sunt, omnia videntur eadem inesse.* Igitur prædictæ hæreses hoc falso principio nitebantur, quod natura et persona ratione et definitione idem sunt.

Damascenus.

3. Secundo id patet ex Damasceno, qui ex hoc hæreticorum principio eamdem infert consequentiam libro de una natura contra Acephalos. *Etsi,* inquit, *nulla essentia est quæ hypostasi careat,*

nulla natura quæ personæ sit expers, non tamen hinc sequitur, aut essentiam hypostasim, aut personam naturam esse; nam si essentia est hypostasis et natura est persona, necesse est in sancta divinitate cum essentiam et naturam unam esse dicimus, unam quoque hypostasim et personam confiteri; aut si tres hypostases et personas confitemur, tres quoque naturas et essentias confiteri; et dicentes Christum conflatum esse ex duabus naturis, ex duabus etiam personis concretum esse asseramus. Igitur ideo tantum SS. Patres damnarunt hæreticos, quod naturam et hypostasim ne quidem ratione distinguerent.

Gabriel Vasquez.

4. Tertio denique id ipsum confitentur adversarii, ut Gabriel Vasquez in tertiam partem disp. 31. c. 1. num. 6. ubi addit quod Sancti Patres redarguentes hæreticos indistinctionis naturæ a persona, loquuntur de sola increata natura et hypostasi, non autem de creata; quod et gratis et falso dictum videtur. Gratis, unde enim, vel ex quo Sanctorum Patrum verbo talem restrictionem colligit? Falso item, tum quia Sancti Patres universim et simpliciter dicunt hypostasim et naturam non esse idem, seu aliud esse hypostasim, aliud naturam; ergo universim de omni natura et hypostasi loquuntur : tum quia ad probandum aliud esse essentiam, aliud hypostasim, sumunt exempla ex naturis et personis creatis, ut patet, ex capp. 20. et 21. supra; tum quia, ex Anastasio Sinaita ὁδηγῷ supra, Nestorium, Eutychetem, Severum, et Acephalos naturam ab hypostasi in Christo non distinguentes, eodem sensu, eademque de causa damnarunt, qua Arium et Sabellium, in Deo naturam et personam idem esse dicentes, Nicena synodus condemnavit. At hos condemnavit, quod naturam et hypostasim ne ratione quidem distinguerent.

Refellitur.

5. Dico 2. Ex eo quod Sancti Patres affirmant, aliud esse naturam, aliud hypostasim, naturam et hypostasim differre, aut negant esse unum et idem; nullo modo sequi eas a parte rei, et nemine cogitante distingui.

SS. PP. locuti sunt proprie.

Antequam hæc conclusio probetur, tria præmittenda sunt. Primum. SS. Patres propriissime locutos esse, et hos terminos, unum, idem, aliud, diversum et differens, seu differre in vero et proprio eorum sensu, ac significatione formali, in supradictis propositionibus usurpasse. Hoc, ut credo, nemo Theologus negaverit.

Quæ proprie dicantur unum.

Secundum. *Unum et idem* de iis propriissime dici, quæ sunt unum numero, et re ac ratione idem, ex philosopho 4. Metaphys. text. 11.

Hoc significat unum esse, sicuti tunica et vestis, si ratio una. Idem habet lib. 1. Top. cap. 6. et lib. 7. cap. 1.

6. Tertium. *Aliud, diversum, et differens,* de iis propriissime dici, quæ ratione et conceptu distinguntur, sive etiam re differant, sive non. Quæ enim sola ratione ac definitione differunt, ea propriissime differre, et esse alia, ac diversa dicuntur; tum quia *non sunt eadem, quorum definitiones sunt diversæ.* 6. Top. loco 17.; tum quia categoriæ omnes sunt simpliciter aliæ, et primo diversæ, nec tamen omnes re differunt, cum res eadem sub diversis rationibus sit in diversis categoriis, ut docet Philosophus cap. de quali, et affirmant plurimi de relatione et fundamento, de actione et termino, omnes, de actione et passione; tum quia *Diversa* definiuntur a Philosopho 5. Metaph. text. 16. *quorum aut species plures, aut materia, aut ratio substantiæ,* id est essentiæ, seu definitio; tum quia aliquid esse, vel idem, vel diversum, simpliciter dictum, intelligi de sola rationis et essentiæ vel identitate, vel diversitate, sive realis identitas, aut diversitas simul adsit, sive non. Manifestum est ex doctrina Aristotelis, qui lib. 3. phys. text. 21. et 22. docet actionem et passionem, quæ re ædem sunt non esse proprie idem, quod ratione sint diversa; sicut et distantia Thebis Athenas, et Athenis Thebas non sunt unum et idem, licet unum sit spatium eorum quæ distant. Et certe locorum ad quæstionem, *utrum aliquid idem sit ac diversum,* quos tradit capite 1. lib. 7. Topic. plurimi, vel etiam omnes, solam essentiæ et rationis diversitatem concludunt; unde cum aliquid amplius volumus, voces, re, realiter, aut a parte rei, addere solemus, dicimusque aliquid esse idem realiter, vel diversum realiter ab alio.

Quæ sola ratione differunt dicuntur diversa, et non idem.

Aristoteles.

Denique aliud et diversum importare rationis et conceptus, vel essentiæ diversitatem docet S. Thomas 1. part. q. 31. art. 2. Et 3. part. q. 2. art. 3. ad 1. q. 17. art. 1. ad. 7. Et S. Augustinus lib. 7. de Trinitate c. 4. *Aliud,* inquit, *est Deo esse, aliud subsistere, sicut aliud Deum esse, aliud Patrem esse, vel Dominum esse. Quod enim est, ad se dicitur. Pater autem ad Filium, et Dominus ad servientem creaturam dicitur.*

D. Thomas

Augustinus.

7. His præmissis probatur conclusio nostra. Primo. Quia aliud et diversum seu differens de iis vere et proprie dicuntur, quæ sola ratione differunt. At natura et hypostasis ratione et definitione differunt. Igitur ex modo loquendi Sanctorum Patrum nihil amplius inferri potest, quam eas ratione distingui.

1. Argumentum.

8. Secundo. Quia, sola posita inter naturam et hypostasim distinctione rationis, verissimæ sunt, et quidem in sensu proprio et formali, prædictæ Sanctorum Patrum propositiones : Duæ quidem priores, eæque affirmativæ; nempe *aliud esse hypostasim, aliud naturam : et naturam et hypostasim differre.* Ad hoc enim sufficit diversitas rationis inter naturam et hypostasim. Tertia item et negativa, scilicet, *hypostasis et natura non sunt unum et idem,* verissima erit. Tum quia, quæ ratione et conceptu idem non sunt, ea nec sunt, nec dicuntur simpliciter unum et idem. Tum quia quemadmodum, ut homo vere affirmetur de aliquo, illud debet non solum esse animal, sed etiam rationale; ut autem vere simpliciter negetur de aliquo, satis est si illud non sit rationale, nec debet necessario non esse animal, quia scilicet plura requiruntur ad cujusque rei constitutionem, quam ad ejus destructionem : ita cum unum et idem simpliciter sit idem numero, et idem numero, idem sit quod re et ratione est idem alicui, et ad illud se habet, sicut vestis et indumentum, sicut homo, et animal gressile bipes, ex Philosopho supra, ut aliqua affirmentur simpliciter esse unum et idem, et re, et ratione idem esse debent, ut vero eadem proprie et vere negentur esse unum et idem, sufficit si ratione et definitione non sint idem; plura enim ut dictum est, requiruntur ad affirmationem, quam ad negationem. Igitur hypostasis et natura recte a SS. Patribus negantur esse unum et idem, etiamsi re idem sint, quia non sunt idem ratione et definitione. Adde quod, quæ sunt diversa, ea non sunt unum et idem; quæ autem definitione differunt, ea sunt diversa, ut ante dictum est. 2. Argumentum.

9. Tertio. Ex eo, quod hypostasis et natura dicantur distingui, et esse aliud, inferre ea realiter distingui, est fallacia consequentis. Quia esse aliud, abstrahit ab esse aliud ratione tantum, et esse aliud re, et ratione igitur hoc ex illo affirmative nullo modo concludi potest. Similiter cum non esse unum et idem, præscindat a negatione ejusdem secundum essentiam et rationem tantum et a negatione ejusdem secundum rem et rationem; sicut ex eo, quod actio et passio dicantur non esse idem, nemo recte inferet non esse idem realiter : ita ex eo, quod hypostasis et natura dicantur a Sanctis Patribus non esse unum et idem, male inferunt adversarii eos velle non esse unum et idem realiter, committuntque fallaciam consequentis. 3. Argumentum.

Constat igitur ex prædictis loquendi modis Sanctos Patres nullum

aliud voluisse discrimen statuere, inter naturam et hypostasim, quam discrimen rationis et definitionis.

CAPUT XXXIII.

Quod humanitas Christi *secundum S. Thomam existat propria et creata sua existentia.*

1. Licet ex supradictis satis constet, ex rei veritate, et etiam ex mente S. Thomæ (tametsi essentiam re distinguat ab existentia) fieri nullo modo posse, ut humanitas Christi sua exuta propria existentia, existat divina, quod ex Scriptura, Conciliis, Patribus, et expressis S. Thomæ testimoniis ostensum sit perfectam esse Incarnationem, non detractione, nec defectu ullius realitatis naturalis in humanitate Christi, sed per solam additionem, et unionem Verbi cum humanitate integra, suisque instructa bonis omnibus, et proprietatibus naturalibus : tamen quia nonnulli insignes Thomistæ, ut Capreolus in 3. dist. 6. q. unica art. 1. concl. 1. et Cajetanus in art. 2. q. 17. 3. parte, et alibi pertinaciter, ne dicam periculose, defendunt humanitatem Christi, sua spoliatam propria et creata existentia substantiali, existere ipsa increata Verbi Divini existentia, et non alia, in eoque rationem Incarnationis consistere putant aliqui, existimantes hanc esse germanam S. Thomæ sententiam, operæ pretium erit, de hac ipsa difficultate in particulari disputare, et explicare doctrinam art. 2. supra citati, quod paulo obscurior sit, et intricatior. Inde enim occasionem illi sumpsere existimandi S. Thomam ita sentire.

De mente S. Thomæ duas in Christo esse existentias ostenditur.

2. Duas ergo de mente S. Thomæ in Christo esse substantiales existentias, humanam et divinam, probatur 1. ex quæstione de unione Verbi art. 4. cujus titulus est; *an in Christo sit unum tantum esse :* ubi hæc in corpore. *Considerandum est quod aliquæ sunt formæ, quibus est aliquid ens non simpliciter, sed secundum quid, ut omnes formæ accidentales; aliquæ autem formæ, quibus res subsistens simpliciter habet esse, quia videlicet constituunt esse rei subsistentis. In Christo autem suppositum subsistens, est persona Filii Dei, quæ simpliciter substantificatur per naturam divi-*

nam, non autem simpliciter substantificatur per naturam humanam : quia persona Filii Dei fuit ante humanitatem assumptam, nec in aliquo persona est augmentata, seu perfectior per naturam humanam. Substantificatur tamen suppositum æternum per naturam assumptam, non simpliciter, sed inquantum est hic homo : et ideo sicut Christus est unum suppositum, et unum simpliciter ob unitatem suppositi, et duo secundum quid, propter duas naturas; ita habet unum esse simpliciter, propter unum esse æternum æterni suppositi, et aliud esse hujus suppositi, non inquantum est æternum, sed inquantum est temporaliter homo factum, quod esse, etsi non sit accidentale, quia homo non prædicatur accidentaliter de Filio Dei, non tamen est principale sui suppositi, sed secundarium. Hæc S. Thomas. Quibus nihil clarius. Quid clarius.

3. Secundo ibidem in solutione ad primum, quam vult esse communem omnibus argumentis in contrarium factis. *Dicendum*, inquit, *quod esse humanæ naturæ, non est esse divinæ; nec tamen simpliciter dicendum est, quod Christus sit duo secundum esse, quia suppositum æternum, non ex æquo respicit utrumque esse.* Et clarius eadem quæstione art. 1. ad 10. *Esse*, inquit, *est, et personæ subsistentis, et naturæ in qua persona subsistit, quasi secundum illam naturam esse habens. Esse igitur personæ Verbi Incarnati, est unum ex parte personæ subsistentis, non autem ex parte naturæ.* Hæc S. Thomas.

4. Tertio docet ibidem eamdem esse rationem ipsius esse Christi quoad unitatem, aut pluralitatem, quæ est ipsiusmet Christi. At ex articulo præcedenti, Christus est multa, secundum quid, quia habet duas naturas substantiales, divinam et humanam, et unum simpliciter, quia est unum suppositum. Igitur secundum esse, seu existere, erit multa secundum quid, quia duæ sunt in eo existentiæ, divina scilicet, qua existit natura divina, et humana ac creata, qua existit natura humana. Nihilominus erit in eo unum esse simpliciter, quia ipsa sola existentia divina est esse, seu existentia Verbi Divini.

5. Quarto 3. parte q. 17. art. 2. *Dicendum*, inquit, *quod quia in Christo sunt duæ naturæ, et una hypostasis, necesse est quod ea quæ ad naturam pertinent in Christo sint duo; quæ autem pertinent ad hypostasim, sint unum tantum.* Esse autem, ut ait ibidem, *pertinet, et ad naturam, et ad hypostasim.* Facit enim formaliter, ut et natura, et hypostasis existant, sintque actu in rerum

natura. *Ad hypostasim pertinet, sicut ad id quod habet esse; ad naturam autem, sicut ad id quo aliquid habet esse.* Igitur cum in Christo sit duplex natura, duplex etiam erit existentia, una humana et creata, qua humanitas existit, et qua Christus est actu homo, quæque est solum existentia secundum quid Christi; altera divina, qua et natura et persona Verbi actu existit, pertinens et ad naturam divinam, ut ad id quo, et ad personam Verbi, atque adeo Christi, ut ad id, quod est habens ac suppositum. Quæ quoniam est existentia suppositi, et personæ Verbi et Christi, propterea est esse simpliciter Christi. Nam esse simpliciter rei, est ipsum esse suppositi, et quo suppositum formaliter existit.

6. Confirmatur ex eo discursu, quo citata quæstione de unione Verbi, art. 3. ostendit Christum esse unum simpliciter, et multa secundum quid : *Sciendum,* inquit, *quod simpliciter et proprie tale aliquid esse dicitur, quod est secundum seipsum tale. Dicitur autem aliquid esse secundum seipsum tale, quod est secundum totum, magis quam quod est secundum partem, quia pars non est idem simpliciter toti. Ipsum autem cum sit reciprocum, est relativum identitatis, et ideo quod convenit alicui secundum totum, magis convenit ei simpliciter quam quod ei convenit secundum partem : unde si quid natum sit convenire alicui secundum totum et partem, si conveniat ei secundum partem, dicitur ei convenire secundum quid, et non simpliciter; ut si dicatur Æthiops albus dentes. Manifestum est autem, quod suppositum significat per modum totius; natura autem per modum partis formalis, et ideo cum unum, et multa possint referri, et ad suppositum, et ad naturam, si aliquod unum suppositum habet plures naturas substantiales, erit unum simpliciter, et multa secundum quid. Quia igitur Christus est unum suppositum habens duas naturas, sequitur quod sit unum simpliciter, et duo secundum quid.* Hæc S. Thomas.

7. Qui totus discursus recte applicari potest existentiæ, seu esse Christi. Cum enim esse Christi referri possit, et ad naturas, et ad suppositum, ut refertur ad suppositum Christi, quod est ipsum suppositum Verbi Divini, est esse simpliciter, et in Christo unum tantum, ipsa scilicet existentia divina : ut vero refertur ad naturam, est duplex, nempe ipsum, quod jam dictum est, esse Verbi, et alterum, nempe ipsum esse creatum humanitatis, quod secundum est tantum esse secundum quid Christi. Quod præterea confirmatur, quia ut se habet nigredo corporis, et albedo dentium Æthiopis

ad ejus colorem simpliciter; ita quodammodo esse, seu existentia tam divina quam humana in Christo ad esse simpliciter Christi. At Æthiops dicitur niger simpliciter, licet habeat dentes albos; igitur existentia sola Verbi Divini in Christo, dicitur ipsum esse simpliciter Christi, licet in eo natura humana habeat proprium esse creatum. Et quemadmodum ex eo quod Æthiops dicatur niger simpliciter, vel habere unum colorem simpliciter, non propterea ejus dentes sunt affecti nigredine, carentque albedine; ita nec Christi humanitas propterea caret existentia propria, existitque divina, tametsi dicatur a S. Thoma, quod in Christo est unum esse simpliciter, illudque divinum.

8. Quinto eodem art. 2. ad 2. explicans quomodo existentia, seu esse Verbi fiat esse humanæ naturæ, hæc habet : *Ipsum esse æternum Filii Dei fit esse hominis, inquantum natura humana assumitur a Filio Dei in unitatem personæ.* Quasi diceret, sicut homo fit Deus, non per destructionem naturæ humanæ transeuntis in Divinam, ita ut sola remaneat divinitas; sed per assumptionem et conjunctionem humanitatis permanentis cum divinitate : ita ipsum esse, seu existentia substantialis humanitatis fit esse divinum, et personale Verbi, non quasi ipsa destruatur, ejusque locum suppleat existentia Verbi, sed quia manens unitur Verbo.

9. Sexto nunquam illo articulo secundo negavit in Christo esse existentiam creatam humanitatis; sed solum negat per humanitatem Christo advenire esse, quod sit esse personale Christi, id est, quod sit existentia hypostasis Christi, faciatque eam existere. Ita enim loquitur, suam mentem declarans sub finem corporis articuli. *Cum humana natura*, inquit, *conjungatur Filio Dei hypostatice, vel personaliter, et non accidentaliter; consequens est, quod secundum humanam naturam non adveniat sibi novum esse personale, sed solum nova habitudo esse personalis præexistentis ad naturam humanam.*

10. Septimo quia secundum divum Thomam, et rei veritatem, unitas vel multitudo existentiæ ex unitate et multitudine non suppositi, sed naturæ et essentiæ colligi debet. At in Christo duæ sunt essentiæ et naturæ; igitur duæ existentiæ. Minor est de fide. Major autem est diserte S. Thomæ q. 9. de potentia articulo 5. ubi postquam hoc argumentum decimumnovum sibi objecit. *Non est intelligibile quod aliqua sint supposita diversa, quorum est unum esse; sed in divinis, non est nisi unum esse; ergo impossibile est,*

quod sint ibi plura supposita, ita respondet, *ad* 19. *Dicendum quod nullo modo concedendum est, quod in divinis sit, nisi unum esse, cum esse semper ad essentiam pertineat.* Quæ est optima ratio, et certe cum fide certum sit tria in Deo esse supposita habentia unicum esse, ut etiam asserit S. Thomas citato art. 2. ad 3. Eadem major videtur esse de fide.

Denique id ipsum manifeste evincunt duo illa loca 4. contra Gentes, quæ retulimus supra, sub finem capitis 32. Derogaretur perfectioni incarnationis Dei Verbi, si aliquid eorum, quæ naturalia sunt homini ei deesset. Et postea. Fides per omnia, sine peccato, similem eum nobis in naturalibus confitetur.

CAPUT XXXIV.

Cur nonnulli Thomistæ opinati sint humanitatem Christi carere existentia propria, idque sensisse divum Thomam.

Aristoteles.

1. Quoniam, ut ait Philosophus 7. Ethic. capite 14. *Non tantum opus est verum dicere, sed etiam oportet falsi causam explicare,* quæ Capreolo, Cajetano, et plurimis Thomistis errandi causæ fuerint, et quæ occasiones existimandi S. Thomam ita sensisse, ut ipsi sentiunt, hic juverit aperire. Quæ mihi quatuor fuisse videntur.

Prima causa est quod esse simpliciter non recte sumpserint.

2. Prima. Quod Cajetanus, et alii cum eo existimarint (*esse simpliciter*) apud S. Thomam in materia præsenti idem esse, ac esse substantiale oppositum esse accidentali quod est tantum esse secundum quid, putarintque omnem existentiam substantialem, semper dici esse simpliciter. Ex quo inferunt quod cum Sanctus Thomas negat in Christo duplex esse simpliciter, negat in eo esse existentiam creatam humanitatis.

In quo decepti sunt; quamvis enim alias extra materiam incarnationis, et personam Christi, cum agitur de substantia creata comparata ad accidens, quemadmodum illa est ens simpliciter, hoc vero ens secundum quid, ita illius existentiam S. Doctor appel-

let *esse simpliciter,* hujus vero existentiam *esse secundum quid;* cum tamen agit de Christo, comparatque esse Verbi Divini cum esse humanitatis, quæ ambo sunt in Christo, illud quia est infinitum, et quia esse creatum humanitatis longe minorem ad illud habet proportionem, quam esse accidentis ad esse substantiæ; et deinde quia ipsum solum est esse, seu existentia personæ Christi, qua sola formaliter existit, propterea vocat esse simpliciter Christi : esse autem, seu existentiam humanitatis, loco citato quæstionis de unione Verbi vocat esse secundarium, seu esse secundum quid. Unde si Verbum assumeret mille humanitates habentes singulas suas existentias, non nisi unicum esset esse simpliciter, nempe ipsum esse suppositi divini, et personæ Verbi. Igitur licet nunc in Christo duplex sit existentia substantialis, una divina, altera humana, hoc tamen non est esse, seu existentia simpliciter Christi, propter jam dictas causas; quia scilicet, non est esse, nec existentia personalitatis Christi, qua formaliter existat persona Christi; sed sola existentia divina, qua existit formaliter persona Verbi, est esse simpliciter, et principale Christi.

Quare sola existentia Verbi in Christo dicatur esse simpliciter.

3. Secunda. Errandi causa illis videtur fuisse, quod horum terminorum, (*habere aut acquirere esse proprium,*) quibus passim in hac materia utitur S. Thomas, vim et notionem propriam non satis penetrarint. Nam ex rei veritate, et ex doctrina Sancti Thomæ 3. parte, q. 17. art. 2. a nobis sequenti capite explicanda, tum cap. 6. Opusc. 3. contra Græcos et Armenos, solius suppositi est, habere et possidere omnia quæ sunt in eo, et omnium quæ in eo sunt, est haberi et possideri, et esse illius. Et ratio a priori est, quod totius et entis perfecti sit habere, et essentiam, ejusque partes ac proprietates, et existentiam, et universim omnia quæ sunt in eo : horum autem omnium, non habere, sed haberi ab illo. Ideoque et partes quæ in toto, et accidentia in subjecto, licet vere existant existentia sibi proportionata, et aliquo modo propria, tamen a S. Thoma sæpe dicuntur non habere existentiam propriam; quia scilicet, et ipsa, et eorum esse sunt alterius, nempe totius, et ab ipso habentur, ut 3. p. q. 77. a. 1. ad 4. *Dicendum,* inquit, *quod accidentia, manente substantia panis et vini, non habebant ipsa esse, nec alia accidentia, sed subjecta eorum habebant hujusmodi esse per ea, sicut nix est alba per albedinem; sed post consecrationem accidentia, quæ remanent habent esse, et sunt composita ex esse, et quod est,* etc. Hæc ille. Suppositum autem

Secunda causa erroris.

Solius suppositi est habere.

Quare accidentia dicantur non habere esse.

ex propria sua ratione est totum quid et perfectum. Igitur proprie est habens, et possidens.

Humanitas in Christo non est habens.

4. Jam vero humanitas Christi est in Verbo, ut in toto, et in supposito, Igitur et ipsa, et quicquid ejus est, Verbi Divini est, et quidem magis quam partes sint totius, et accidentia subjecti, propter arctiorem cum eo conjunctionem, quam hæc habeant cum suis subjectis. Quare licet humanitas existat propria sua existentia creata, eam tamen a S. Thoma non habere dicitur; quia non est habens quidquam, sed ipsa ac ejus existentia, ac reliqua omnia quæ sunt in ea, sunt Verbi Divini. Unde q. 17. art. 2. *Esse,* inquit, *pertinet et ad naturam et ad hypostasim : ad hypostasim quidem, sicut ad id quod habet esse; ad naturam autem, sicut ad id quo aliquid habet esse.*

5. Pari sensu humanitas cum producitur unita Verbo, dicitur *non acquirere esse proprium.* Tum quia ejus est acquirere, cujus est habere et possidere : at unita Verbo non est habens, aut possidens, ut dictum est. Ergo non acquirit quidquam, ergo nec existentiam. Tum quia, ut servus, etsi operando lucretur aliquid, nihil tamen sibi, sed solum Domino, cujus est, acquirit; ita et pars in toto, nihil sibi, sed toti, et humanitas in Verbo nihil sibi acquirit, sed Verbo Divino. Si autem a Verbo separaretur et sola existeret; tunc, hoc ipso, esset habens et acquirens, quia tunc esset tota, et non alterius, proindeque hypostasis et persona propria.

6. Ex hoc facile est intelligere : Primo. Cur humanitas Christi existens sua existentia creata, dicatur tamen, nec acquirere, nec habere esse proprium; quia scilicet in Christo non est hypostasis, nec subtantia tota, sed est alterius, nempe Verbi Divini.

Quomodo humanitas, si separaretur, acquireret esse.

7. Secundo. Cur si a Verbo separaretur, hoc ipso, absque ulla productione novæ existentiæ aut realitatis, diceretur acquirere, et habere esse proprium. *Quando enim,* inquit S. Thomas 3. sententia dist. 6. q. 2. art. 2. ad 1. *compositum ex materia et forma, est per se subsistens, acquiritur ex forma illi composito esse absolutum per se; quando autem non est per se subsistens, non acquiritur per formam esse illi composito, sed subsistenti, cui hoc adjungitur, acquiritur respectus, scilicet, esse ad hoc quod ei additur. Sicut si ponamus hominem nasci sine manu, et manum per se separatim fieri, et postea miraculose illi conjungi, constat quod forma manus causabat esse manus per se subsis-*

tentis, sed postquam conjungitur homini, ex forma manus, non acquiritur aliquod esse manui, quia manus non habet esse proprium, sed acquiritur homini respectus ad manum secundum suum esse. Ita in Christo non acquiritur proprium esse humanæ naturæ, sed Filio Dei acquiritur respectus secundum suum esse ad naturam humanam; qui respectus non est aliquid secundum rem in divina persona, sed secundum rationem. Eadem habet Quodl. 9. q. 4.

8. Tertio. Intelligitur, quomodo natura illud esse proprium dicatur amittere, cum unitur Verbo, non corruptione ipsius existentiæ, sed corruptione totalitatis, substantiæ et hypostasis propriæ per unionem cum Verbo.

9. Quarto. Intelligitur falsam esse quorundam Thomistarum opinionem, qui, propter prædictos loquendi modos S. Thomæ, putant ex ejus sententia, accidentia in subjecto existere formaliter ipsa existentia subjecti, non sua propria. Accidentia non existunt existentia subjecti.

10. Tertia causa erroris Thomistarum est obscuritas articuli 2. q. 17. 3. part. ubi discursus S. Thomæ implicatior, minusque distinctus et explicatus videtur, quam par sit. Cui Cajetanus Commentator, cum lucem ex aliis S. Thomæ locis, ubi clarius rem explicat, conciliare debuisset, his rejectis, falsam et a textu ac mente S. Doctoris prorsus alienam interpretationem ei adhibuit, ut constabit ex sequenti capite. Tertia causa erroris.

11. Quarta erroris causa quibusdam fuit, quod cum nullum admitterent modum subsistentiæ, nec antecedentem existentiam, ut Cajetanus, nec eam subsequentem, ut alii Modistæ, putarent nihilominus Incarnationem factam esse exclusione et jactura alicujus formæ, nihil aliud eis occurrebat exclusum ab humanitate Christi, præter ejus existentiam. Verum Incarnatio, ut ostendimus, nullius rei exclusione et detractione, sed sola additione et unione Verbi Divini ad humanitatem perfecta et consummata est. Quarta causa erroris.

CAPUT XXXV.

Explicatur doctrina articuli secundi, quæstionis decimæ septimæ, tertiæ partis Summæ Theologicæ S. Thomæ.

1. AD OMNIA ex quæstione de unione Verbi supra cap. 33. relata, adeo clara et expressa, ut nulla tergiversatione declinari, nulloque artificio obscurari possint, aliud nihil respondet Cajetanus loco citato, quam *quæstionem de unione Verbi, quæstiunculam tantum esse inter opera S. Thomæ vix cognitam; ab eo non esse editam, sed quasi furtim inter schedulas disceptationum irrepsisse; materiam ipsam de unione Verbi quinque articulis solum et rationibus multum debilibus imperfectissime attingere; longe ante alia S. Doctoris opera compositam esse, ideoque non mirum, si dissentiat a tradita doctrina in Summa, libro ejus ultimo, tum in libris authenticis nempe* 3. *sent. q.* 2. *Et quodlib.* 9. *q.* 2. *Denique S. Doctorem ait seipso doctiorem revocasse in Summa quod in illa quæstione docuerat.* Hæc Cajetanus. Quæ quam falsa sint, quamque aliena a bono Thomista et fideli Commentatore, ut omnes intelligant, evidenterque appareat S. Thomam quod citata quæstione de unione Verbi docet, idipsum in Summa, licet obscurius tradere et iisdem plane uti argumentis et rationibus in utroque loco, necesse est totam dicti articuli doctrinam, nonnihil intricatam paulo clarius et distinctius evolvere.

Responsio Cajetani.

Refellitur expositione doctrinæ art. 2.

2. Tota igitur corporis illius articuli doctrina triplici argumento et ratione continetur per totidem divisiones proposita, quibus probat in Christo, non esse duplex esse simpliciter, id est duplex esse personale, sed unum tantum.

1. Argumentatio S. Thomæ per divisionem.

Prima est. Omnis forma, vel natura hypostasi et personæ advenire potest, vel hypostatice et personaliter, vel non hypostatice et non personaliter, sed tantum accidentaliter, hoc est, ita ut non sit ei realiter unita, sed ab ea divisa. Hanc enim esse vim hujus adverbii (accidentaliter) constat, tum ex locis ad quæ remittit S. Thomas, q. 2. art. 5. ubi refellit Nestorium acci-

dentaliter tantum humanitatem Verbo Divino in Christo unitam esse existimantem; tum ex hoc eodem artic. Si hoc secundum, quemadmodum erunt duo supposita et duæ personæ; ita erunt duæ existentiæ et duo esse simpliciter; hoc habet his verbis. *Si igitur,* inquit, *humana natura adveniret Filio Dei non hypostatice vel personaliter, sed accidentaliter, sicut quidam dixerunt, oporteret ponere in Christo duo esse, unum quidem secundum quod est Deus, aliud autem secundum quod est homo.* Huic autem majori propositioni, si subjunxeris hanc minorem : at humanitas Christi non advenit accidentaliter Verbo Dei; omnino efficies hanc conclusionem et non aliam. *Ergo in Christo non est duplex esse personale seu simpliciter.* Atque hæc est prima ratio et prima divisio.

3. Sequitur 2. Si forma vel natura advenit hypostatice et personaliter alicui personæ et revera ei unitur (omne enim quod inest alicui personæ, sive pertineat ad ejus naturam, sive non, unitur ei in persona 3. p. q. 2. art. 2. in corp.), vel pertinet ad ejus esse personale, vel non pertinet. Si non pertinet, non est esse simpliciter istius personæ, sed tantum secundum quid, ideoque potest multiplex esse in una eademque persona. At humanitatis tam substantia quam existentia, ex rei veritate et ex mente S. Thomæ, non pertinet proprie ad hypostasim et personam Christi. Igitur ejus esse seu existentia est solum esse secundum quid in Christo; proindeque in Christo non sunt duo esse simpliciter. Major hujus rationis continetur his verbis : *Considerandum est, quod si est aliqua forma, vel natura, quæ non pertineat ad esse personale hypostasis subsistentis, illud esse* (*hoc est, illius formæ, vel illa forma cum sua existentia*) *non dicitur esse illius personæ simpliciter, sed secundum quid : sicut esse album non est esse Socratis, in quantum est Socrates, sed secundum quod est albus; et hujusmodi esse non prohibet multiplicari in una hypostasi vel persona.* 2. Ratio et argumentatio.

4. Minor autem, nempe quod humanitas non spectet ad hypostasim Christi tanquam quædam ejus pars, aut quid ad intrinsecam ejus constitutionem pertinens, non probatur hic a S. Doctore, sed supponitur, ut jam probata, quæstione 2. a. 4. ubi ostendit hypostasim Christi etiam post Incarnationem in se esse omnino simplicem, cum fit ipsa Verbi hypostasis et non alia : unde Opusc. 2. ut retulimus supra c. 26. ait humanitatem Christi Humanitas quomodo non pertineat ad personam Christi.

se habere ad hypostasim Verbi, sicut accidentia ad subjectum et substantiam, hoc est, sicut accidentia non pertinent ad subjectum, tanquam partes constituentes substantiam; ita nec humanitas pertinet ad hypostasim Verbi. Et ratio clara est, quia cum hypostasis intrinsece sit substantia individua, tota et perfecta, humanitas autem hypostasi et personæ Christi, neque det ut sit substantia, neque ut individua et tota, seu, ut verbo utar S. Thomæ quæst. citata de unione Verbi art. 4. ab ea non substantificetur, perspicuum est ad eam intrinsece non pertinere. Unde et nos cum eodem S. Doctore supra cap. 24. et 26. diximus personam Christi tenere se totam ex parte Verbi.

3. Probatio. **5.** Tertia ratio reliquo textu continetur, eaque probat, quod etiamsi humanitas Christi ad ejus hypostasim aliquomodo pertineret, eamque ex parte substantificaret, adhuc tamen in Christo non esset duplex esse simpliciter; sed unum tantum. Hæc autem est ejusmodi. Omnis forma, vel natura pertinens ad integritatem alicujus hypostasis aut personæ eam integrat et ad eam pertinet, vel cum primum hæc fit et constituitur, vel ei præexistenti, et jam ante constitutæ advenit. At neutro modo fieri potest ut in Christo sint duo esse simpliciter. Igitur est unum tantum.

Non primo modo, quia ex omnibus formis, naturis et partibus ad unam aliquam hypostasim integrandam simul concurrentibus, unum tantum consurgit totum esse personale; quod dicit his verbis : *Esse autem capitatum, et esse corporeum, et esse animatum, totum pertinet ad unam personam Socratis, et ideo ex omnibus his, non fit nisi unum esse in Socrate.*

Neque secundo modo (id est, si forma adveniat hypostasi præexistenti, etiam suam secum afferens existentiam partialem) tunc erit duplex esse simpliciter. Nam hypostasis tunc, seu ejus esse simpliciter et personale præexistens, acquiret tantum relationem vel habitudinem quamdam ad id quod advenit. Sicut cum homo vel equus, aut aliud vivens novæ alicujus particulæ adventu augetur, non fit novus homo, aut novus equus, nullusque dixerit post illud augmentum esse duos homines : ita cum hypostasi præexistenti advenit hypostatice substantia aliqua etiam ad illam pertinens, non propterea sunt duæ hypostases, aut duo esse simpliciter et duæ existentiæ personales. Idque non modo, si existentia personalis, ipsumque esse personale præexistens afficiat

id quod advenit, detque formaliter existere, et esse actu illi novæ substantiæ et parti, quæ advenit, ut putat Cajetanus in Christo fieri et vulgo dicunt Thomistæ in homine cum accrescit; (ejus enim existentiam ab eo re distinctam, putant esse indivisibilem et afficere omnes ejus partes tam primigenias, quam adventitias) sed etiamsi substantia illa nova adveniens, suam secum afferat existentiam propriam, ut fit in Christo et in aliis et cum sanguis in corpore, aut quodvis aliud suppositum creatum augetur. Id volunt reliqua hæc corporis articuli verba. *Et si contingeret,* inquit, *quod post constitutionem personæ Socratis advenirent Socratis manus vel pedes, sicut accidit in cæco nato, ex his non accresceret aliud esse, sed solum nova habitudo esse personalis præexistentis ad naturam humanam, ut scilicet persona illa dicatur esse non solum secundum ea quæ prius habebat, sed secundum ea quæ sibi postmodum advenerunt.*

6. Denique ipsa conclusio articuli, ejusque verba diligenter considerata satis ostendunt S. Thomam nullo modo voluisse quod ei imponit Cajetanus. Ita enim concludit. *Sic igitur cum natura humana conjungatur Filio Dei hypostatice vel personaliter et non accidentaliter, consequens est quod secundum humanam naturam non adveniat sibi* (id est filio Dei) *novum esse personale.* Quæ verba, ut patet, non significant humanitatem Christi non habere, nec secum afferre suam propriam existentiam; sed solum quod hæc existentia creata naturæ humanæ, quæ simul cum ea advenit Verbo, non constituit ejus esse personale, nec est existentia qua formaliter existat ipsa persona Verbi. Ab æterno enim existit ipso esse ipsaque existentia increata Dei. *Sed,* inquit pergens ulterius, *solum nova habitudo esse personalis præexistentis ad naturam humanam* (supple advenit Verbo, ejusque esse personali) *ut scilicet persona illa jam dicatur subsistere, non solum secundum naturam divinam, sed etiam secundum humanam.* Hoc est, Filio Dei, ejusque existentiæ, seu esse personali, advenit solum nova habitudo ad naturam humanam, ratione cujus ipsa est persona et subsistentia duarum naturarum, divinæ et humanæ.

Idem ostenditur ex conclusione articuli.

7. Hæc autem duo; *Personam Verbi, esse personam et subsistentiam duarum naturarum; Et esse personale, seu existentiam personæ Verbi esse existentiam duarum naturarum* longe diversa sunt. Primum enim est verum, et de fide; secundum est fal-

sum, quia humanitas Christi nullo modo existit existentia Verbi, licet subsistat subsistentia Verbi. Quod ex eo manifeste patet, quod Patris, et Filii, et Spiritus Sancti una est existentia, unumque esse, ex S. Thoma, hic ad 3. Et q. 9. de pot. art. 5. ad 19. ubi ait *quod cum esse semper ad essentiam pertineat, præcipue in Deo, cujus esse est sua essentia; sicut in Deo est una essentia, ita et non est nisi unum esse.* Et paulo post *diversitas secundum esse sequitur pluralitatem suppositorum, sicut et diversitas essentiæ in rebus creatis; neutrum autem in Divinis :* at humanitatem Christi existere per esse seu existentiam ipsam Patris, et Spiritus Sancti non audent dicere, qui subsistentiam nihil aliud esse dicunt quam rei existentiam. Inde enim sequitur, et Patrem, et Spiritum Sanctum æque ac Filium incarnatos esse, quod est contra fidem. Igitur nec possunt dicere eamdem humanitatem Christi existere per existentiam Verbi.

Tres Personæ divinæ unam habent existentiam.

8. Breviter igitur et summatim prædicti articuli doctrina, hæc est, quod in Christo unicum tantum est esse simpliciter, seu esse personale, et non duplex. 1. Quia in eo non est duplex hypostasis aut persona, sed una tantum; ergo unum esse simpliciter et personale. 2. Quia natura humana, licet sit substantia, eademque Verbo hypostatice unita, tamen ad hypostasim Verbi et Christi non pertinet, nec eam substantificat, nec ullam ei tribuit intrinsecam substantiæ rationem. 3. Quia advenit hypostasi præexistenti, licet ad eam pertineret.

Summa doctrina articuli.

9. Ex quibus manifestum est, quod ex eo quod dicat S. Thom. in Christo esse unum tantum esse simpliciter et personale, male omnino infertur eum sensisse humanitatem Christi carere sua existentia propria substantiali, et existere divina; cum affecta sua propria et substantiali existentia, non propterea fit duplex esse simpliciter in Christo, ob tres rationes supra allatas. Et quia, ut dictum est, ipsum esse, ipsaque existentia creata humanitatis in Christo, est tantum quoddam esse secundum quid Christi, quod per eam persona Christi non existat; licet eadem existentia foret esse simpliciter et personale, si ipsa humanitas Christi esset sola et separata a Verbo. Manifestum item est doctrinam S. Thomæ dicti a. 2. q. 17. cum iis plane consentire, quæ retulimus supra cap. 33. num. 2. ex articulo 4. quæstionis de unione Verbi, et cum aliis omnibus, quæ uspiam tradidit de persona Christi, et substantia mysterii Incarnationis, quam, et quæ eam circumstant

difficultates præcipuas, quicquid dicat Cajetanus, ibi æque solide et profunde tractat, imo, ut mihi quidem videtur, nitidius distinctiusque exponit, quam usquam alibi, ut cuivis quæstionem illam perlegenti planum erit.

CAPUT XXXVI.

Quod sit impossibile naturam humanam in Christo existere existentia Verbi Divini.

Incarnationem salva existentia humanitatis fieri posse. 1. Argumentum.

1. Dico Primo Incarnationis mysterium recte intelligi, et optime perfici posse, salva et incolumi existentia creata humanitatis Christi.

Probatur Primo. Quia tota ratio Incarnationis in eo posita est, ut natura humana Christi propria personalitate destituta subsistat persona Verbi; hoc autem non fit per defectum alicujus positivi ad naturam assumptam pertinentis, sed per solam substantialem et ineffabilem ejus unionem cum Verbi persona, ut pluribus ostendimus. Igitur nihil opus est humanitatem assumptam jacturam facere suæ propriæ et creatæ existentiæ.

2. Argumentum.

2. Secundo. Quia eadem natura humana, affecta sua propria existentia, æque, intime, et immediate uniri potest divinæ naturæ, atque affecta intellectu, et voluntate, scientia, gratia, aliisque perfectionibus naturalibus, aut supernaturalibus. Igitur, etc.

3. Argumentum.

3. Tertio. Quia nulla existentia creata, sive re differat a natura, sive non, includitur in ratione hypostasis, aut personæ creatæ, ut postea ostendemus, patetque ex ipsa definitione hypostasis aut personæ, in qua nulla fit mentio existentiæ propriæ. Igitur non est necesse spoliare humanitatem Christi existentia propria, licet sit spoliata subsistentia propria.

4. Imo vero, ut detur existentiam creatam esse de conceptu intrinseco et definitivo personæ humanæ et creatæ, inde non potest inferri humanitati Christi deesse existentiam propriam. Quia, ut humanitas Christi non sit persona humana, non est necesse abesse ab ea id omne quod includitur in ratione personæ humanæ; cum ipsa natura humana, quæ est de conceptu intrinseco et definitivo personæ humanæ et creatæ, a Christo non absit. Ergo

humanitati Christi non propterea deerit propria existentia, quod includatur intrinsece in conceptu personæ creatæ. Ratio a priori est, quia, ut a natura aliqua existente propria existentia absit hypostasis propria, sufficit eam non esse substantiam individuam, seu totam, per se, solam, et separatam ab omni alia præsertim digniori. Hoc autem recte fieri potest retenta sua propria existentia. Igitur, etc.

4. Argumentum.

5. Quarto. Quia Christus semper erit unum suppositum, et una persona in duabus naturis. Unitas enim et multitudo existentiarum prorsus se habet per accidens ad unitatem vel multitudinem personarum; cum Personæ Trinitatis, ut ait S. Thomas q. 17. art. 2. ad 3. unum tantum simplex esse, unamque existentiam habentes, sint nihilominus tres personæ, et tria supposita. Igitur duæ naturæ, suam quæque existentiam propriam retinentes, in unam personam unumque suppositum concurrere possunt.

Impossibile est humanitatem existere Verbi existentia.

6. Dico 2. Impossibile esse humanitatem Christi sua exutam existentia propria, existere divina.

1. Argumentum.

Probatur 1. Si humanitas Christi existat existentia Verbi, vel in genere causæ materialis, vel formalis vel efficientis, vel finalis; nullo autem horum modorum fieri potest. Non per modum *causæ materialis,* ut patet, quia est impossibile Deum esse causam materialem; cum sit actus purus, expers potentiæ et a nullo perfici possit. Nec per modum *causæ formalis et actuantis :* tum quia impossibile est Deum esse actum informantem ullius potentiæ passivæ; tum quia si posset Deus supplere actum formalem existentiæ, posset etiam supplere actum formalem sapientiæ, amoris, et cognitionis, posset supplere animam rationalem informantem; tum quia, nullius formæ effectus formalis primarius, positivus, et intrinsecus, ab alio fieri potest, quam ab ipsa forma, ut patet inductione. Impossibile enim est, aliquid esse album, sine albedine, lucidum, sine luce. Igitur cum existentia creata, in sententia divi Thomæ et Thomistarum, sit verus actus essentiæ creatæ, quo formaliter constituitur extra nihil et extra suas causas, sitque actu existens; talis effectus formalis et positivus a nullo alio formaliter oriri potest quam a propria et creata existentia. Non in genere *causæ efficientis :* alioqui tres Personæ Divinæ essent incarnatæ, cum omnis efficientia et actio Dei ad extra sit communis toti Trinitati. Non denique in genere *causæ finalis* ob eamdem causam.

2. Argumentum.

7. Probatur 2. Humana natura Christi vere est creata et facta

de nihilo. Creatio autem non potest terminari ad existentiam divinam; igitur creatio humanitatis Christi terminatur ad existentiam creatam illius. Confirmatur, quia creatio cum sit actio, est eadem realiter cum suo termino, in doctrina sancti Thomæ; ergo non potest terminari ad existentiam divinam. Deinde quia terminus creationis, inquit S. Thomas opusc. 27. de oppositis c. 4. et alibi passim, est ipsum esse, quod est intimum et maxime formale in qualibet re.

8. Neque vim hujus argumenti infringit responsio Cajetani supra dicentis, ad rationem creationis sufficere, si terminetur ad existentiam, non simpliciter novam quæ incipiat esse, cum ante non esset, sed novam illi rei quæ incipit actu existere. Etenim, licet formalis terminus creationis non debeat semper esse res et existentia nova, ut patet in creatione conservativa et actione productiva corporis Christi in sacramento Eucharistiæ, debet nihilominus semper habere terminum creabilem et producibilem ex nihilo. At existentia divina non est terminus producibilis, sive ex nihilo, sive ex alio, cum ex natura sua sit prorsus independens et improducibilis.

Responsio Cajetani.

Refellitur.

9. Probatur 3. Si humanitas Christi, quia assumpta est a Verbo eique unita, existit per existentiam divinam, pari jure naturales omnes ejusdem humanitatis potentiæ, omnes habitus, et omnia dona et accidentia, tam naturalia quam supernaturalia ejusdem existent sola divina existentia, quod videtur perabsurdum. Hæc enim sunt suo modo assumpta a Verbo divino. *Omne enim quod inest alicui personæ, sive pertineat ad naturam ejus, sive non, unitur ei in persona,* ait S. Thomas 3. parte q. 2. art. 2. in corpore.

3. Argumentum.

10. Neque dicas disparem esse rationem, quod existentia humanitatis sit substantialis, existentiæ accidentium sint accidentales, ideoque illam Deus, qui est substantia, supplere potest, has vero non item. Nam cum Deus sit fons omnis entis creati, nullaque ei desit nobilitas et perfectio, quæ invenitur in aliquo genere et categoria, ut ostendit D. Thomas 1. p. q. 4. art. 2., vim et perfectionem accidentis æque possidet ac substantiæ. Igitur æque supplere potest existentiam utriusque. Neque obstat quod accidens sit actus inhærens et informans, quia, in sententia Thomistarum, existentia est actus informans; ergo æque supplere poterit accidens, aut formam substantialem, ac ejus existentiam.

Responsio.

Refellitur.

Aliorum argumentum.

11. Mitto hic argumentum a prioritate naturæ ductum, quo plerique tanquam validissimo utuntur, dicentes, quod cum humanitas prius natura existere debeat quam uniri Verbo, in illo priori, non nisi per suam propriam existentiam existere possit. Hoc enim argumentum nullius est roboris; quia qui eo utuntur, laborant ignoratione veri et proprii conceptus, (ut alibi ostendimus) prioritatis naturæ. Ut enim ait Capreolus in 3. dist. 6. q. unica art. 3. ad 7. *Prioritatem naturæ habere diversa signa vel instantia, in quorum uno res sit causa et non sit ejus effectus, est imaginatio falsa, quia tale prius non est prius in quo, sed a quo.*

Rejicitur

Capreolus.

12. Denique hoc argumentum æque valere debet contra distinctionem realem existentiæ ab essentia, contra actum contritionis disponentem ad gratiam habitualem a qua procedit, contra dependentiam mutuam formæ a materia, contra id quod ait S. Thomas Opusc. de oppositis cap. 1. formam uno modo prius natura uniri materiæ, et constituere compositum quam affici existentia. Ita enim loquitur. *In ordine actuum sive principiorum formalium, primum est ipsum esse, et omnes formæ sequuntur ipsum, quia esse est primus actus, nec aliquid designatur in actu, nisi per esse. Nemo enim habet sanitatem actu, nisi sanitas ponatur in eo; sed in inhærendo contrarium est. Forma enim per prius inhæret et per ipsam ipsum esse, ideoque considerando inhærentiam, esse sequitur formam.* Et paulo post. *Ipsum esse,* inquit, *in lapide est actus ipsius lapidis, immediate, et primo, et per rem ipsam est forma lapidis, non ut entis, sed ut ejus quo aliquid est. Ideo esse in ordine actuum est prius quam forma. Sed quia materia immediate habet conjungi formæ cui proportionata est, ex qua communione resultat compositum, cujus actus est ipsum esse, ideo forma est medium in acquirendo esse, tam materiæ, quam composito. Non enim esset ipsum conjunctum, nisi esset forma inhærens materiæ, ideo secundum inhærentiam prior est forma, et esse est posterius.* Hæc S. Thomas. Quæ volui referre, ut melius intelligatur quod ait 3. p. q. 17. art. z. Esse consequi materiam vel formam, et pertinere ad formam, ut quo aliquid est; ad hypostasim vero, ut ad id quod habet esse. Cum igitur dictum argumentum a prioritate naturæ, contra prædicta omnia nihil efficiat, nec etiam valebit contra eos Thomistas, qui defendunt humanitatem Christi sua exutam existentia propria, existere divina.

D. Thomas.

Contraria sententia est periculosa.

13. Dico 3. sententiam illam quæ asserit humanitatem Christi

sua propria spoliatam existentia, existere divina, videri periculosam. Primo quia repugnat iis omnibus Scripturæ locis, et Conciliorum, ac Sanctorum Patrum auctoritatibus, quas retulimus supra capite 29.

Secundo eo deterior videtur, quod præcipuum fundamentum, quo Sancti Patres et Concilia nituntur, ut affirment in Christo duas esse voluntates, duasque volitiones, quia nimirum, in eo sunt duæ naturæ, prorsus destruat. *Cum enim,* ut ait S. Thomas loc. cit. art. 2. in corpore, *in Christo sint duæ naturæ et una hypostasis, quæ in eo pertinent ad naturam, sunt duo.* Existentia autem maxime pertinet ad naturam. Est enim primus et maxime intimus ac immediatus naturæ actus. Ex quo evidentius sequitur duas in Christo debere esse existentias, quam duas voluntates.

Tertio quia non minimam dat occasionem hæreticis negandi Christum esse verum hominem nobis similem; cum eum spoliat existentia propria et substantiali, quæ unicuique adeo intima est, ut sine ea non sit actu homo. Itaque Cajetanus sub finem sui commentarii novitium theologum merito admonet, ne a se dicta accipiat, tanquam de fide, et ut non sit pertinax in conclusione.

14. Idem autem auctor, cum subjungit, quod hujus quæstionis decisio pendet ex duabus quæstionibus : una, *an existentia re differat ab essentia;* altera, *an immediate recipiatur in ipsa essentia, an in supposito et persona,* non est audiendus. A neutra enim quæstione pendet. Non a prima, quia S. Thomas existimat existentiam re differre a natura, nec tamen putat humanitatem Christi carere propria existentia, et existere divina, ut vult Cajetanus. Cajetanus.
Nec a secunda, quia, ut existentia creata humanitatis Christi ab ea Refellitur.
re distincta fuerit, in nullo tamen est supposito humano; quia nullum est humanum in Christo, sed inhæsive quidem est in ipsa humanitate Christi, quam formaliter facit existere, unitive autem et hypostatice est in Verbo divino ejusque persona : non secus ac intellectus, voluntas et aliæ facultates naturales humanitatis Christi, quæ in aliis hominibus sunt in eorum personis ac suppositis, in Christo sunt inhæsive quidem et ut in subjecto quo, in ipsa humanitate, hypostatice autem et ut in habente et subjecto quod sunt in supposito Verbi divini. Est enim habens et naturam humanam et omnia quæ sunt in ea.

CAPUT XXXVII.

Subsistentiam re, aut modaliter a natura diversam, cum mysterio Incarnationis non posse consistere.

1. Quem in altum misere lapidem adversarii, is in ipsorum caput recidit, quodque subversi Incarnationis Dominicæ mysterii incommodum, sane gravissimum, et omnium quæ esse possunt maximum, ex indistinctione reali, aut modali subsistentiæ a natura, sequi eorum aliqui, qui pauci sunt (nam major pars illorum id sequi diserte negat) nobis objiciunt, hoc, non solum nullo modo nobis extimescendum esse, ex hactenus dictis evidenter intelligitur; sed nunc, sorte commutata, ex eorum doctrina de distinctione a parte rei naturæ a subsistentia, id nasci et necessario sequi in hunc modum ostenditur.

Distinctionem realem subsistentiæ a natura pugnare cum fide Incarnationis probatur

2. Si subsistentia creata est forma, vel modus a parte rei a natura distinctus, quo formaliter fit et constituitur hypostasis aut persona, is necessario manserit in humanitate Christi, duæque in Christo erunt personæ. At consequens est falsum, illudque nunquam admittent modistæ, quia est contra fidem, quæ docet, unam tantum in Christo esse personam, eamque Verbi divini. Ergo realis hypostasis a natura distinctio, est Incarnationis eversio. Minor est certissima, ideoque sequela Majoris nobis tantum probanda est, quod fiet quatuor argumentis validissimis.

Quatuor argumentis. 1. Argumentum.

3. Primum ducitur ex omnibus Scripturæ, Conciliorum, et SS. Patrum testimoniis a nobis capp. 20 et 30. relatis, aliisque pluribus, quæ brevitatis studio omisimus, et quæ passim in Conciliis et Patribus occurrunt. Quibus omnibus disertissime asseritur, nihil perfectionis naturalis et realis, quod sit in aliis hominibus, deesse Christo, ejusque humanitatem nostræ per omnia similem esse, ut ait Apostolus ad Hebræos 2. et habere quæcumque Deus plantavit in Adamo, quæque naturaliter sunt in aliis hominibus, solo peccato excepto, intellige etiam ignorantiam, ex qua peccatum, ut ex fonte fluvius, manat, inquit Leontius Byzantinus lib. 3. contra

Nestorium et Eutychetem. Quæ testimonia tam expressa, tamque densa nulla tergiversatione declinari, nulla violenta et contorta interpretatione eludi possunt. Igitur subsistentia re distincta, vel nulla est, vel inest humanitati Christi.

4. Secundum argumentum unum ex iis est, quibus Sancti Patres et Theologi scholastici evincunt adversus monothelitas duas in Christo esse voluntates, unam creatam, alteram increatam. Quod argumentum ita proponit S. Thomas 3. part. q. 18. art. 1. *In sexta synodo apud Constantinopolim celebrata, determinatum est, oportere dici, quod in Christo duæ sint voluntates, idque necessarium fuit dici. Manifestum etiam quod Filius Dei assumpsit naturam humanam perfectam. Ad perfectionem autem naturæ pertinet voluntas, quæ est naturalis ejus potentia, sicut intellectus. Unde necesse est dicere, quod Filius Dei voluntatem humanam assumpserit in humana natura.* Quod argumentum vel nullum est, vel si bonum est, probat etiam modum subsistentiæ, si ullus est in rerum natura, necessario esse in Christo. Si enim Dei Filius assumpsit naturam humanam perfectam et modalis subsistentia, ut volunt ejus defensores, maxime pertinet ad perfectionem naturæ humanæ, cum ei conjunctior et, ut ita dicam, substantialior, magisque intrinseca sit, quam intellectus et voluntas. 2. Argumentum. S. Thomas.

5. Tertium argumentum tale est. Modus subsistentiæ distinctus, si datur, is ab humanitate a Verbo assumpta abesse non potest. Igitur Christus, vel homo purus est, vel duæ sunt in eo personæ, divina et humana. Consequentia evidens et necessaria est. Antecedens sic probatur. Si humanitas Christi tali modo caret, vel ex sola libera Dei ordinatione, qua eum abesse voluit statuitque unam in Christo esse personam Verbi, cum tamen de potentia ejus absoluta, cum persona Verbi consistere potuerit; vel quia talis modus natura sua repugnat personæ Verbi divini, ejusque præsentiæ et unioni cum humana natura, adeo ut prorsus impossibile sit cum ea consistere. Neutrum dici potest. Non primum, quia alioquin absolute loquendo persona humana consistere posset cum unione hypostatica, eademque numero humanitas duplicem personam, simul habere posset, unam creatam, alteram increatam : quod impossibile esse defendunt omnes etiam modistæ. Qua de re agemus infra capite sexagesimo quarto. 3. Argumentum.

6. Non etiam 2. Quia nulla forma, nullaque res et essentia creata et positiva, essentiæ aut ulli personæ divinæ natura sua Deo nihil esse natura contrarium probatur.

1. Probatio. Augustinus.

repugnans et contraria esse potest. Quod probatur primo auctoritate. Ita enim diserte docent Sancti Patres. Augustinus. 12. de Civitate Dei, c. 2. *Naturæ,* inquit, *quæ summe est, qua faciente sunt, quæcumque sunt, contraria natura non est, nisi quæ non est. Ei quippe quod est, non esse contrarium est, et propterea Deo, id est, summæ essentiæ et auctori omnium qualiumcumque essentiarum, essentia nulla contraria est.* Et lib. de fide et symbolo, cap. 4. *Nihil habet Deus contrarium. Si enim quæreretur a nobis, quid sit albo contrarium, responderemus nigrum. Si quæreretur, quid sit calido contrarium, responderemus frigidum. Si quæreretur, quid sit contrarium veloci responderemus tardum, et quæcumque similia. Cum autem quæritur, quid sit contrarium ei quod est; recte respondetur, quod non est.* Et Agatho Papa epistola ad Constantinum, Heraclium, et Tiberium imperatores, contra hæresim monothelitarum, lecta et approbata in sexta synodo universali; *Si ab eo,* inquit, id est a Verbo, *humana voluntas, sicut et natura, suscepta est, et salvata est, et quod a susceptore salvatum est non ei poterat esse contrarium. Nihil enim sibi contrarium Creator omnium condidit, vel per mysterium Incarnationis assumpsit.* Idem habet Maximus ad Marinum et D. Dionysius lib. de divinis nominibus c. 1. *Deus,* inquit, *omnia in se convertit, tanquam omnium causa,* quod refert D. Th. secunda secundæ qu. 106. art. 3.

Agatho Papa.

2. Probatio. Nulla causa per se est contraria suo effectui.

7. Secundo. Quia (quæ est ratio a priori qua utuntur SS. Patres contra Eutychetem et Monothelitas) nulla causa per se, et natura sua contraria est suo effectui, fierique non potest ut effectus ab aliquo essentialiter pendens, ei formaliter sit contrarius. Tum quia cum contrarium a contrario destruatur, causa illa sui destructionem naturaliter appeteret, efficeretque. Tum quia si est univoca, ejusdem est naturæ cum effectu; igitur, non est ei contraria. Si æquivoca, non tamen propterea est contraria effectui, ut docet S. Thom. q. 5. de veritate art. 4. ad 9. patetque inductione. Nam calor et frigus, licet sint invicem contraria, et ab eodem subjecto sese invicem naturaliter ejiciant, non tamen sunt contraria causæ, a qua ambo per se producuntur, nempe corpori cœlesti, aut ejus lumini, vel influentiæ, a qua per se pendent; et utraque qualitas a cœlo abest, non propter mutuam inter se, vel cum cœlo contrarietatem, sed propter naturalem incapacitatem subjecti. Igitur nulla res est causa per se ejus quod sibi repugnat. Dixi autem,

Contrarium per accidens est causa contrarii.

per se, quia *per accidens*, inquit Philosophus 4. Meteor. sum. 2. c. 2. *aliquando frigidum urere et calefacere dicitur, non ut calidum, id est, per se, sed quia congregat, aut quia circumobsistit;* id est, per antiperistasim, atque adeo per accidens. At Deus est auctor et causa per se omnis entis, formæ, et modi creati, atque adeo modi subsistentiæ, si datur, et omne ens positivum, et creatum essentialiter ab eo pendet : igitur ei repugnans et contrarium esse nequit.

8. Tertio. Si quælibet modalis subsistentia natura sua repugnat Deo, Divinisque Personis; hæ, cum sint intime præsentes rebus omnibus, omnes subsistentias, omnesque hypostases et personas creatas, seu omnes modos et formas re distinctas, quibus naturæ constituuntur formaliter in ratione suppositi, destruerent, non tantum efficienter, non conservando, sed etiam, ut ita dicam, formaliter, suaque tantum præsentia. Si enim calor et frigus, quia natura sua contraria sunt sese mutuo expellunt et destruunt, cur hypostases et Personæ Divinæ, a creatis et modalibus naturali quodam odio dissidentes, non confestim ad nihilum eas redigant. At sapientissime Salomon Sap. 11. Deum alloquens ait : *Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti. Nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti.* 3. Probatio. Salomon.

9. Quarto. Bonum universale, et infinitum, bono particulari et finito nequit esse contrarium, cum hoc participatio quædam sit illius. Deus autem est bonum universale infinitum, idemque fons omnis particularis boni, atque adeo subsistentiæ modalis, si detur. Igitur, cum nulla essentia creata, nulla substantia, nullum accidens, atque adeo nulla forma, etiam modalis, si ulla datur, essentiæ ac Personæ Divinæ intime sibi præsenti natura sua repugnet, nec cum ea, sive conjuncta, sive divisa, natura sua incompatibilis erit. 4. Probatio.

10. Neque dixeris modum subsistentiæ per se, et directe repugnare, non quidem naturæ, aut Personæ Divinæ, sed modo unionis, quo humanitas Verbo divino conjungitur; tum quia fictitius est talis modus unionis, ut alibi ostendimus, eumque nec S. Thomas, ejusve discipuli, nec theologi scholastici, præter paucos recentiores, agnoscunt; tum quia idem responderent monothelitæ argumento Sanctorum Patrum supra relato, dicerentque voluntatem humanam, non quidem Deo per se repugnare, sed ejus unioni cum ipsa humanitate, indeque fieri, ut ipsa voluntate Evasio. Præcluditur.

humana careat in Christo; tum denique, quia pari ratione dicerent modistæ, calorem et frigus, aliasque qualitates contrarias incompatibiles esse, et contrarias, non per se et per suas entitates, sed solum per modos inhærentiæ, quibus suis subjectis uniri volunt, quo quid absurdius, magisve inauditum in philosophia?

4. Argumentum.

11. Quartum argumentum est ad hominem, duciturque ex principiis modistarum, qui de modis suis agentes dicunt *eam esse nodi naturam et essentiam, ut essentialiter sit actualis modificatio, et determinatio rei indifferentis.* Et rogati, cur modus, etsi a parte rei distinctus a re, cujus est modus, ab ea tamen Divina virtute separatus existere non possit? Respondent *talem esse modi naturam.* Unde sic formo argumentum. Id de cujus conceptu est existentia, et esse actualem ejus in quo est, vel modificationem, vel determinationem, nulla virtute ab eo separari potest; tum quia Deus rerum naturas et essentias evertere non potest; tum quia, si esset de conceptu et essentia animæ rationalis actualiter esse unitam corpori, impossibile esset eam ab illo separari, et sic homo essentialiter immortalis esset; ideo enim impossibile est Deum non esse, quia esse actu est de ejus essentia; igitur si esse actualem modificationem, et esse terminum actualem substantiæ est de quidditate et essentia modalis subsistentiæ, impossibile erit eam non esse, et non modificare, nec terminare actu naturam, cujus est modus, proindeque humanitas Christi non poterit carere sua propria subsistentia.

Responsio.

Respondebit forsan modista, quod cum modus dicitur essentialiter esse actualis modificatio rei, aliud non intelligitur quam eum non posse esse in rerum natura, quin actu rem modificet.

Refutatio.

Sed hæc expositio non consonat verbis. Si quid enim non potest existere sine alio, non propterea hoc illi essentiale est, neque id in ejus definitione, tanquam quid essentiale, poni debet. Deinde cum existentia sit extra conceptum definitivum rei, posse existere, vel non posse sine alio, non erunt de rei essentia. Sed hac de re plura infra cap. 43. cum agemus de modis in universum. Nunc id solum volumus, quod cum propter unum Incarnationis mysterium modistæ putent admittendum esse modum subsistentiæ a parte rei a natura modaliter distinctum, nos contra, ad illud idem mysterium defendendum et explicandum, talem modum abolendum et repudiandum esse sustinemus.

CAPUT XXXVIII.

Quod hypostasis non sit naturæ existentia, nec hanc in suo conceptu quidditativo includat.

1. Quæ de nomine, quidditate, et indistinctione reali hypostasis a natura hactenus exposuimus, ea maxima ex parte fuere theologica. Sed cum hypostasis sit etiam res philosophica ad metaphysicum pertinens, de eadem philosophice, ac via naturali nobis etiam, ut capite primo proposuimus, agendum est. Cumque, ut supra capite 6. dictum est, eorum qui hypostasim a natura re distingunt, alii esse ipsam naturæ existentiam, alii formam ab existentia diversam, alii modum esse sibi persuaserint, nihil horum esse sigillatim, et eo ordine, argumentis et rationibus naturalibus nobis deinceps ostendendum est.

2. Atque ut ordiamur ab existentia, eam non eodem modo sentiunt ad hypostasim pertinere. Quidam enim putant cujusque substantiæ singularis existentiam ipsammet esse ejus subsistentiam et nihil aliud. Quam opinionem, ait Suarez disp. 34. sect. 4. n. 8. nunc valde frequentem esse inter modernos theologos; forte, ut opinor, quod putent humanitatem Christi carere sua propria existentia, in eoque consistere incarnationem, quod existat divina, hancque esse sancti Thomæ sententiam. At utrumque falsum esse satis superque, nisi mea me fallit opinio, proxime superioribus capitibus demonstratum est. 1. Opinio.

3. Alii vero, licet existiment humanitatem Christi existere propria sua existentia, quod verum est, et existentiam non esse proprie subsistentiam, in quo etiam recte judicant, putant nihilominus existentiam aliquo modo includi in conceptu essentiali et adæquato subsistentiæ. Ita Suarez. 3. parte disp. 11. sect. 13. ubi docet suppositum tria includere : Primo *existere;* est enim ens actu in rerum natura existens : Secundo *existere per se;* est enim id quod est : Tertio *incommunicabiliter existere per se :* quamvis quem ordinem tria hæc, tum inter se, tum respectu naturæ, et 2. Opinio.

suppositi habeant in creaturis explicare ad metaphysicum, inquit, institutum pertineat. Verum neque hæc sententia nobis probanda videtur.

Existentia non est subsistentia. D. Thomas.

4. Dico 1. Existentiam, ut re distingueretur ab essentia et natura, nullo modo esse formaliter subsistentiam. Ita D. Thomas, tum locis a nobis superius recitatis, tum disertis verbis quodlib. 2. art. 4. ad 2. *Licet*, inquit, *ipsum esse non sit de ratione suppositi, quia tamen pertinet ad suppositum, et non est de ratione naturæ, manifestum est quod suppositum et natura non sunt omnino idem, in quibuscumque res non est suum esse.*

Probatur 1. Quia subsistentia et hypostasis, ut supra ostendimus, est substantia tota et integra; hoc autem de existentia re distincta a natura dici non potest. 2. Quia subsistentia non nisi ratione differt a natura. 3. Quia hypostasis est habens esse, seu existentiam; at existentia non habet existentiam. 4. Quia fundamentum, quo nititur contraria opinio, est falsum, et a S. Thomæ doctrina prorsus alienum, ut ostendimus supra.

Existentia non est de conceptu subsistentiæ.

5. Dico 2. Quod existentia, licet ratione tantum a natura differat, tamen nec formaliter est hypostasis, nec de quidditativo ejus conceptu.

1. Pars probatur.

Prima pars probatur. Quia quemadmodum essentia, licet re eadem cum existentia, nec nisi ratione ab ea distincta, non est tamen formaliter existentia, quia, scilicet, alius est conceptus essentiæ, alius existentiæ. Ille enim est res, ut explicatur definitione, estque in certo genere, certaque specie entis, suas habens proprietates, quibus ab aliis distinguatur : hic vero est eadem res, prout est extra nihil, et extra suas causas, a quibus pendet. Ita licet hypostasis et subsistentia re idem sit cum natura et cum existentia, hæc tamen non propterea est formaliter hypostasis; quia conceptus habent ratione saltem secundum quid diversos, ut ostendimus supra cap. 22. Deinde quia hypostasis et suppositum, est habens esse, seu existentiam, at nihil habet seipsum. Igitur hypostasis non est formaliter existentia.

2. Partis

1. Argumentum.

6. Secunda pars, nempe, quod existentia ne quidem sit de conceptu quidditativo hypostasis, probatur Primo. Quia, tria tantum sunt de ratione hypostasis, ut supra ostendimus cap. 11. Primum quod sit substantia. Secundum quod sit prima et singularis. Tertium quod tota et integra : horum autem nullum essentialiter includit existentiam, ut patet. Igitur.

7. Secundo. Quia conceptus adæquatus hypostasis est integer et completus sine conceptu existentiæ. Tum quia ratione prior est, ideoque sanctus Thomas 1. p. q. 3. prius quærit, an in Deo idem sint natura et suppositum, quam an essentia et existentia in illo sint idem; tum quia quælibet natura individua non existens recte intelligitur esse hypostasis. Ut enim Bucephalus non existens concipitur animal, sic et hoc animal, et hypostasis : et Alexander non existens, recte concipitur homo et persona humana. 2. Argumentum.

8. Tertio. Quia, quemadmodum existentia non est de ratione substantiæ, vel accidentis ex D. Thoma 3. parte q. 77. art. 1. ad 2. Neque enim cum accidens definitur, ens in alio, sensus est, ipsum actu inexistere alteri, sed solum talem esse ejus naturam, ut postulet esse in alio, sive existat, sive non existat, ut ait S. Thomas loco citato, et quodlibeto 9. art. 5. ad 2.; ita nec existentia est de ratione hujus substantiæ particularis, atque adeo hypostasis. 3. Argumentum.

9. Objicies. Hypostasis definitur, ens, seu substantia per se existens. Ergo existentia est de ejus conceptu et definitione. Responsum est supra capite 18. num. 8. Objectio.

10. Porro quod hisce duabus conclusionibus statuimus, intelligendum est de solis substantiis et hypostasibus creatis, non autem de divinis. Hæ enim, et realiter, et formaliter includunt existentiam divinam. Et ratio est, quia divinam naturam essentialiter includunt : hæc autem, et quia est infinita, et quia non potest concipi non existens, essentialiter claudit existentiam divinam. Igitur hæc etiam in hypostasibus divinis essentialiter continetur. Propterea S. Thomas quodlibeto citato hanc adhibuit restrictionem *quod suppositum et natura non sunt omnino idem, in quibuscumque res non est suum esse.* Vicissim etiam ipsæ hypostases divinæ continentur aliquo modo in essentia divina, propter easdem causas; quia scilicet est infinita : igitur omnem perfectionem, atque adeo hypostaticam, et personalem comprehendere debet. Et quia non potest proprie concipi Deus; nisi ut habens deitatem, vel ut Persona Divina, sive in communi, et ut ratione præscindit a tribus, sive in particulari, et distincte concepta; ergo hypostases divinæ in conceptu essentiæ divinæ includuntur. Existentia est de conceptu Divinarum Personarum.

CAPUT XXXIX.

Hypostasim ac subsistentiam non esse formam realem a natura re distinctam.

SUBSISTENTIAM non esse formam solidam et realem, naturam singularem informatione substantialiter complentem ac perficientem, ab ea realiter separabilem, ita ut divina virtute, vel sola existere possit probatur.

1. Argumentum. **1.** PRIMO. Ex definitione hypostasis a nobis superius tradita et confirmata. Cum enim sit substantia prima tota; ratio partis omnino cum ea pugnat. Unde sic argumentum formare licet. Nulla pars potest esse hypostasis et subsistentia; omnis forma informans aliud, essentialiter est pars alicujus totius. Igitur nulla forma informans potest esse hypostasis.

2. Argumentum. **2.** SECUNDO. Omnis forma informans, vel est substantialis, vel accidentalis; subsistentia neutra esse potest. Igitur. Major licet certissima sit, paulo post tamen a nobis, cum de modis agemus, demonstrabitur. Minoris vero secunda pars, nempe quod subsistentia non sit forma accidentalis, certa est et ab adversariis facile conceditur. Ergo prima pars, quod subsistentia non sit forma substantialis informans sic probatur. Omnis forma substantialis informans, est actus primus corporis naturalis. Talis autem non est subsistentia, cum adveniat ei, quod jam habet formam et actum primum substantialem. Præterea omnis forma substantialis informans, naturam aliquam et speciem constituit, eamque distinguit essentialiter a quovis alio. Hypostasis autem nullam speciem constituit, aut distinguit essentialiter ab alio, alioqui individua ejusdem speciei differrent essentialiter.

Responsio. **3.** NEQUE vero hoc argumentum recte solvit Gregorius de Valentia de Incarnatione, disp. 1. quæst. 4. punct. 2 cum ait ejusmodi formam hypostaticam pertinere indirecte et reductive ad
Refellitur. compositum. Cur enim non æque directe, imo directius, et magis ad illud pertineat, quam aliæ formæ essentiales? Nam cum sit

forma ultima, ipsum compositum substantialiter ultimo perficiens, magis forma et essentia compositi dici debet, magisque a natura intenta. Quod enim generatione postremum est, intentione, et perfectione prius est et perfectius. Adde quod ejusmodi forma substantialis Aristoteli, ac philosophis omnibus peripateticis hactenus incognita fuit, cum nullam usquam ejus mentionem fecerint. Igitur forma fictitia est, et non reductitia.

4. Tertio. Omnis forma informans proprium et positivum aliquem formalem effectum habere debet. Ejusmodi autem formæ hypostaticæ nullus est, nec assignari potest formalis effectus. Dicere enim, quod solent, ejus effectum formalem, esse naturam singularem complere, perficere, terminare ultimo, facile est refellere. Qui enim potest quicquam esse actus ejus, quod non est in potentia ad illud? aut id replere, perficere, et terminare quod nihil habet vacui, nihil imperfecti et interminati in genere substantiæ? Naturam autem quamlibet singularem et individuam, et substantiam primam secundum se vacuam, imperfectam, interminatam, et in potentia ad ullam formam realem et substantialem, neque sensu et experientia, neque philosophorum auctoritate, neque ullo signo, ullaque ratione naturali, neque ullo principio revelato et supernaturali ostendi potest. Ex mysterio enim Incarnationis id colligi non posse supra manifeste demonstratum est.

3. Argumentum. Responsio 1. Refellitur.

5. Neque dixeris prædictæ formæ hypostaticæ effectum formalem esse, naturam singularem facere incommunicabilem alteri. Nam hic effectus est solum negativus. Quærimus autem positum, in quo fundetur ille negativus. Deinde si naturæ singulares ejusmodi forma hypostatica destitutæ acervatim in unum cogerentur, et simul permiscerentur, nunquam facerent unam naturam, nec unum suppositum, essentque semper incommunicabiles. Igitur eorum incommunicabilitas non oritur ab ulla forma hypostatica re ab illis distincta. Adde quod esse incommunicabile seu incommunicatum alteri, est esse ab eo re divisum et actu distinctum. At forma illa hypostatica substantiæ singulari neque essentialem et specificam, neque numericam distinctionem tribuit; cum naturæ singulares secundum se, et essentialiter et numero differant.

Responsio. Refellitur.

6. Quarto. Contra hanc formam hypostaticam realem et substantialem valent argumenta omnia, tum theologica, quæ antea

4. Argumentum.

retulimus, tum quæ postea referemus contra formam modalem subsistentiæ. Iisdem enim et majoribus urgetur difficultatibus; nec facile explicari potest, quomodo et a quo producatur, in quo recipiatur, an sit simplex, vel composita, etc.,. Igitur nulla est talis forma.

CAPUT XL.

An hypostasis seu subsistentia sit modus, quidve de modis sentiant Recentiores.

1. Quoniam hypostasim et subsistentiam modum esse nonnulli negant, alii affirmant, et hoc uno sensu verum est, alio falsum; propterea id nobis hoc loco non indiligenter pertractandum est. Cujus rei gratia de modorum natura, quidditate et a rebus modificatis distinctione necessario nobis agendum est copiosius; tum quod subsistentia principem inter modos locum teneat; tum quod res hæc sit hoc tempore valde controversa, lateque pateat et frequenter in disputatione versetur, et in ea recentiores ab antiquis dissentire videantur.

Nomine modi significatur aliquid reale.

Ac nomine modi significari aliquid reale et non merum nihil, in confesso est apud omnes. Quid autem et quale genus entis realis sit, et quotuplex et quomodo, ab eo cujus modus dicitur, differat, non parva est inter philosophos concertatio et controversia.

Franciscus Suarez.

2. Franciscus Suarez suæ Metaph. disp. 7. sect. 1. n. 18. 19. 28. ait modum *non esse proprie rem, nec ens reale in rigore,* eo quod semper debeat esse affixus alteri, eique uniri per se immediate ac sine modo, ut sessio sedenti, et unio rebus unitis. Ipsum nihilominus ab eo, cujus est modus, distingui ex natura rei, actualiter et nemine cogitante. Et disp. 13. sect. 9. agens de unione formæ cum materia in composito naturali. n. 5. ac 12. scribit, ejusmodi unionem, esse modum quemdam et vinculum a materia et forma a parte rei distinctum, quo ad invicem copulantur ad compositum constituendum, eumque appellat substantialem inhæsionem. Quem in omnibus substantiis naturalibus, præterquam in homine, vult non solum educi de potentia materiæ, sed esse ipsam rei eductionem,

eumdemque esse generationem seu causalitatem, tum agentis, tum ipsius formæ, tum etiam materiæ erga formam. In homine vero esse diversum a creatione animæ et eam ita unire corpori humano, ut tamen ab eo non pendeat. Addit præterea unionem materiæ cum forma esse non posse, quin actu uniat et connectat extrema eo modo, quo potest et debet. Idem censet de inhærentia accidentis respectu subjecti, de unione hypostatica humanitatis cum Verbo, admittitque varios alios modos ejusdem naturæ et conditionis, ut dependentiæ, præsentiæ et similes; de quorum omnium *ratione et essentia sit afficere et modificare res, quarum sunt modi.* Quod ait, de Incarnatione disp. 8. sect. 3. et alibi passim.

Gabriel Vasquez.

3. Idem sentit Gabriel Vasquez, nisi quod pauciores admittit 1. p. disp. 116. cap. 5. et 3. p. disp. 18. c. 3. n. 23. ubi modum unionis hypostaticæ defendit, eumque ait esse talis naturæ et conditionis, ut non sit accidens perfectum, nec integra substantia; sed habitudo et affectio quædam, rei qua taliter se habere dicitur : et ideo nulla ratione seorsim per se cogitari, nec per se esse etiam divina potentia; sed totum esse talis modi, esse, afficere rem, ut aliter se habeat.

De Lugo. Hurtadus.

4. Eamdemque doctrinam de modis defendunt alii recentiores, ut De Lugo de Incarnatione disp. 11. sect. 1. num. 2. et disput. 12. sect. 7. num. 75. et num. 91. *Tota essentia modi est actuale exercitium communicationis suiipsius,* et Hurtadus de Mendoza in sua Met. disp. 2. sect. 3. ubi postquam divisit ens in duo genera; unum eorum, quæ divinitus existere possint sine hoc accidente determinato, ut Petrus sine albedine, sine metu, etc.; alterum, quod ita affigitur rei singulari, ut sine ea nequeat divinitus consistere, ut actio vitalis Petri, quæ non potest esse in Paulo. Primum genus entium absolute, inquit, est ens, entitas et res; secundum autem vocat modum, seu entitatem modalem, quam ibidem § 41. ait ne divinitus quidem posse esse sine eo cujus est modus, licet ab illo a parte rei differat : eumque definit *actualem determinationem rei indifferentis,* et sect. 6. § 56. *Modus,* inquit, *est determinatio indifferentiæ alicujus ad aliud, qui per essentiam continet denominationem quam tribuit subjecto.* Ideoque ibidem negat subsistentiam esse modum, quia non determinat naturam ad aliud.

Doctrinam de modis esse novam confitentur eorum assertores

5. Verum tota hæc de modis, præsertim substantialibus, deque eorum distinctione, doctrina mihi et plerisque aliis, nova, et parum

probabilis esse videtur. Ac ejus *novitatem* vel ipsi modistæ agnoscunt, et confitentur. Nam Hurtadus in sua Metaphys. disp. 15. sect. 2. num. 10. *Apud antiquos,* inquit, *non fuit tam exacta disputatio de modis et rebus.* Et Gabriel Vasquez disp. 41. in 3. partem cap. 4. num. 22. loquens de modo unionis hypostaticæ, quem ipse defendit, ait *nunquam fortasse venisse in mentem Sanctis Patribus, eumque scholastica disputatione non multis ab hinc annis adinventum esse.* Et Suarez tom. 1. suæ Metaph. dist. 7. quæ est de variis distinctionum generibus sect. 1. in qua potissimum agit de modis, et de distinctione modali in universum num. 13. et 14. ait eam non solum Scoto, sed etiam Aristoteli, aliisque antiquioribus incognitam fuisse. *Ex his,* inquit, *et similibus Aristotelis testimoniis nullum firmum pro hac sententia de modali distinctione, argumentum desumi potest : et idem sentio de D. Tho. et de aliis antiquis auctoribus, qui fere semper utuntur vocibus distinctionis realis et rationis in priore sensu supra explicato, et quæstionem in qua nunc versamur, distincte non tractant.* Et Disp. 34. sect. 5. num. 4. ait *antiquos philosophos nihil disputasse de subsistentia modali composita.*

Hurtadus

Vasquez.

Suarez.

6. Et certe in universa Aristotelis philosophia, aut Sancti Thomæ Theologia, nulla omnino talium modorum, modalisque distinctionis mentio habetur; nec ex ullis eorum principiis conjici aut bene inferri potest. Nam licet nomen *modi* passim usurpent, nunquam tamen eo sensu, quo modistæ. Illis enim *modus entis* est, vel ipsa finita et certa entitatis portio et mensura perfectionis, quam quælibet species et res creata habet; vel omne accidens respectu substantiæ, quam facit alio modo se habere; vel omne *contrahens* respectu contracti, ut differentia respectu generis. Sed potissimum apud eos *modi entis* sunt universales, et simplices termini, seu generales et metaphysicæ quædam rationes entis, iis terminis ac nominibus significatæ, quæ declarat Philosophus toto lib. 5. Metaph. nempe, *principium, causa, elementum, natura, necessarium, contingens, actus, potentia, possibile, impossibile, unum, idem, diversum, substantia, accidens, et reliqua accidentium suprema genera, prius, posterius, opposita, totum, pars, habere, esse ex, vel in aliquo, perfectum, mancum, verum, falsum* et similia. Ideoque Alensis in tex. 11, lib. 9. Metaphysicæ, exponens definitionem actus ab Aristotele traditam, *Actus est existere rem non ita quemadmodum dicimus potestate, ut in ligno*

Quos modos agnoverint antiqui.

Alensis.

Mercurium. Hæc habet. *Notandum quod actus et potentia sunt duo modi; et ideo magis debent vocari dispositiones entis quam entia; et ideo Philosophus dixit quod potentia est dispositio entis opposita actui.* Hæc ille.

7. Dicere autem Aristotelem modos agnovisse, quales ponunt recentiores, quod existimarit nec accidens a subjecto, nec formas a materia, rationali excepta, separari posse, hæcque omnia quasi pro modis habuisse, ut insinuat Suares in sua Metaph. disp. 37. sect. 2. num. 2. et 10. nihil habet verisimilitudinis, estque de modis loqui valde æquivoce. De his enim cum disputatur, an sint, nec ne, quæstio non est an detur aliquod ens, quod solum et separatum ab omni alio existere nequeat, etiam supernaturaliter; sed an sint tenues illæ ac minutæ entitates, quas aliarum vel terminos, vel vincula, et uniones, et actuales rei indifferentis determinationes appellant.

Deinde non ignoravit Aristoteles divisionem accidentis, quam habet Porphyrius c. 6. Isagoges, in separabile et inseparabile. Quæ divisio non est generis in species, sed subjecti in accidentia; cum idem accidens separabile sit ab uno subjecto, ut nigredo a capillis cum canescunt, et inseparabile ab alio, ut eadem nigredo ab Æthiope. Ideoque divisio entis Hurtadi supra, in illud quod non potest divinitus existere sine alio, et illud quod potest, scientifica non est; cum existentia nulli rei creatæ essentialiter, vel per se, ac necessario conveniat. Præterea, ut existimarit Aristoteles formas substantiales inseparabiles esse a materia, noluit tamen hoc esse de earum essentia, cum eas ratione et conceptu a materia separabiles esse diserte doceat 8. Metaph. tex. 3. *Ratio,* inquit, *et forma cum sit quod quid, ratione separabile est,* et paulo post; *earum substantiarum, quæ secundum rationem, quædam sunt separabiles* (supple, simpliciter et naturaliter), *quædam vero non.*

8. Sed cum Durandum sibi adsciscant, eumque doctrinæ suæ vel auctorem, vel fautorem præcipuum allegent, non modo non stare ab illis, sed eis adversari hic nobis perspicue demonstrandum est. Is igitur in 1. dist. 33. q. 1. occasione distinctionis relationum divinarum ab essentia divina, agens de modis, ubi n. 10. præmisit *inter ens reale et ens rationis, interque distinctionem realem et distinctionem rationis non esse medium;* tria aut quatuor de modis tradit.

Primum n. 13. *Rerum,* inquit, *quædam sunt absolutæ, de quibus*

ens per prius dicitur, ut substantia, quantitas, qualitas : aliæ sunt puri respectus, qui tantum sunt res et entia realia per posterius, et secundum quid, quatenus sunt modi essendi rei, ut subsistere per se, esse in alio, tangere et tangi, quorum nullum est entitas secundum se, sed solum quia est formaliter modus entitatis, et quorum conceptus essentialis et formalis est, esse alterius.

Secundum n. 16. 17. et 22. Quod nullus purus modus essendi, per se est vel subsistens, vel inhærens alteri. Hoc enim competit rei habenti modum. Modi enim non datur modus : et quia modus inest et innititur, non sicut subjecto, sed sicut suo fundamento, ut relatio, quæ est modus essendi ad aliud.

Tertium. Quod nullus modus facit compositionem cum re cui inest, nec tollit ejus simplicitatem n. 17 et 37. *Quia,* inquit, *omnis compositio est per hoc quod una res inhæret alteri; modus autem essendi nec per se subsistit, nec inhæret. Unde cum forma et materia uniuntur, esse in alio, qui est modus quidam formæ, non facit compositionem cum ea, nec item esse id in quo aliud, qui est modus essendi materiæ, quamvis differant aliquo modo realiter ab utroque.*

9. Quartum est, quod relationes divinæ ab essentia divina, et modus ab eo, cujus est modus, aliquo modo rè differant. Ex qua loquendi ratione occasionem sumpsere modistæ dicendi Durandum suum esse.

10. Verum qua ratione velit et relationes ab essentia divina, et *modum* a re, cui inest, re distingui, non satis attente consideraverunt, quamvis seipse satis clare explicet. Nam diserte ait, differre realiter dici dupliciter. 1. simpliciter et absolute, quando sunt duæ res, quarum una nullo modo est altera. 2. Secundum quid et cum determinatione, quando cum una res sit alia, circumscripta tamen omni operatione intellectus et non pure per rationem, est aliqua inter eas differentia. Quod alii dicunt, inquit, *non esse idem adæquate et convertibiliter : alii non esse identice eadem, aut differre formaliter et ex natura rei : alii differre sicut res et modus.* Quos omnes loquendi modos ait coincidere, eosque ut idem significantes amplectitur, n. 30. solutione ad primum. Hoc secundo modo vult et relationes divinas ab essentia divina, et modos a rebus modificatis re distingui.

Differre realiter dicitur dupliciter.

Durandum non distinxisse à parte rei modum à re modificata.

11. Ex quibus patet, quod secundum Durandum, proprius et formalis conceptus modi est, *esse alterius,* non more accidentium

absolutorum, sed quidditative et formaliter, more accidentium respectivorum, et quod modus non est proprie entitas realis distincta ab eo cujus est modus. Primo quia diserte ait distingui non sicut accidens absolutum a subjecto, sed sicut respectivum; relatio autem re non differt a suo fundamento. Secundo quia negat modum intrinsece inhærere et inexistere rei cujus est modus; at si differt re omnino in eo recipi et inhærere deberet. Tertio quia negat modum facere compositionem cum eo, cujus est modus. At si vellet esse inter utrumque distinctionem realem, omnino esset realis compositio. Unde et modistæ fatentur modos suos facere compositionem cum iis quorum sunt modi. Et hoc ipsum contra Durandum contendunt Suarez lib. 4. de Trinitate cap. 4. n. 9. et 10. et Didacus Ruiz disp. 33. q. 5. n. 8. Quarto Durandus n. 18. ait, quod si humanitas Christi dimitteretur a supposito divino, et subsisteret per se, haberet quidem alium modum realem essendi quam prius, non tamen aliam compositionem. At idem dist. seq. 34. num. 15. 16. et seq. subsistentiam propriam a natura ratione solum distinguit. Quinto denique, intelligit modum distingui a re modificata, quemadmodum relationes divinæ ab essentia divina. At certum est fide divina, relationes ab essentia divina non distingui eo modo quo modistæ distinguunt suos modos, sed solum eo modo et sensu, quem ipse explicat; nempe, quod non sunt adæquate, et convertibiliter idem cum ea, et quod circumscripto omni actu intellectus essentia divina est in Filio v. g. in quo non est formaliter paternitas.

Durandus minus propriè videtur locutus

12. Fateor tamen talem loquendi modum Durandi, relationes distingui realiter ab essentia divina, et modum a re cujus est modus, minus proprium esse, et in rigore falsum; tum quia sicut ens reale, et ens extra animam circumscripta omni actione intellectus, ita esse duo sive distingui realiter, non tantum est, esse quid reale, sed est esse duo, nemine cogitante; ita ut et realitas et distinctio non pendeant ab intellectu. At non ita est in essentia divina et relationibus, nec in modo et eo cujus est modus; nam gradus metaphysici, ut substantia, corpus, etc., sunt quid reale, existuntque a parte rei; non tamen re, sed tantum ratione differunt.

13. Ex quibus manifesta est Durandi sententia de modis. Manifestum item, quomodo idem intelligendus sit, cum in 3. dist. 5. q. 2. ait, quod humanitas acquirit per Incarnationem quemdam modum realem ab ea re distinctum. Non enim vult esse modum re distinctum, ut volunt modistæ recentiores; cum nolit ipsum

facere compositionem cum humanitate, sed solum esse re distinctum, eo modo quo relationes divinas vult re differre ab essentia divina, vel tactum a tangente, relationem a fundamento.

14. Denique ex antiquioribus nullus nominari potest, qui docuerit *modum esse determinationem actualem rei indifferentis, continentem per essentiam denominationem quam tribuit alteri.*

Itaque nova et recens videtur hæc de modis doctrina. Falsam vero esse deinceps ostendendum est.

CAPUT XLI.

Proponitur primum argumentum adversus modos substantiales re distinctos a rebus modificatis.

Modi erunt accidentia et non erunt.

1. Dari tales modos implicat contradictionem. Hi namque erunt vera accidentia, et simul non erunt. Non erunt. Ita enim, credo, volunt modistæ. Deinde cum inter hos numerent subsistentiam, unionem naturalem materiæ cum forma, et unionem hypostaticam humanitatis cum Verbo; si sunt accidentia, sequitur et suppositum in ratione suppositi constitui formaliter per aliquod accidens, et accidens esse de ratione intrinseca substantiæ, (cum modalis unio, ex eorum sententia, sit de essentia compositi naturalis,) et Christum ipsum formaliter esse quoddam accidens, propter unionem hypostaticam humanitatis cum persona Verbi.

2. Fore autem accidentia, si dentur, evidenter ostenditur ex duobus principiis metaphysicis, iisque certissimis, et a philosophis omnibus receptis. Unum est divisio entis in substantiam et accidens; alterum definitio accidentis. Ex primo igitur principio sic ducitur argumentum. Omne ens est necessario, vel substantia, vel accidens : at nullus modus substantialis potest esse substantia; ergo est accidens. Major est Aristotelis, in Antepræd̄icamentis capite 2. et alibi passim, omniumque philosophorum, estque adæquata, et, ut loquuntur aliqui, inevitabilis entis divisio, comprehendens quidquid habet rationem entis, ut docent Alensis quæstione 3. in textum 5. libri 7. Metaphysicæ, et S. Thomas 1. part. quæst. 77. art. 1. ad 5. quæst. de Spiritualibus creaturis art. 10. et lec-

1. Argumentum quo probatur modum esse accidens.

Alensis.

S. Thomas.

tione 24. in librum 1. de generatione et corruptione, ubi ita loquitur : *inter substantiam et accidens, non potest esse aliquid medium, cum substantia et accidens dividant ens per affirmationem et negationem, et proprium substantiæ sit non esse in subjecto, accidentis esse in subjecto.* Ex quo infert, contra Averroem, formas elementorum non esse medias inter substantiales et accidentales, nullumque prorsus dari medium inter substantiam et accidens.

Substantia et accidens quomodo opposita contradictorie.

3. Dicuntur autem substantia et accidens a S. Thoma, ut, et ab Avicenna lib. 1. Metaphys. opponi, sicut affirmatio et negatio, non per se primo et formaliter, cum utrumque sit ens reale et positivum, sed consequenter tantum; quia ipsa negatio accidentis per se, et immediate, et necessario inest substantiæ, et vicissim negatio substantiæ per se immediate et per modum proprietatis inest accidenti.

Modus non est substantia tota, nec pars.

4. Minor probatur, quia modus quilibet substantialis v. g. subsistentiæ, neque est substantia tota, neque pars substantiæ. *Non tota,* ut concedunt adversarii, qui hoc maxime a nobis dissident, qui dicimus hypostasim et personam nihil aliud esse quam totam, solam et individuam substantiam. Neque etiam *pars substantiæ :* Tum quia in angelis, qui sunt hypostases et personæ, nullæ sunt partes substantiales; alioqui non essent substantiæ simplices. Tum quia in substantiis materialibus et compositis, cum duo tantum sint partium genera, nempe essentiales et integrantes, modus subsistentiæ non potest esse pars illarum essentialis, cum, ex communi sententia, substantiæ compositæ duæ sint tantum partes essentiales, materia et forma, ex Philosopho 2. de anima text. 2. et 7. Metaphys. t. 7. lib. 8. tex. 3. lib. 12. tex. 6. Tum quia ille modus essentiæ jam constitutæ advenit; ergo non est pars essentiæ. Tum quia, si est pars essentialis naturæ et substantiæ, eo sublato peribit talis substantia, sublato autem modo subsistentiæ, non perit natura, cujus est modus. Neque item est pars integrans, ut pes, manus, oculus; in homine tum quia quælibet pars integrans est extra aliam, et ab ea separari potest, ut patet in aqua, et aliis. Modus autem subsistentiæ non est separabilis, ita ut existat separatus. Tum quia certum est in angelis nullas esse partes, sive integrantes, sive essentiales.

Nec essentialis.

Nec integrans.

Responsio.

5. Neque dixeris modum substantialem, esse partem substantiæ large, et non ita stricte sumpto nomine partis, quemadmo-

dum punctum magnitudinis, instans temporis, et universim indivisibilia eorum quibus insunt partes aliquo modo dici possunt.

Refellitur. **6.** PRIMO. Quia Philosophus 5. Metaphys. t. 30. ubi enumerat varios modos partium, nec usquam alibi, nec alii peripatetici meminere hujus distinctionis partis, in *latam et strictam*. SECUNDO. Cur materia aut forma sint partes stricte potius quam modus, vel subsistentiæ, vel unionis earum. Nam conditiones omnes partis, quas retulimus supra cap. 12. num. 9. illis modis æque conveniunt, ac materiæ vel formæ. Neque ad hoc ut aliquid sit proprie et stricte pars requiritur, ut solum et seorsim ab aliis quibuscum in toto jungitur existere possit. Nam materia prima, in doctrina S. Thomæ, eaque ut opinor, vera, ne quidem divinitus sola existere potest : et cum detur minimum in igne, aere, aqua, aliisque substantiis naturalibus, ejus tamen partes solæ ac separatim existere nequeunt, alioqui non esset minimum. TERTIO. Admittendæ erunt plures ejusmodi partes in qualibet substantia naturali, in qua adversarii multos enumerant modos substantiales, unionis, v. g. subsistentiæ, dependentiæ, et actionis substantialis, et similes : quas partes Aristotelem, omnesque peripateticos et antiquos philosophos, qui naturalis substantiæ scientiam professi sunt, ejusque principia prima ac partes minimas diligenter et accurate perscrutati sunt, latuisse, quis credat? Cum ex eo sequatur, illos nunquam assecutos esse perfectam rerum naturalium scientiam. *Tunc enim,* ut

Aristoteles. scribit Philosophus 1. Physicorum, t. 1. *nos unumquodque eorum, quæ causas, et elementa habent, et principia, vere scire et cognoscere opinamur, quando illas causas et principia prima usque ad elementa cognoscimus.* Cum igitur dictarum partium modalium, et late sumptarum nullum indicium suis in libris nobis reliquerint, aut dicendum est eas omnino fictitias esse, aut condemnandi omnes antiqui magnæ, in docendo, vel imperitiæ, vel oscitantiæ. Denique quia a plerisque de iis qui melius philosophantur, ejusmodi indivisibilia rejiciuntur, et quiea defendunt, non nominant partes : imo demonstrat Philosophus 6. Physicorum initio, nullum continuum componi ex indivisibilibus, alioqui magnitudo, tempus, et similia essent tota quædam heterogenea. Divisibile enim et indivisibile uti nomine, sic definitione, et natura differunt.

Altera Responsio. Refellitur. **7.** DICET forsan alius modos substantiales non esse partes rerum quibus insunt, quod sint earum complementa. Sed contra. Forma est complementum materiæ, ac etiam totius compositi

naturalis, nec propterea ejus pars esse desinit. Est enim complementum pars rei ultima. Quasi vero completorium officii ecclesiastici, unitas ultima numeri, dies, et sinus, aut anguli complementum, quadrantis anni, quem complet, et non sit vera pars. Præterea, ut dicebamus supra cap. 39. num. 2. unde habent, res, sine illis modis, esse vacuas et incompletas? Igitur hæc responsio mentem non complet, nec evacuat difficultatem.

8. Ex definitione autem accidentis modum substantialem esse accidens, sic ostenditur. Accidens ab Aristotele in Anteprædicamentis cap. 2. definitur *ens in subjecto*. Deinde quid sit, *esse in subjecto*, his verbis exponit. *In subjecto esse dico, quod ita est in aliquo, ut non sit ejus pars et impossibile est esse sine eo in quo est*, (intellige per potentiam naturalem et ita ut existat separatim) *ut quædam grammatica, in subjecto quidem est in anima, de subjecto vero nullo dicitur*. At hæc accidentis definitio, omnesque et singulæ ejus partes, cuilibet modo substantiali, ad unguem quadrant. Nam modus subsistentiæ, v. g. est in aliquo, ut in Gabriele, vel Petro : nec est pars ejus in quo est, cum Gabriel nullis, Petrus duabus tantum constet partibus, anima et corpore : eamdemque impossibile est naturaliter, et, si quidem modus est, etiam supernaturaliter, ac virtute divina, existere separatim ab eo cui inest et cujus est modus. Hanc enim modorum omnium volunt esse, vel naturam, vel proprietatem essentialem, qua a non modis distinguantur, quod divinitus existere nequeant, sine eo cujus sunt modi. Igitur erunt vera accidentia.

Quod accidentis definitio modis conveniat.

Cum autem tota vis hujus 2. Argumenti, in allata definitione accidentis posita sit, eademque sit principium metaphysicum maximi momenti ad plurimas gravissimasque, cum in theologia, tum in philosophia difficultates clare et solide expediendas et a plerisque, vel non satis expendatur, vel, ubi opus est, ad usum minus applicetur; operæ pretium erit eam paulo diligentius et accuratius hoc in loco examinare. Etenim cum magna, ut admonuimus antea cap. 10., in conficiendis cognoscendisque definitionibus diligentia adhibenda est, tum hæc nobis accurate et operose tractanda est, ac firmiter stabilienda, eo quod sit principium latissime patens, et veluti clavis totius philosophiæ in ipsis primis ejus foribus, id est, in ipso anteprædicamentorum introitu ab Aristotele appensa, ut ea mente apprehensa, non solum ad categoriarum, quæ sunt philosophiæ universæ seminarium, intelligentiam, sed etiam ad reliquas

omnes scientias ingressum facilem et expeditum habeamus. Omnes enim subjecti sui accidens proprium et per se considerant, contingens autem et commune rejiciunt.

CAPUT XLII.

Accidentis definitio ab Aristotele tradita expenditur ad modos substantiales expugnandos.

Principia tantum probantur tribus modis auctoritate, inductione et dialectice.

1. Tribus, hoc est, omnibus, quibus definitio aliqua, aut principium immediatum confirmari potest, viis ac modis, supradicta accidentis definitio, a nobis declarabitur et confirmabitur, *auctoritate, inductione et dialectica ratiocinatione.* Auctoritate quidem tanta, ut auctorum et numero et qualitate, in re philosophica major nulla haberi possit; et ea similiter inductione, ut in philosophia, aut theologia universa amplior, certior et evidentior fieri nequeat, eo quod nullum ens sit tam notum et sensibile, tamque amplum, varium et multiplex quam accidens. Ad quam inductionem accedet probatio logica, ex plurimis bonæ definitionis præ-

Aristoteles.

ceptis ab Aristotele traditis 6. et 7. Topic. Nam prima scientiarum principia tam simplicia, ut definitiones, quam complexa, nempe, propositiones immediatæ, a priori et per causam probari nequeunt; *idque tentare,* inquit Philosophus, 4. Metaphys. text. 9. et 1. Post. c. 3. sent. 8. *et omnium demonstrationem quærere, est ignorantia logicæ, omnemque scientiam et demonstrationem destruit.* Quare probantur solum auctoritate, inductione et communibus dialecticæ præceptis. *Dialectica enim, cum sit inquisitiva, ad omnium methodorum principia viam sternit* 1. Topic. c. 2.

2. Primum igitur illa accidentis definitio probatur auctoritate Philosophi. Habetur enim, cap. 2. Anteprædicamentorum his verbis : *In subjecto esse dico, quod ita est in aliquo, ut non sit ejus pars et impossibile est esse sine eo, in quo est.* Quæ ut credibile est, ab eo primum inventa et fabricata est, nam ut observant diligentes et periti ejus interpretes, cum in tertia persona loquitur, aitque λέγεται, *dicitur,* vel λέγουσι, *dicunt,* aut καλοῦσι, *vocant,* tacite insinuat, tradere se doctrinam communem et ab aliis acceptam;

cum vero in prima persona loquitur, aitque λέγω, vel καλῶ, *dico, voco,* ut loco citato Anteprædicam. *In subjecto autem esse dico;* ut etiam lib. 1. Prior. cap. 3. 4. 5. definiens figuras, syllogismum, et terminum medium cujusque, subindicat se primum illius doctrinæ, quam tradit, inventorem. Philosophum autem sequuntur omnes ejus interpretes, *græci,* Ammonius, Porphyrius, Simplicius, *Arabes,* ut Averroes, *latini,* S. Augustinus in suis categoriis, Boetius utroque suo commentario in categorias Aristotelis, Javellus, Cajetanus, Toletus, Zabarella, Pacius, uno verbo, omnes etiam Cursus communes, ut Parisienses, Lovanienses, Colonienses, Conimbricenses et quicumque categorias Aristotelis, aut commentariis, aut paraphrasi græce, vel latine, vel arabice, aut etiam gallice, ut Philippus de Canaye et Scipio Dupleix, illustrarunt, aut in scholis hactenus exposuerunt et adhuc, qui quotidie exponunt, hanc accidentis definitionem, ut optimam et verissimam amplectuntur et defendunt. Probatur auctoritate.

3. Et quoniam auctoritas sola, non scientiam, sed fidem tantum, et credulitatem facit, ideo probatur 2. Inductione. Etenim qui in omnia, quæ sunt, omniumque confessione habentur accidentia, mentem suam, dictamque definitionem induxerit, et eam cuique applicuerit, nullum prorsus reperiet, sive naturale aut supernaturale, sive sensibile aut insensibile, sive materiale aut spirituale, cui non integre quadret, adeo ut secernendi accidens a non accidente, facilior, certior, magisque analytica regula reperiri nulla possit, quam hæc definitio. Nam qui eam, contra commune omnium judicium, repudiarit, unde probabit quantitatem, calorem, lumen, scientiam, charitatem, gratiam, et similia esse vera accidentia, et non modos substantiales? Sublata enim hujus definitionis nota, æquo jure, parique probabilitate quilibet dixerit quantitatem, scientiam, et alia omnia accidentia, esse modos quosdam substantiales, quam substantia, unio substantialis, et similia, qui dicuntur modi substantiales. Hæc enim eodem modo inexistunt, et insunt alteri, quo, quæ sunt et dicuntur accidentia. 2. Inductione.

4. Respondebit forsan aliquis, quantitatem, calorem, et similia esse in aliquo inhæsive, seu per inhærentiam, non autem modos subsistentiæ, aut unionis substantialis. Accidens autem definiri, et esse, id quod inest alteri inhæsive. Responsio.

5. Sed contra. Quid, quæso, aliud est illud *esse in aliquo inhæsive et per inhærentiam,* quam quod dixit Aristoteles, *esse in* Refellitur.

aliquo, non tanquam ejus partem, nec ut separabile ab eo in quo est! Cum enim *inhærere* verbum sit, hic metaphoricum, ideoque obscurum (qua forte de causa eo nunquam usus est Aristoteles in nulla definitione accidentis) et homonymum, multaque prorsus diversa significans. (Nam clavus ligno infixus et pix digitis, et pars quantitatis alteri, et forma materiæ, ac vicissim materia formæ et calor ac quodvis accidens subjecto inhærere dicuntur) verus ac proprius modus inhærendi accidentis, qui potuit melius et clarius ab Aristotele explicari et ab aliis distingui, quam duplici illa negatione, *non esse partem ejus in quo est; nec posse ab eo separari?* Etenim cum (*accidens*) terminus transcendens sit et valde generalis, idemque adeo simplex, ut ne in duos quidem conceptus simplices et positivos resolvi possit ejus notio, definiri non potuit per plures conceptus positivos, sed, more aliarum rerum simplicium, solum conceptibus negativis, utpote notioribus. Omnis enim definitio ex notioribus esse debet. Igitur *esse inhæsive in aliquo,* more accidentis aliud nihil est, quam quod dixit Aristoteles *esse in aliquo non tanquam partem ejus in quo est, nec ut quid separabile ab eo.* Quod longe clarius est, quam *inhærere,* vel per *inhærentiam* inesse alicui.

3. Probatur argumentis logicis.

6. Probatur 3. argumentis dialecticis ductis ex quatuor regulis bonæ definitionis. 1. Ut definiti naturam clare explicet. 2. Ut illud distinguat ab omni alio. 3. Ut cum eo reciprocetur, omnique, et soli, et semper conveniat. 4. Ut nihil ei desit, aut in ea redundet, et similes, quæ omnes dictæ accidentis definitioni exacte conveniunt. Etsi enim solæ species, quia sunt compositæ, constantque genere et differentia proprie definiantur; accidens autem nec sit genus, nec species, sed terminus, ut dixi, valde transcendens, generalis et simplex, ejus tamen propria ratio suo modo describi, et oratione dictas definitionis leges utcunque observante, explicari potest.

Naturam accidentis perfecte explicat.

7. Ac primo quod dicta descriptio juxta primam legem, propriam accidentis naturam, quoad fieri potest, clarissime explicet, patet ex paulo ante dictis sub finem secundæ probationis, et plenius adhuc intelligetur, ubi hos duos terminos (*esse et subjectum*) qui in prima definitionis parte continentur, paucis exposuerimus. Cum enim *ens seu esse,* ut docent metaphysici, dupliciter sumatur, nempe *nominaliter* ut solam et meram essentiam, aut *participialiter* ut essentiam existentem, seu esse actuale significat, in definitione tam substantiæ, qua dicitur *ens per se,* vel *ens non in subjecto,* quam accidentis,

Ens sumitur nominaliter et participialiter.

quod dicitur *ens, seu esse in subjecto,* accipitur, non hoc secundo modo et participialiter, sed primo tantum, seu nominaliter, pro sola essentia et nuda quidditate, cui competit esse, seu existere.

Existentia non est de ratione ullius entis creati.

Ratio est, quia existentia actualis (sive distinguatur re ab essentia, ut volunt Thomistæ, sive ut alii, ratione tantum, nihil ad rem præsentem interest,) non est de natura et conceptu intrinseco substantiæ vel accidentis, aut illius entis creati; alioquin creaturæ non possent non existere : tametsi negari non possit, rationem generalem entis vix concipi posse absque aliquo ordine ad existentiam actualem, vel possibilem, vel præcisam et oppositam enti impossibili.

D. Thomas.

Cum ens, inquit S. Thomas 3. part. q. 77. a. 1. ad 2. *non sit genus, hoc ipsum quod est esse, non potest esse essentia substantiæ vel accidentis. Non est ergo definitio substantiæ, ens per se sine subjecto, aut definitio accidentis, ens in subjecto, sed quidditati seu essentiæ substantiæ competit, habere esse non in subjecto,* etc.

8. Cum igitur accidens dicitur *ens in subjecto* vel *esse in aliquo,* non ita accipiendum est, quasi actualis ejus existentia, aut inhærentia in subjecto sit de ejus essentia. Sufficit enim si sit ens, qui natura sua convenit esse in subjecto, ut patet in sacramento Eucharistiæ, ubi accidentia virtute divina a subjecto separata vera sunt accidentia, et entia in subjecto, et in eo esse natura sua et per se postulant, sitque solum per accidens quod actu ei non insint. In rerum autem definitionibus, sicut et in demonstrationibus habenda solum ratio est ejus, quod iis per se convenit, non ejus quod per accidens.

Quid intelligatur nomine subjecti et esse in aliquo.

9. Quod autem spectat ad nomen (*subjectum*) vel terminum (*in aliquo*) in definitione accidentis, significat substantiam, eamque primam, quæ est ens verum, firmum, per se existens, substatque accidentibus, estque hoc aliquid, ut loquitur Aristoteles ibidem, et postea cap. de substantia. Nam cum vulgo duplex *subjectum* ibi distinguant interpretes, unum *prædicationis,* alterum *inhærentiæ,* utraque ratio subjecti soli substantiæ primæ convenit. De ea enim secundæ substantiæ prædicantur, ut de subjecto, quia vere sunt de illa, sicut de illa sunt partes essentiales et integrantes, si quas habet; eidemque insunt ut in subjecto inhærentiæ, accidentia.

Substantia est proprie aliquid.

Deinde, ut cum Philosopho docet Alensis in text. 12. lib. 7. Metaphys. *sola substantia proprie est quid et aliquid.* Tum quia ens, aliquid, unum, convertuntur. Sola autem substantia proprie est una, unamque dicit naturam sine additione vel copulatione alterius. Accidens vero cum in sua natura et definitione semper

substantiam sibi adjungat, non dicit proprie unum, nec quid, nec aliquid. Tum quia propter diminutam suam entitatem magis dici debet *alicujus,* quam *aliquid,* vel *ens entis,* aut ens non sibi, sed alii, nempe substantiæ. Substantia autem ens est solidum, fixum, per se consistens, nulli inclinatum; igitur proprie est quid et aliquid, proindeque in eo esse, est esse in aliquo. Adde quod ipsum totum ex materia et forma compositum a Philosopho 7. Metaph. t. 7. subjectum primum et prius materia et forma dicitur.

10. Quod vero eadem descriptio juxta 2. legem bonæ definitionis, distinguat accidens ab omni non accidente, omnique alio modo essendi in alio, ostenditur ex eo quod, ut Ammonius, Porphyrius, Simplicius, Boetius, aliique communiter notant in locum illum Anteprædicam. Decem, aut undecim sint diversi modi *essendi in aliquo.* Primus, ut pars in toto, manus in corpore; secundus, ut totum in partibus, homo in corpore, et anima, in quibus duabus partibus consistit tota ejus essentia. Tertius, ut genus in speciebus, animal in homine et bruto. Quartus, ut species in genere, homo in animali. 5. Ut forma in materia, anima in corpore. 6. Sicut res in suo fine, avarus in divitiis. 7. Sicut motum in movente, effectus in causa efficiente, ut planta in sole, servus in potestate Domini. 8. Tanquam in loco, ut aqua in aere, aer in igne, ignis in cœlo. 9. Ut contentum in continente, vinum in dolio. 10. Esse in alio tanquam in tempore, ut Noe tempore diluvii. 11. Denique, qui est proprius accidentis, nempe esse in subjecto, de quo hic agimus : quique definitur *esse in aliquo non ut pars, nec ut separabile ab eo in quo est.*

Undecim diversi modi essendi in alio.

11. Per primam hujus suæ descriptionis particulam, nempe *esse in aliquo,* (quæ in ea tenet locum generis) distinguitur a secundo modo, quo *totum est in suis partibus,* in quibus non tam est *in aliquo,* quam *in aliquibus :* et etiam a quinto, quo forma est in materia, et materia in forma; quia nec materia sola, nec forma sola, sunt proprie aliquid, sed solum partes ejus quod vere est hoc aliquid, subjectum et substantia prima. Per secundam autem particulam nempe *non esse partem ejus in quo est,* accidens ejusque proprius modus essendi in aliquo secernitur a primo et tertio modo, ut constat ex Philosopho cap. de substantia, ubi secundas substantias, et partes substantiæ primæ, sive essentiales materiam et formam, sive integrantes manus, pedes, etc., excludit a ratione accidentis, quod secundæ substantiæ sint in iis, ut partes in totis, et non tanquam *in subjecto,* sed velut *de subjecto* sicut earumdem

Ut distinguat accidens ab aliis modis essendi in.

partes tam essentiales, quam integrantes. Sunt tamen qui velint eadem secunda particula distingui accidens a quinto modo, quo forma est in materia. Licet enim non sit pars materiæ, in ea tamen est, ut in comparte, cum ea componens id, quod vere est aliquid et subjectum, quod non facit accidens cum subjecto in quo est.

12. Tandem per tertiam particulam, nempe (*esse inseparabile ab eo in quo est,*) distinguitur accidens a reliquis modis. 6. 7. 8. 9. et 10. Quæ enim his modis sunt in aliquo, sunt separata ab eo in quo sunt, ut corpus a loco, vinum a dolio, planta a sole, res a tempore : accidens vero naturaliter, ut dictum est, separari nequit ab eo in quo est, ita ut separatim existat. Nam divina virtute separari, et nonnulla separatim existere posse fides docet in SS. Eucharistiæ Sacramento. Quamvis dubium non sit, quin existimarit Aristoteles omnino et absolute impossibile esse accidens ita separari a subjecto, ut separatim existat. Nulla enim vel experientia sensus, vel inductione, aut ratione ducta ex solis principiis naturæ lumine cognitis, quibus solis usus est, evidenter colligi potest accidens separatim a substantia posse existere.

Accidens separatum a subjecto existere posse, non potest probari ratione naturali.

13. Porro etsi dictum est posse accidens divina virtute existere sine subjecto suo, id tamen non est de ratione accidentis, ideoque non est necesse omne accidens posse divinitus existere sine subjecto. Unde plerique negant operationes intellectus, voluntatis, aliasque vitales, quæ sunt vera accidentia, existere posse etiam divina virtute sine suis potentiis et subjectis.

14. Denique cum humanitas Christi sit in eo, et in Verbo, ut in aliquo, a ratione accidentis excluditur, si non per 2. particulam descriptionis accidentis (non enim proprie est in Christo, aut in Verbo, ut pars in toto, sed solum ut imperfectum in perfectiori) saltem per 3. particulam, quia et a Verbo natura sua separari ac separatim existere sola potest.

Humanitas non est in Christo ut in subjecto

15. Ex his satis apparet accidentis naturam, recitata ejus descriptione, perspicue explicari, et ab omni non accidente distingui. Quod vero cum accidente reciprocetur, quæ erat tertia lex bonæ definitionis, patet quia, soli, et nulli alteri, et omni tam proprio quam communi accidenti, et semper ac omni tempore convenit. Similiter quod illi nihil desit, aut in ea redundet, quæ erat quarta lex, ex dictis satis intelligitur. Ergo plena est et perfecta prædicta descriptio accidentis.

Probatur reciprocari cum accidente, nihil illi deesse.

16. Quod adhuc a nobis per comparationem ad alias accidentis

Aliæ definitiones accidentis cum prædicta definitione comparantur.

descriptiones manifeste ostendi potest. Nam eæ tres vulgo proferuntur. Prima *entis ens*. Secunda *ens inhærens alteri*. Tertia *quod adest, et abest sine subjecti corruptione*. Prima enim multo obscurior est, eademque alteri quam accidenti quadrare potest, nempe materiæ et formæ, et partibus integrantibus, quæ entis, id est, totius entia quædam sunt. Igitur modum proprium essendi in alio accidentis non exprimit. Secunda etiam, quia constat verbo metaphorico et ambiguo, nempe *inhærens*, aut *esse inhæsive*, longe obscurior est, nec nisi per eam, quæ explicata est, bene intelligi potest, ut ante ostensum est. Tertia denique non convenit omni accidenti, nempe *proprio*. Neque soli, cum loco respectu locati, vesti respectu vestiti, et similibus conveniat; quæ non sunt accidentia inhærentia. Atque hunc in modum satis superque explicata et confirmata manet accidentis definitio, juxta quam modus substantialis, si datur, debet esse accidens.

17. Notandum porro, quod quemadmodum substantia dupliciter sumitur; primo *stricte* pro ente per se, et quod non est in alio ut in subjecto; secundo *latius* pro qualibet essentia et quidditate, (quo pacto substantia et quod quid, in qualibet categoria reperitur. 1. Topic. c. 7. et 7. Metaphys. t. 14.); ita *accidens* dupliciter sumitur. Primo ut opponitur substantiæ primo modo sumptæ, estque ens ei inhærens, et ab ea re distinctum, et appellatur *accidens physicum et inhærens*. Secundo ut opponitur *essentiæ*, quo modo latius patet, diciturque *accidens logicum*, aut (ne quis logicum, quintum prædicabile solum interpretetur). *accidens prædicamentale, seu metaphysicum*. Licet explicata descriptio accidenti physico proprie, et principaliter conveniat, tamen extendi etiam potest et accommodari accidenti logico, seu prædicamentali. Ita enim substantiæ et essentiæ rei inest, et de ea prædicatur, ut non sit ejus pars, id est, nec genus, nec differentia, nec separabile ab eo, ita ut existat separatim.

Prædicamentali accomodari potest.

Quomodo subsistentia sit accidens logicum.

Hoc sensu, subsistentia propria in rebus creatis, licet, quatenus est substantia prima, nullo modo sit accidens, sed tantum substantia, tamen, ut supra cap. 17. num. 6. diximus, propter totalitatem et perseitatem, et incommunicabilitatem, quam includit in suo conceptu adæquato, quæque est extra conceptum essentialem cujuslibet naturæ, non tantum specificæ, sed etiam individuæ, ac singularis, imo ab ipsa prima substantia tolli, ac separari potest per adventum alterius dignioris substantiæ, dici po-

test accidens prædicamentale, seu metaphysicum. Quemadmodum potentia ad formas accidentales in substantia, figura in quantitate, relatio in fundamento, et similia ratione tantum distincta ab iis, de quibus essentialiter non prædicantur, dicuntur eorum accidentia.

18. Unum video, quod possit objici contra explicatam hactenus descriptionem accidentis : Quod si vera est, falsam esse Sancti Thomæ opinionem de distinctione reali essentiæ ab existentia. Nam existentia substantiæ, v. g. est in aliquo, nempe in ipsa substantia prima, nec est ejus pars, nec ab ea separari potest, ita ut existat separata, etiam divina virtute. Igitur erit verum accidens. Objectio.

19. Triplex occurrit responsio. Prima satis validum esse argumentum contra distinctionem realem existentiæ ab essentia. Qua in re, si licuit D. Thomæ ab Aristotele et Alensi præceptore suo discedere, nobis etiam concedi potest ab eodem S. Doctore, bona ejus venia, cum plurimis aliis theologis, ac philosophis dissentire, præsertim cum hanc ejus sententiam, præter ejus auctoritatem, nihil probabilem faciat, quæ multis iisque firmissimis expugnatur argumentis. In scientiis autem et deligendis opinionibus plus, vel ipso judice S. Thoma, rationum momentis, quam cujusvis auctoritati tribuendum est. Responsio prima.

20. Respondeo 2. Quod descriptio accidentis nihil officiat sententiæ Thomistarum, si concedere velint, ut possunt, et interdum insinuat S. Thomas, imo diserte affirmat q. 5. de Potentia art. 4. ad 3. existentiam habere rationem accidentis respectu essentiæ; accidentis, inquam, non categorici, sed transcendentis omnes categorias. Ut enim essentia et quidditas vagatur per omnes categorias, in qualibet reperitur, ut paulo ante dictum est, sic existentia, comes essentiæ, ad quamlibet saltem reductive, et ut accidens quoddam extra essentiam existens pertinet. Ac de existentia accidentium nulla est dubitatio, quin non tantum respectu substantiæ, sed etiam respectu essentiæ ipsorum accidentium habeat rationem accidentis. Datur enim accidens accidentis, ut lumen perspicui, visio potentiæ visivæ, et in SS. Eucharistiæ sacramento, qualitates sensibiles respectu quantitatis. Quidni igitur pari modo existentia substantiæ, si ab ea re differt, dicatur ejus accidens? Nam ab iis qui eam non distingunt realiter, dicitur et est accidens logicum, seu prædicamentale essentiæ creatæ; quia est extra ejus conceptum definitivum; quia ei adest, et ab ea abest sine Responsio secunda. Existentia rei quomodo ejus accidens.

ejus corruptione, id est, sine corruptione conceptus essentiæ. Mori enim aut vivere, esse aut non esse, contingenter Platoni v. g. insunt. Præterea si unum, verum, bonum, necessarium, contingens, idem, et diversum dicuntur accidentia entis cui insunt, cur non, et esse, aut non esse actu? Igitur existentia re distincta ab essentia potest dici accidens ei inhærens.

Responsio tertia.

21. Respondeo 3. Quod cum divisio entis in substantiam et accidens, sit entis *nominaliter,* seu secundum essentiam sumpti, ideoque, ut supra dictum est, ens seu esse positivum in definitionibus substantiæ et accidentis, accipiendum sit nominaliter, non participialiter, existentia autem sit ens non *nominaliter,* sed solum *participialiter;* propterea dicta descriptio accidentis, ei minime convenit, quia non est ens, seu essentia apta natura inesse alicui. Substantia vero a natura re distincta, et qui dicuntur modi substantiales, ut unio, dependentia modalis, et similes, vere sunt entia nominaliter sumpta, cum habeant propriam naturam, et propriam existentiam a parte rei diversam, a natura ejus cui insunt; nec minus vere ac proprie sunt entia, quam quodvis accidens, sive separabile, sive inseparabile, ut intellectio, volitio, etc. licet non constituant diversam categoriam.

22. Hactenus de definitione accidentis. Cujus expositio, quod ad præsens negotium necessaria sit, alieno loco posita nemini videri debet. Neque etiam nimis prolixa, quod, ut admonet Plato in Cratylo, artium et scientiarum principia diligenter, copiose, et accurata disquisitione doceri debeant, nec verbis parcendum sit in eis perfecte exponendis. *Principium enim plus quam dimidium totius videtur,* inquit Aristoteles lib. 1. Eth. cap. 7.

Plato.

Aristoteles.

CAPUT XLIII.

Aliis argumentis et contradictionibus oppugnatur modi a rebus modificatis a parte rei distinctio.

2. Argumentum.

1. Secunda contradictio, quæ ex doctrina de modis re distinctis sequitur, est, quod tales modi erunt entia, æque realia et solida, ac quantitas, qualitas, aut quodvis aliud accidens inhærens, et

simul non erunt. Non erunt : ita enim volunt et dicunt modistæ, ut patet, ex Suare tom. 1. suæ Metaphys. disput. 7. § 1. num. 17. 18 et seq. ubi eos res et entitates appellare reformidat, et ex Petro Hurtado in sua Metaphys. disp. 2. § 5. Erunt autem entia æque realia et solida ac cætera accidentia.

Modos fore entia solida et realia probatur.

2. Primo quia dicuntur esse a parte rei extra nihil, et extra suas causas, per veram et realem actionem, seu eductionem producti. Hoc enim maxime utuntur argumento modistæ, ut illos astruant, quod omnis veræ, realis et physicæ actionis verus et formalis aliquis debeat esse terminus; incarnationis autem, aut productionis substantiæ naturalis, quæ sunt veræ actiones, non sit alius terminus formalis, quam modus quidam unionis. Ac modum unionis hypostaticæ, ita probat Suarez 3. parte disp. 8. § 3. dub. 1., modum unionis materiæ cum forma tom. 2. suæ Metaphys. disp. 16. §, modum subsistentiæ tom. 1. disp. 13.

Secundo habent omnes entis realis et solidi proprietates, nempe, esse unum, verum, bonum, idem, diversum, necessarium, contingens, esse prius, posterius, causam, effectum et similes.

Tertio quia effectus formales nobilissimos, et maxime reales suis modis attribuunt, v. g. Christum constituere modo unionis hypostaticæ; substantias naturales modo unionis naturalis; suppositum et personam modo subsistentiæ, qui si non est ens et perfectio quædam vere realis, positiva et solida, quomodo potest dici ultimum naturæ complementum?

Quarto iisdem suis modis attribuunt partes reales, tum *essentiales* materiæ et formæ correspondentes, ut modo subsistentiæ; tum *integrantes*, quibus ab invicem separari, et separatim ab invicem, etiam naturaliter existere possunt. Cum enim aer, ignis, aqua, lapis, dividuntur in multa, simul etiam dividuntur et multiplicantur eorum modi unionis, subsistentiæ, dependentiæ et similes.

Quinto materiam primam habere entitatem realem his signis et argumentis probat Suarez tom. 1. suæ Metaph. disp. 13. § 4. 1. Quod non sit omnino nihil. 2. Quod verum et reale aliquod munus exerceat in natura. 3. Quod sit ens creatum. 4. Quod componat substantiam. 5. Quod addat aliquid formæ. 6. Quod sit ens non in subjecto, atque adeo non accidens : quæ omnia, etiam ex modistarum sententia, locum habent in modis. Ergo erunt vera entia realia.

Responsio

3. Neque dicant modistæ, modos non esse entia realia et solida,

quod soli existere nequeant, etiam divina virtute. Nam, ut hoc illis detur, de quo mox agemus, ex eo non sequitur modos non esse
Refellitur. vera et solida entia. Tum quia, non est de ratione entis simpliciter, ut solum possit existere divina virtute; cum materia prima, in doctrina Thomistarum, sola et sine forma, ne divina quidem virtute existere queat, quam tamen propterea verum ens reale esse, veramque substantiam, nemo negarit. Deinde actus vitales intellectus et voluntatis, sensus, et appetitus, ex multorum sententia, ne divina quidem virtute soli et sine anima existere queunt, quos tamen nemo modos appellarit nisi Hurtado. Sunt enim vera accidentia et qualitates physicæ.

3. Argumentum. **4.** Tertia contradictio est, quod divina virtute a rebus quarum sunt modi separari poterunt, et simul non poterunt. Non poterunt. Sic enim placet modistis, qui tam tenuis et infirmæ entitatis suos modos esse dicunt, ut absque rebus modificatis, ne divina quidem virtute, licet infinita, ullus eorum queat existere. Poterunt autem separari, et seorsim a rebus modificatis existere.

Modos posse separatim existere. **5.** Etenim huic modorum debilitati divina omnipotentia facile mederi possit. Ei enim, ex communi theologorum et philosophorum axiomate, nihil denegandum est, nisi quod involvit contradictionem. At teneras illas et delicatas modorum entitatulas virtute divina ita durari et firmari, ut per se stent, et solæ, nihil repugnat. Pro-
Responsio. feratur enim repugnantia? Dicere enim eam esse modorum natu-
Refellitur. ram, responsio est sine probabilitate. Primo quia essentialis et naturalis ista modorum debilitas, nec auctoritate, nec sensu, aut experientia, nec ulla sufficienti ratione probari potest; ut constabit ex earum solutione tum capite sequenti; tum postea, cum agemus in particulari de modo subsistentiæ. Secundo cum quæstio *an sit* quæstionem *quid sit,* qua rei natura quæritur, præcedat; aliunde et ex principiis notioribus rei possibilitas, et existentia prius innotescere debet, quam ejus natura. Igitur aliunde prius constare debet dari tales modos, quam eos esse tam infirmæ naturæ. Tertio nimis communis est hæc responsio, cum a quolibet, cuilibet rei quam pro arbitrio sustinere velit, accommodari possit. Quarto quî in continuo indivisibilia tam continuantia quam terminantia a partibus distincta ponunt, non dubitant concedere ea divina virtute separatim a partibus existere posse? Quinto si modus unionis animæ v. g. Bucephali, cum suo corpore est modus, quia sine eo existere nequit; cur non et Bucephalus ipse modus sit, qui solus, et sine

tali vinculo esse non potest? Sexto sicut eo quod anima et quælibet forma naturalis sit essentialiter actus corporis naturalis, nemo recte inferet eam non posse existere, nisi actu informet et constituat corpus naturale. Actus enim dicitur, quia est potens actuare et informare : ita, licet modus unionis v. g. ex natura sua sit unio et vinculum, ad salvandam ejus naturam satis erit dicere, ipsum esse natura sua unitivum materiæ cum forma, licet solus existens actu non uniat.

6. Quarta contradictio est, quod modi illi a rebus modificatis, et ab omnibus aliis simul erunt distincti realitate majori, et non erunt. Non erunt, quia ita placet modistis. Erunt autem distincti realitate majori tum ab aliis, et modis, et rebus quarum modi non sunt, cum ab eis actu separatim existant; tum ab iis quarum sunt modi. Impossibile enim est aliquid a parte rei ab aliis distinctum, majori realitate ab uno distingui, et non ab alio. Cum enim unumquodque a quolibet alio distinguatur per id quod est, et quod habet entis, hoc est, ipsa sua entitate et portione entis; si quid ab aliquo differt realitate majori, necesse est, et ipsum esse ens reale et ab omni alio, quod non includit, sua illa eadem realitate distingui, sive sit ab eo separatum actu, sive non. At qui dicuntur modi, majori realitate differunt ab iis, quorum non sunt modi, v. g. modus unionis animæ rationalis cum corpore a cœlo, terra, mari et aliis; ab eis enim re separatur. Ergo et realiter differet, et ab anima rationali et corpore humano, cum non nisi sua realitate ab illis differat. Igitur modus ab iis quorum est modus æque differet realiter quam ab aliis, quorum non est modus. Deinde sicut calor ab igne in quo est, æque differt realiter atque a lapide, aut ab aqua, in qua non est, et universim sicut accidens, non solum respectu ejus substantiæ cui inhæret, accidens est, sed respectu cujuscumque etiam cui non inhæret; ita et modus semper est modus, est ens modale, et modaliter distinctum a quolibet alio, sive sit in eo, sive non sit. Atque hæ tres contradictiones modos accidentales re distinctos æque oppugnant, ac substantiales. 4. Argumentum.

7. Sunt et plurima alia argumenta contra istam doctrinam de modis. Primum enim a modistis suum modum definientibus, *determinationem actualem rei indifferentis* quæri potest, quid intelligant nomine *determinationis?* Nam Aristoteles, et philosophi omnes ens diviserunt quidem in actum et potentiam, in substantiam et accidens, in decem categorias, nunquam autem in determinativum et Aliud argumentum.

determinabile, et in determinationem et determinatum. Deinde omnis actus, omnisque forma informans est determinatio actualis potentiæ in qua recipitur. Ergo omnis forma, etiam rationalis, erit modus.

Responsio. **8.** RESPONDERE solent modum esse *natura sua determinationem*
Refellitur. *actualem*, non autem formas substantiales. Sed contra. Si est de essentia modi ut sit actualis determinatio rei modificatæ; ergo erit de ratione subsistantiæ modalis actu ultimo complere naturam, et actu constituere suppositum, proindeque ab humanitate Christi abesse non poterit. Et de essentia unionis modalis erit actu conjungere naturam cum forma; idemque dicendum de modo inhærentiæ accidentis in subjecto. Quod si ita est, modi omnes erunt æterni, et res omnes naturales erunt incorruptibiles, et earum essentia æque necessaria ac Deus ipse. Nam propterea Deus est æternus et incorruptibilis, quia ejus actualitas, seu esse actu, est ejus essentia. Igitur si est de essentia modi unionis modificare et unire actu ea quorum est unio, impossibile erit talem unionem, et res quas unit, non esse in rerum natura.

Responsio. **9.** DICENT forte, de ratione quidem modi, vel absolute, vel in statu possibilitatis non esse, ut actu modificet; esse tamen de ratione
Refellitur. et essentia modi actualis, seu actu existentis. Sed contra. PRIMO. Ut omittam id et nove, et gratis, ac sine ratione dici, hoc eodem sensu dicendum erit, de essentia hominis esse, ut sit actu animal rationale, et de essentia leonis, ut sit actu animal rugibile, et sic de aliis. Impossibile enim est hominem existere, quin sit actu animal rationale; et ita de omnibus aliis rebus. SECUNDO. Ut hominis existentis et non existentis, et universim rei, tam in actu quam in potentia, una eademque est definitio; scientiæ enim ac definitiones omnes sunt de universalibus rebus, et ut præscindunt a statu possibili et actuali : ita modi possibilis, et ejusdem actu existentis eadem est definitio, eademque natura. Igitur si modificare actu non est de essentia modi in universum, vel in statu potentiali, nec erit de essentia ejusdem in statu actuali. TERTIO. Si in essentia et conceptu quidditativo modi actu existentis, includatur aliquid non inclusum in conceptu modi absolute sumpti, modus actu existens essentialiter differet a seipso in statu præcisionis, vel potentiali. QUARTO. Quod rei inest solum ratione alicujus ei accidentaliter tantum convenientis, id rei essentiale esse non potest, ut patet inductione. Nemo enim substantiæ

essentialem esse dixerit, vel æqualitatem, quæ tantum ratione quantitatis, vel disgregationem visus quæ ratione albedinis illi convenit, et sic de cæteris. At modificare actu convenit modis tantum ratione existentiæ, cum id non sit illis essentiale secundum se. QUINTO. Ut detur, et modos esse, et esse inseparabiles a rebus modificatis, non propterea sequitur talem inseparabilitatem esse illis essentialem. Aliud enim est aliquid simpliciter inesse alicui, aliud inesse essentialiter, et de eo prædicari in quid. Nemo enim dixerit inseparabilitatem nigredinis esse de essentia corvi, vel ipsius nigredinis, cum sit solum quoddam utriusque accidens. Et quemadmodum separabilitas non est de essentia eorum quæ separari possunt, non enim ponitur in eorum definitione : ita nec inseparabilitas est de essentia eorum, quæ separari non possunt.

Modum non esse determinationem rei indifferentis.

10. EX HIS constat modum non recte dici determinationem natura sua actualem. At cur addunt *rei indifferentis, vel indifferentiæ rei?* Si enim materia cœli alterius formæ capacitatem non habet, neque est indifferens ad plures formas. Ergo modus quo suæ illi formæ unitur modus non erit. Præterea hoc habet omnis forma informans, ut sua præsentia et informatione tollat indifferentiam sui subjecti, ipsumque determinet. Igitur omnis forma modus erit.

Modorum nulla nece sitas.

11. NON omittendum etiam contra modorum doctrinam commune illud axioma, non esse multiplicanda entia, vel entium modos, sine necessitate et ratione sufficienti. Nulla autem necessitas modorum; imo ex eorum positione varia sequuntur incommoda suis locis declaranda. Adde quod, qui multiplicat entitates sine causa, multiplicat et difficultates in scientiis. De novis enim et adventitiis entitatibus eædem formantur et disputantur quæstiones, quæ de antiquis, et ab omnibus receptis. Hinc tot novæ et antiquæ philosophiæ, et theologiæ incognitæ quæstiones de subsistentiæ, unionis, ubi, aliorumque ejusmodi modorum productione, definitione, subjecto, divisibilitate, effectu formali, et aliis ejusmodi modorum attributis, in quibus tractandis et dissolvendis quantum laborent modorum assertores, quamque in iis parum inter se consentiant, lector videre poterit apud ipsos, cum de quoque modo in particulari disputant.

Infinita modorum multitudo.

12. DENIQUE doctrinam de modis parum probabilem facit infinita eorum multitudo ab eo defendenda, qui vel unum admiserit.

Nam ut anima rationalis, verbi gratia, suos habet proprios modos *subsistentiæ partialis, unionis, dependentiæ et actionis, præsentiæ, ubicationis,* et similes; ita etiam corpus, cui juncta est totidem habebit. Totidem etiam ipse modus unionis, quo junguntur a prioribus distinctos. Habet enim modalem suam subsistentiam, præsentiam, dependentiam, et suum ubi modale; imo cum, ut volunt, habeat partes integrantes aliis modulis junctas, quilibet modulus totidem alios habebit proprios et distinctos modululos. Et quod de modo unionis dictum est, intelligendum etiam est de modis subsistentiæ, dependentiæ, præsentiæ, et ubi, quos partibus integrantibus aliis modulis copulatis constare volunt. Et sic in qualibet re, infiniti pene erunt, et modi, et moduli, et modululi, natura, dignitate, numero, officio, et situ diversi. Adeo ut vere a Gabriele Vasquez, licet modista, contra Suarem modalis subsistentiæ partes aliis modulis connectentem disputante, scriptum sit 3. Parte disp. 32. c. 4. n. 31. *Quod tot multiplicare modos, et omnia modis, et modorum modis peragere, in philosophia res valde ludicra videtur.*

Gabriel Vasquez.

Præter generalia hæc contra modos in universum argumenta, plurima sunt alia, contra quemlibet modum in particulari, ut ea quæ contra unionis et subsistentiæ modos postea referemus.

CAPUT XLIV.

Referuntur et solvuntur argumenta Franc. Suaris pro modis et pro distinctione modali.

1. Etsi de distinctione modali atque adeo de modis, quales eos volunt modistæ recentiores, tam Aristotelem quam S. Thomam, aliosque antiquos auctores nusquam expresse et distincte egisse, Suarez loco a nobis citato cap. 40. nempe suæ Met. disp. 7. sect. 1. num 14. fateatur, dicatque cum Petro Fonseca in caput 6. lib. 7. Met. quæst. 7. sect. 3., veteres nullum aliud distinctionis genus agnovisse, quam realis et rationis, tertium nihilominus quoddam, quasi medium defendit, aitque num. 16. *Dari distinctionem quamdam actualem ex natura rei ante operationem intellectus, quæ*

non sit tanta, quanta est inter duas res, seu entitates omnino distinctas, quæ generali vocabulo vocari posset realis, quia vere est a parte rei : Quæ tamen, ut distinguatur ab alia distinctione reali majore, vocari possit distinctio ex natura rei, vel propriùs distinctio modalis, quia semper versatur inter rem et modum ejus.

2. At cum idem et diversum quædam sint proprietates entis, priusque sit aliquid esse, quam esse idem cum alio, vel diversum ab eo, dari modum, prius omnino constare debet, quam dari distinctionem modalem; ait se hoc supponere. *Suppono*, inquit num. 17. *in rebus creatis præter entitates earum quasi substantiales vel radicales, inveniri quosdam modos reales, qui et sint aliquid positivum et afficiant ipsas entitates per seipsos, dando illis aliquid quod est extra essentiam totam et individuam, et existentem in rerum natura.*

3. Verum suam hanc suppositionem prout intelligit, cum non ab omnibus admissum iri satis intelligeret, eam statim fulcire et probare nititur. Primo *inductione*, in inhærentia quantitatis et qualitatis, in unione formæ substantialis cum materia, et in subsistentia respectu naturæ, in præsentia, et motu locali, et in actione respectu termini. Quæ omnia ait esse reales modos a rebus, quas afficiunt, a parte rei distinctos. Argumentum Suaris ab inductione.

4. Sed hæc ejus inductio universa et secundum omnes suas partes falsa est. Nullum enim eorum omnium quæ commemorat, ab eo cujus modus dicitur, a parte rei distinctum est; ut constat tam ex supradictis, quam ex dicendis postea. Nullum eam habet entis modalis naturam, quam describunt modistæ. Quod autem ait ibidem, inhærentiam quantitatis v. g. non indigere alia inhærentia et unione, ut afficiat id cujus est modus, verissimum quidem est; sed ex eo nullo modo sequitur inhærentiam esse modum intrinsecum a parte rei à quantitate et a subjecto quod informat distinctum. Inductio est falsa in omnibus partibus.

5. Neque id evincunt tria argumenta quæ subjicit. Primum. Quod, si inhærentia quantitatis esset nova entitas propria, non posset quantitas uniri subjecto. Secundum. Quod inhærentia quantitatis per nullam potentiam esse potest nisi actu conjuncta ut formæ cujus est inhærentia. Tertium. Quod hæc inhærentia numero non potest afficere et unire nisi hanc numero formam. Hæc, inquam, tria argumenta non evincunt quod vult Suares, sed probant contrarium, ut intelligitur ex jam dictis, et plenius adhuc cognoscetur ex responsionibus ad singula. Tria alia Suaris argumenta.

Solvitur 1. Argumentum.

6. Itaque ad 1. Respondeo, ipsum nullum esse. Quæ enim est hæc consequentia? *Inhærentia* non est nova entitas propria. Ergo est modus a quantitate, et a subjecto a parte rei diversus?

Deinde quid intelligit per *novam entitatem propriam?* An rem et formam aliquam, et quantitati et subjecto superadditam neutrum includentem? an ipsam tantum formam quantitatis, quæ, cum subjectum actuat, ei nova advenit ac superadditur, sicut et ipsum subjectum illi subvenit, et supponitur? Si primum, ille ipse est qui formam modalem, atque adeo vere realem entitatem, ab utroque a parte rei diversam, utrique superaddit. Ergo juxta suam consequentiam, unionem quantitatis cum subjecto reddit impossibilem. Adde quod talis forma inhærentiæ modalis non solum est superflua, sed etiam impossibilis, ut pluribus probatum est cap. præcedenti. Si secundum, falsa omnino est consequentia, quam facit. Ipsa enim quantitas quædam est realitas subjectum per se et immediate afficiens (id enim commune est omni formæ tam substantiali quam accidentali, omnique actui respectu suæ potentiæ); igitur etiamsi inhærentia sit nova omnino entitas propria, poterit uniri subjecto.

Mitto quod hoc argumento, si bonum esset, probaretur clavum ferreum, aut æneum, ligno infigi et hærere, vel omnino non posse, vel non nisi per intermedium modum aliquem; cum ejusmodi clavus sit nova quædam entitas realis entitati ligni superaddita.

Solvitur 2. Argumentum.

7. Secundum autem argumentum eodem modo procedit, probatque, si valet, quod vel ipsa infixio clavi, vel clavus, est modus quidam ab eo distinctus. Per nullam enim potentiam infixio potest esse, nisi conjuncta clavo, non secus ac inhærentia quantitati. Ergo juxta consequentiam Suaris, vel ipsa, vel lignum cui infigitur, est modus quidam. Deinde sicut infixio, non recte clavo infixa et conjuncta dicitur; sic non nisi improprie, et abusive, inhærentia quantitati, aut etiam subjecto actu conjuncta et inhærens dicitur. *Nullum enim genus,* inquit Phil. lib. 2. Top. cap. 2. loco 1. *denominative dicitur de specie; nec dicimus albedinem colorari et ambulationem moveri;* unio autem et conjunctio est genus ad inhærentiam. Ergo hæc non recte dicitur unita et conjuncta (quæ sunt denominativa ab unione. Et quemadmodum nec separatio separata, nec distinctio distincta, nec unio unita, nec divisio divisa proprie dicitur : ita nullus modus, ut dictum est, proprie recipit

Aristoteles.

denominationem, quam tribuit rei modificatæ, et universim concretum de abstracto, vel abstractum de concreto non recte enuntiantur. Ergo inhærentia non recte dicitur unita, conjuncta, vel inhærens alicui.

8. Tertii denique argumenti consequentia duabus præcedentibus nihilo melior est. Tum quia juxta eam, idem quod ante dictum est sequitur, quod infixio clavi erit quidam realis illius modus ab eo re distinctus; cum impossibile sit hanc numero clavi infixionem clavum alium afficere et infigere. Tum quia contrarium potius ex illo antecedente infertur. Si enim inhærentia quantitatis ab ea nec separari potest, nec potest afficere aliam quantitatem, signum est a parte rei ab ea non differre, ut postea ostendemus. Solvitur 3. Argumentum.

9. Quod autem eodem num. 18. affert de separabilitate actionis a termino, ut probet eam a parte rei ab illo distingui, solvetur a nobis postea.

10. Quartum ejus argumentum, quod habet num. 19. quodque ait esse a priori, nihilo melius est superioribus, ejusque consequentia nulla est. *Cum creaturæ,* inquit, *sint imperfectæ, dependentes, vel compositæ, vel limitatæ, vel mutabiles secundum varios status præsentiæ, unionis, aut terminationis, indigent his modis, quibus hæc omnia in ipsis compleantur. Quia nec per entitates omnino distinctas, hoc semper fieri necesse est, imo nec commode intelligi potest, nec etiam fieri potest per id quod sit omnino nihil; et ideo saltem requiritur modus realis.* Hæc Suarez. 4. Argumentum Suaris.

11. Nam concedimus quidem creaturas esse imperfectas, mutabiles, dependentes etc. Negamus autem eas tales esse per modos, quales ipse ponit.

Etad id quod ait non esse tales per nihil, nec per entitates omnino distinctas, respondetur, quod cum (*per*) importet causam aliquam, vel intrinsecam, vel extrinsecam; si *extrinsecam,* creaturæ omnino tales sunt per entitatem ab eis re omnino distinctam, videlicet per Deum, aliasque suas causas secundas efficientes, tam universales quam particulares. Si *intrinsecam,* utendum distinctione. Hæc enim cum sit, vel materialis, vel formalis, quædam creaturæ sunt formaliter mutabiles, mutatione scilicet corruptiva, per nihil. Corruptio enim, ratione termini ad quem, formaliter est nihil, et privatio quædam, licet ratione materiæ et subjecti sit aliquid. Mutatione autem productiva et positiva creaturæ sunt intrinsece et mutabiles, et finitæ, et dependentes per entitates re Responsio.

distinctas, nempe, per materiam et per formam, tam substantialem quam accidentalem, mutuam ad invicem immediate et per se exercentes causalitatem, quando totum in suo quæque genere constituunt. Ut enim ait Philosophus 1. Phys. tex. 68. *Sufficiens est alterum contrariorum absentia et præsentia facere mutationem.* Nullumque ibi requirit modum distinctum ad mutationem, sed solum materiam, formam et privationem. Si sint creaturæ simplices, ut angeli, sua ipsa entitate simplici et natura sunt et finitæ et dependentes a Deo et mutabiles; non solum quatenus a Deo creari et annihilari possunt, sed etiam quatenus diversos habitus, diversasque actiones et perfectiones accidentales recipere possunt, idque immediate et sine ullo modo inhærentiæ. Itaque allatum argumentum, neque est a priori nec a posteriori, sed a falso.

Respondetur auctoritatibus.

12. Denique cum modorum existentiam modalisque distinctionis opinionem conetur auctoritate defendere, quatuor solum pro ea nominat auctores, nempe Ægidium Romanum, Astudillonem, Durandum, et Fonsecam, quorum duo priores in manus meas non venere. Durandum autem aliud sensisse ostendimus supra cap. 40. Fonsecæ auctoritas tanta non est ut Aristotelis, S. Thomæ, aliorumque omnium philosophorum, et theologorum auctoritati præponderare debeat; præsertim cum loco supra citato quinti Met. quæst. 6. sect. 1. et quæs. 7. sect. 1. modorum a parte rei distinctorum exempla plurima afferat, quæ merito Suarez ipse rejicit. Exempli gratia, actionis et passionis, fundamenti et relationis, figuræ et quantitatis, essentiæ et existentiæ, necessitatis et contingentiæ, complementi et incomplementi, esse per se et esse in alio, et similium, quæ, licet modi sint reales, a rebus tamen, quarum sunt, et inter se realiter, et semota intellectus operatione, non distinguuntur.

Regula Suaris pro distinctione modali.

13. Solutis hunc in modum argumentis Suaris, dicendum etiam nobis aliquid est de regula ad dignoscendam modalem distinctionem, quam idem auctor tradit ibidem sext. 2. n. 2. his verbis. *Quandocumque duo conceptus objectivi ita se habent, ut a parte rei et in individuo separari possint, vel ita ut unum sine alio in rerum natura maneat, vel ita ut realiter disjungantur et realem unionem, quam habebant, amittant; signum est inter illa esse distinctionem majorem, quam rationis ratiocinatæ, atque adeo actualem ex natura rei seu quæ sit a parte rei.*

14. Hujus enim regulæ prima pars universim falsa est, ut constat

ex dictis, supra cap. 23. et plenius adhuc ostendetur postea. Secunda autem pars eum non valde juvat.

Primo. Quia, licet verum sit, quod quando conceptus objectivi realiter distinguuntur, amittuntque realem unionem quam habebant, distinctionem habeant majorem, quam rationis ratiocinatæ, talisque distinctio in quibusdam, ut inter materiam et formam, subjectum et accidens, inter partes continui et individua actu separata, et in quibusdam aliis similibus, sit perspicua; in plerisque tamen qualis sit ejusmodi separatio, propriane an impropria, per se et simpliciter an per aliud et secundum quid tantum, æque obscurum est ac id cujus signum esse dicitur. Signum autem notius et certius nobis esse debet re significata. Etenim hypostasim a natura, figuram a quantitate, motum et actionem a termino, et alia putat separari per se, ideoque plusquam ratione ratiocinata esse diversa; nos vero negamus prædicta separari abinvicem per se, et simpliciter, dicimusque separari solum per aliud, et improprie, ideoque non nisi ratione differre. Igitur distinctionis realis, seu modalis signum allatum fallax est, incertum, vel saltem non generale. Refellitur.

15. Secundo. Quia illud signum, non magis modalem arguit distinctionem quam realem, ut ipse contra S. Thomam argumentatur ibidem num. 9. improbans hoc signum distinctionis realis inter aliqua : *Unum esse producens, alterum productum ab illo.* Quo quidem signo nunquam usus est S. Thomas ad dignoscendam distinctionem modalem, cum de ea cogitarit nunquam, nec pro signo universali distinctionis realis, cum sciret innumera esse re distincta, nullam inter se habentia rationem producti, aut producentis; sed eo solum utitur et recte ad probandam distinctionem realem Personarum Divinarum, quæ, supposita fide, non nisi ex processione unius ab alia probari potest.

16. Tertio. Cum sectione præcedente num 9. distinctionem modalem, et mediam inter realem et rationis, a Durando, Okamo, Joanne Gandavensi, Hervæo, Sonsinnate, Cajetano, aliisque multis negatam, et num. 13. a Scoto nunquam traditam, sed solum a quibusdam ejus discipulis, quos non nominat, defensam esse diserte affirmet; mirum est quomodo sequenti sect. num. 2. prædictam suam regulam dicat esse assertionem communem doctorum, et pro ea etiam Durandum, Scotum, Okamum, Hervæum adducat.

17. Quam vere etiam, et apposite utatur Aristotelis auctoritate 7. Topicorum cap. 1. loco 1. constabit cap. 50 parique omnino

fide credibile est, eum citare Augustinum, et Magistrum sententiarum ad suam regulam confirmandam. Nam nihil illi unquam de modis, aut distinctione modali cogitarunt, ut ipse fatetur loco citato initio capitis. Quare prædicti auctores loquuntur solummodo de separatione simpliciter per se et adæquata, ex qua recte omnino colligitur, illud esse compositum, ex duobus re distinctis, quando unum manet, altero ab eo per se et simpliciter separato.

De qua separatione intelligendi sunt auctores.

Ad quam regulam hoc sensu firmandam, multorum aliorum auctoritas adjungi potest, omnium, scilicet, philosophorum qui, cum Aristotele 1. Physic. a textu 58. ad 68. ex ejusmodi separatione ac mutatione probant substantias naturales esse compositas ex pluribus re distinctis principiis. Qui nihilominus, cum Aristotele ibidem tex. 67. et 68. docent ex principiis mutationis rerum naturalium, unum, nempe privationem, ratione solum differre a materia, ideoque principia illa esse quodammodo numero tria, et quodammodo duo tantum; quia nimirum materia et forma per se et simpliciter ab invicem separantur, privatio autem a materia, non nisi improprie per accidens, et per aliud, nempe per præsentiam formæ in ea separetur. *Quocirca,* inquit tex. 67. *est quidem, ut duo dicenda sint principia, est autem, ut tria, etc.*

Aristoteles.

18. Denique idem auctor sibi manifeste contradicit. Nam num. 3. ibidem prædictam suam regulam ita confirmat. *Si ea,* inquit, *quæ concipiuntur, ut habentia duos conceptus objectivos, ita separantur in re, ut unum existens maneat et non aliud; necesse est ut saltem modaliter differant, alioquin idem omnino secundum rem desineret esse et maneret: et ideo valde errant, qui existimant relationem esse aliquid reale positivum, sine quo fundamentum potest manere in re ipsa et tamen non distingui actualiter a parte rei ab ipso fundamento. Est enim aperta contradictionis implicantia.* Idem tamen Disputat. 47. sect. 2. ubi defendit relationem tantum ratione distingui a fundamento, argumentum ipsum de separabilitate relationis a fundamento num. 15. solvens, hæc habet. *Quod per ablationem termini cesset illa denominatio, nullum argumentum est quod similitudo sit aliquis modus realis ex natura rei distinctus ab albedine, sed solum est argumentum, quod ipse terminus est in re distinctus a fundamento et aliquo modo concurrit, vel necessarius est ad complendam talem denominationem. Hoc enim sufficit, ut illo ablato cesset denominatio, etiamsi nihil rei auferatur a re denominata. Ergo ex inseparabilitate relationis, posito fundamento*

Suarez sibimet contradicit.

et termino, potius infertur omnimoda identitas in re, seu quod idem est, infertur relativam denominationem nihil rei addere supra omnes res absolutas.

19. Concludendum igitur est quod separatio, sive conceptus objectivi, sive denominationis, nisi sit separatio per se simpliciter et adæquate, non est signum distinctionis realis, aut modalis. Quando autem sit *per se* et quando *per aliud,* et inadæquate, aliunde cognoscendum est : præstatque distinctionis realis generale signum habere nullum, quam obscurum, quam fallax et deceptorium.

CAPUT XLV.

Unde orta sit nova et recens de modis modalique distinctione opinio, deque unione materiæ cum forma.

1. Ad veræ alicujus doctrinæ fidem stabiliendam et arcendam ab ea falsitatis opinionem magni refert ex Philosopho 7. Ethic. c. 14. causam adnotasse, quæ aliter sentientes seduxerit et eos impulerit in errorem contrarium veritati. *Non tantum opus est, ut verum dicamus,* inquit, *sed etiam oportet, ut falsi causam explicemus. Hoc enim ad fidem faciendam conducit. Nam cum rationi consentanea visa fuerit causa, cur verum esse appareat, quod verum non est, facit ut vero magis fidem adhibeamus.* Causa falsitatis cognoscenda.

Itaque non utile solum, sed necessarium videtur aperire hic causas, propter quas nonnulli in eam de modis opinionem descenderunt. Quæ mihi quatuor præcipuæ esse videntur. Inter quas eæ in primis adnumerandæ sunt, quas habet Aristoteles 4. Met. tex. 28 et ob quas ait, quosdam ex antiquis existimasse duo contradictoria simul vera esse. *Advenit,* inquit, *quibusdam opinio ista sicuti cæteræ, quæ præter communem opinionem sunt. Cum enim non possint contentiosas rationes solvere, cedunt rationi, assentiuntque verum esse quod syllogizatum est. Quidam itaque ob talem causam dicunt; quidam vero propterea quod omnium causam quærunt.* Aristoteles.

2. Prima igitur causa ob quam modos induxere est, quod putarint non posse aliter solvi quæstiones et objectiones quasdam, cujusmodi sunt eæ, quæ fiunt de separatione subsistentiæ a natura : de nova Prima causa.

denominatione, vel de actione et similes, quas sine illis modis evidenter et plenissime postea dissolvemus.

Secunda causa. **3.** SECUNDA causa est, quod ad quasdam regulas logicas, et ad rectum quærendi ac philosophandi modum, non satis attendentes, non omnium quidem, sed quorumdam, quam non debent, causam quærant : ex quo factum est, ut eorum falsas, et non causas commenti sint. v. g. cum quærunt per quid formaliter uniantur materia et forma, vel accidens inhæreat subjecto. Nam, ut ait Aristoteles. Philosophus l. 2. de anima text. 7. *Non oportet quærere, si unum est anima et corpus, sicut neque ceram et figuram : neque omnino uniuscujusque materiam, et id cujus materia. Unum enim et esse cum multipliciter dicatur, quod proprie est, actus est.* Quod ex professo docet l. 8. Met. text. 15. et 16. ubi postquam refutavit opinionem eorum, qui ponebant copulam aliquam mediam inter animam et corpus, inter accidens et subjectum, rationem erroris eorum aperit, his verbis : *Causa est quoniam potentiæ et actus rationem quærunt unientem et differentiam. Est autem, ut dictum est, ultima materia et forma idem. Et hoc quidem potentia, hoc vero actu. Quare simile est quærere quidnam unius causa sit, et, ut unum sit. Unum enim quiddam unumquodque, et quod potentia, et quod actu, unum quodammodo est. Quare nulla alia causa est, nisi si quid fuit, tanquam ex potentia in actum movens.* Legantur S. Thomas, Alensis, et alii interpretes ibidem.

Tertia causa. **4.** TERTIA causa est, quod putarint denominationes, si non omnes, saltem quasdam petendas solum esse a re, et forma quadam intrinseca; cum tamen pendeant etiam ab aliquo extrinseco, includantque habitudinem ad illud, eoque vel solo sublato, tales denominationes pereant. Ejusmodi sunt agere, pati, ubi, quando, situm esse, armatum, et coronatum esse, ut dicetur postea.

Quarta causa. **5.** QUARTA causa est, quod abstracta metaphysica, quæ idem quod concreta, licet modo diverso, significant, suntque solum formæ metaphysicæ, a suis concretis, et quasi subjectis ratione tantum diversæ, ut humanitas ab homine, accipiant pro abstractis physicis, quæ dicunt formam intrinsecam re distinctam a subjectis, quæ denominant : cujusmodi sunt albedo, et calor respectu nivis, et ignis. Inter abstracta autem metaphysica, quod plerique non putant, numeranda sunt unio, inhærentia, motus, seu mutatio, omnesque ejus species, actio, passio, ubi, situs, coronatio, calceatio, et similia. Quod de sola unione naturali, ut quorumdam

voluntati ac desiderio serviam, hic paulo fusius declarabo. Nam alioqui de hac unione constitutum mihi erat non agere, nisi cum disputarem de unione hypostatica.

6. Unionem igitur naturalem materiæ cum forma, non esse modum ac vinculum quoddam utramque devinciens, ut volunt nonnulli recentiores, sed esse abstractum quoddam metaphysicum, ex eo primum cognosci potest, quod se habeat ad unitum, sicut essentia ad ens, et humanitas ad hominem. Ut enim ab humanitate homo, sic unitum ab unione dicitur. Humanitas autem se habet ad hominem, ut abstractum metaphysicum ad suum concretum. Ex quo fit, ut quemadmodum unitum dupliciter dicitur, vel *absolute,* ut opponitur simplici, idemque est ac ipsum compositum, vel *relative,* ut opponitur diviso; unitum enim est non divisum ab alio, seu est unito unitum : ita unio hic alia est *absoluta,* eademque substantialis, quæ aliud nihil est quam essentia et substantia compositi naturalis, v. g. leonis, lapidis. Altera est *relativa,* eaque accidentalis, logice scilicet, a qua materia unita formæ, vel forma materiæ dicitur. Illa opponitur simplicitati, hæc divisioni unius ab alio.

1. Argumentum contra unionem modalem.

Unio duplex.

Absoluta.

Relativa.

7. Quæ duo unionum genera, inquit Cajetanus 3. part. q. 2. art 2. agens de unione hypostatica, plus a se invicem distant, quam cœlum a terra, distantia, scilicet, non locali, sed formali, essentiali, et categorica. Cœlum enim et terra, in eadem sunt categoria substantiæ; harum vero unionum prior est in categoria substantiæ, posterior in categoria relationis; cum totum ejus esse sit ad aliud, sitque accidentalis tam materiæ quam formæ, et de neutrius essentia sit actu esse unitam alteri. Quæ relatio mutua est, et ejusdem nominis ex parte utriusque extremi : ac ejus, quæ est ex parte materiæ, subjectum, est ipsa entitas materiæ; fundamentum ejusdem potentia receptiva formæ, terminus ipsa forma, seu counio, id est, oppositæ unionis correlatio : ratio fundendi, ipsa materiæ principiatio, seu causalitas, vel receptio formæ, aut agentis unitio, seu actio productiva compositi. Nihil igitur opus est in composito naturali ulla unione modali, et media a materia, et forma, a parte rei distincta, et neutram in se includente, cum sufficiant quæ dictæ sunt ambæ realissimæ. Prior quidem, quia est ipsissima essentia compositi naturalis ab agente producta; posterior, est dicta relatio mutua utriusque partis, ab eis ratione tantum distincta. Omnis enim relatio ratione tantum differt a suo fundamento.

Quomodo inter se differant.

8. Secundo. Qui auctores talem modum unionis induxerunt, non vident se veram, solidam, et ab Aristotele primum toto lib. 1. Physicorum traditam, a philosophis omnibus receptam, et defen-
2. Argumentum. sam, totque seculis inveteratam doctrinam, nempe, *rerum naturalium in fieri tria, in facto esse duo tantum esse principia,* sua illa novitate convellere. Illis enim necessario annumerandus erit ille modus unionis, si datur? Quid enim illi deest de definitione et vera ratione principii, sive mutationis, sive quietis, et constitutionis rerum naturalium? Ita enim definiuntur 1. Phys. text. 42. *quæ nec sunt ex aliis, nec ex sese invicem, sed ex iis omnia.* Hæc autem definitio, tota, et ad unguem quadrat modo unionis, ut patet : et, si datur, in rebus et mutationibus naturalibus per se et necessario reperiri debet. Quis autem credat Aristotelem, qui principia rerum naturalium, tam accurate et subtiliter investigavit, ut privationem, quæ est non ens, nec nisi ratione a materia differt, eis annumeraverit, modum unionis materiæ cum forma, aliosque omnes post eum philosophos ad hæc usque tempora latuisse, eosque philosophiam rerumque naturalium scientiam hactenus ignorasse.

Responsio. **9.** Dicere autem hunc modum unionis non esse principium rerum naturalium, quia est copula, et id quo, non autem id quod constituit compositum, merum est verborum effugium, quod sic
Refellitur. facile præcluditur. In iisdem rebus naturalibus, earumque generatione, et compositione, cum materia sit id ex quo, privatio id a quo, et forma id quo, cur potius hæc, ex quo, a quo, et quo formæ, sint principia componentia, quam quo modale, si est aliquid ab eis distinctum? Nam materia et forma respectu compositi,
Aristoteles. vere sunt *id quo,* ut docent omnes cum Philosopho lib. 2. de anima t. 24. ubi ait, *quod sicut duplex est quo scimus, nempe scientia, et anima, et quo sani sumus duplex, nempe sanitas et corpus; ita quo vivimus et sentimus est duplex, scil. corpus et anima.* Igitur id quo modale compositi naturalis, vere erit pars ac principium. Deinde Philosophus ibidem animam definit *id quo vivimus, et sentimus, et movemur, et intelligimus primo.* Unde etiam argumentum ducitur demonstrativum contra modum unionis. Cum enim unio, ut dicunt, seipsa immediate et formaliter uniatur partibus, hæ vero non nisi illa mediante uniantur ad invicem ad compositum naturale constituendum, hinc sequitur *unionem* animæ cum corpore, esse id quo primò; *animam* id quo secundò;

potentias et facultates, si ab anima re distinguntur, esse id quo tertiò, et ipsos *actus vitæ*, quo quartò vivimus, sentimus, movemur, et intelligimus.

10. Dicere item cum Hurtado de Mendoza disp. 1. sect. 3. § 23. et 24. *Unionem modalem non esse principium intrinsecum constituens substantiam naturalem, quia in ea est tanquam ratio formalis, per quam materia et forma principiant compositum : ex principio autem et ex ratione principiandi non constantur duo principia, sed unum, ut ex causa et actione non fiunt duæ causæ, sed una; quia principium per formalem rationem reducitur in actum, in ratione principii*, hoc, inquam, dicere, prædicti argumenti vim nullo modo etiam infringit. Falsum enim est unionem, qua materia dicitur unita formæ, esse ejus rationem principiandi; tum quia quædam tantum est ejus relatio, ut paulo ante dictum est; tum quia materia, v. g. sola sua entitate, quam tribuit composito, ipsum principiat cum ea sit id, ex quo, cum insit, sit compositum; tum quia, qui quærit per quid formaliter materia et forma principient, et pro ratione formali principiandi assignat unionem modalem, is male quærit, et seipsum decipit. Cum enim materia, non formaliter, sed materialiter principiet, quî potest de ea recte quæri per quid formaliter causet, vel uniatur? Forma item, cum seipsa causet formaliter, (neque enim causæ formalis datur causa formalis, præsertim physica, et re distincta) præpositio autem (*per*) causam petat a forma diversam, male de forma quæritur, per quid formaliter causet et uniatur materiæ? Tum quia, si unio modalis est ratio principiandi et unum principium cum eo, cujus est ratio principiandi? Cum materia et forma duo sint principia, si utrique est ratio principiandi, unum erunt principium, vel ratio principiandi non erit idem cum utroque, sed cum altero tantum principio. At quo cum? et cur potius idem cum uno quam cum altero?

Altera responsio.

Refellitur.

11. Neque effugiet Hurtadus dicendo, quod docet in sua Physica disp. 5. sect. 7. §. 120. duos esse modos unionis; unum ex parte materiæ, alterum ex parte formæ. Hoc enim gratis, et sine probatione dicitur. Nam cur non tres, aut quatuor, aut decem? Si enim partes integrantes cujusque modi, aliis, ut vult, connectuntur modulis; cur non etiam duo illi modi unionis materiæ et formæ? Deinde cur modus unionis materiæ non sit etiam modus unionis formæ? Eodem enim modo differt ab utraque, cum sine

Non esse duos modos unionis.

utraque, ex ejus omniumque modistarum doctrina, existere nequeat. Accedit quod compositi naturalis in facto esse quatuor erunt principia; in fieri vero septem, scilicet, materia, forma, duo modi, et trium horum privationes.

12. Denique esto. Unio sit ratio principiandi. Ex principio quidem et ratione principiandi non constari duo realiter principia, quando ratione tantum differunt, clarissimum est. At quando a parte rei differunt, ut volunt modistæ, quis neget duo tunc esse et duo principia? Sunt enim duo, quæ nec sunt ex sese invicem, nec ex aliis, et ex iis omnia. Nam, et actio, si re differt et a termino et ab agente, omnino est causa termini ab agente diversa : non secus ac calor ignis agentis, et alius calor ab eo in lignum introductus sunt duæ causæ diversæ ignis e ligno excitati.

3. Argumentum.

13. Tertio. Modus ille unionis prorsus inutilis est, et superfluus materiæ et formæ. Si enim eis alicui est usui, maxime ad eas inter se conjungendas, vel ad tollendam aliquam earum indifferentiam; (modum enim definiunt actualem determinationem rei indifferentis, seu determinationem alicujus indifferentiæ rei ad aliud) vel ad rerum naturalium mutationem, vel dependentiam a sua causa efficiente explicandam. At nihil horum modum distinctum requirit.

Non requiritur ad connexionem.

14. Non primum, eo quod materia et forma, accidens et subjectum, et universim omnis actus et potentia, quando simul sunt, naturaliter, per se et immediate ad invicem copulantur, ut probat Philosophus 8. Metaphys. text. 15 et 16. et D. Thom. ibid. et 1. 2. q. 49. art. 1. hæc habet : *Quædam sunt in quibus nihil est medium inter habens et id quod habetur, sicut inter subjectum et qualitatem, vel quantitatem nihil est medium : quædam inter quæ est sola relatio, ut habere amicum, vel socium, etc.;* et quæstione 110. art. 1. ad. 2. *Inter materiam et formam,* inquit, *non cadit aliquid medium, quia forma per seipsam informat materiam et subjectum.* Ratio est, quam habet S. Thomas 2. Contra Gentes cap. 71. quia, quilibet actus per se et sine ullo superaddito est actus potentiæ et potentia item per se est potentia ad actum, habentque naturalem et necessariam inclinationem ad mutuum complexum, mutuamque conjunctionem. Igitur si calor, v. g. quia est naturalis quædam potentia activa caloris, sine ullo sibi superaddito novo modo, novaque forma, calefactibili præsente, vim illam suam, et potentiam exerit, aliumque calorem producit, cur

Actus et potentia immediate uniuntur.

non etiam suam vim informativam subjecti, hoc præsente, per se non exerat ipsumque informet?

15. Neque refert quod divina virtute, et forma materiæ, et calor subjecto intime præsentes esse possint sine ulla unione et informatione. Id enim miraculosum est et supra naturam utriusque. Nam etiam divinâ virtute vis activa caloris, calefactibili præsente et tangente, cohiberi potest, ne in actionem calefactionis erumpat; ex quo tamen non recte inferet modista calorem egere modo aliquo ad agendum. Præterea, ut ostendemus postea, absurdum est causæ formalis physicæ assignare aliam causam formalem physicam; quod faciunt, qui formam materiæ modo unionis copulant. Accedit quòd ille modus unionis simul erit causa intrinseca rei, et non erit. Erit, quia quælibet a suo illo modo intrinseco necessario pendebit, cum sine eo esse non possit, ut volunt. Non erit autem, quia duæ sunt tantum causæ rerum naturalium, nempe materia et forma. Talis autem modus, nec est materia, alioqui in quolibet corpore naturali, duæ erunt materiæ; nec est etiam forma, quia duæ item erunt formæ.

16. Neque utiles sunt illi modi ad tollendam rerum indifferentiam. Indifferentia enim materiæ, v. g. ad quamlibet formam, aut ejus privationem, ipsa sola formæ præsentia, vel absentia, ejusque informatione immediata, et causalitate tam formali ex parte formæ, quam materiali ex parte materiæ, necessario tollitur. Et universim cujusque rei indifferentia per alterius oppositorum, ad quæ est indifferens, præsentiam et informationem tollitur, ut patet inductione. Igitur modus unionis non est necessarius ad tollendam materiæ et formæ indifferentiam. Non requiritur ad tollendam indifferentiam.

Neque ad 3. scilicet ad mutationem rerum naturalium efficiendam et explicandam. Tum quia, quis unquam dixit generationem, augmentationem, alterationem, et motum localem esse mutationes ad modos, formam, qualitatem, quantitatem, aut locum mobili conjungentes? Cum hoc ipso, quod illæ formæ subjecto adveniunt illudque informant, nulla alia re, aut modo intellecto, ipsum immutent, faciantque aliter se habere ac ante, ut ait Philosophus 1. Phys. text. 68. *Sufficiens est,* inquit, *alterum contrariorum absentia et præsentia facere mutationem.* Tum quia necessario quatuor, ut ante dictum est, imo et quinque erunt principia per se cujuslibet mutationis naturalis. Tribus enim ab omnibus admissis adjungendi erunt, et modus unionis, et ejus privatio. Tum quia geminæ Non ad mutationem.

semper fient in quolibet mobili mutationes; una ad formam, sive substantialem, sive accidentalem; altera ad modum unientem illas formas. Tot enim debent esse mutationes, quot actus reales diversi et formæ diversæ. *Variatio enim intrinseci modi mutatio est,* inquit Hurtadus de Mendoza loco supra citato.

17. Non denique ad quartum, nempe ad explicandam dependentiam effectus a sua causa. Hæc enim dependentia aliud nihil est quam actio, quæ a termino, qui sit, non nisi ratione distinguitur, ut pluribus declarabitur postea. Igitur non est opus ullo modo unionis.

4. Argumentum. **18.** Quarto. Modus ille unionis non solum inutilis, sed etiam impius; et materiam primam, matrem suam, vita et essentia spoliare videtur. Natura enim materiæ primæ est habere potentiam ad omnes formas, tam substantiales, quam accidentales. Nulla autem talis erit, si detur modus unionis, cum nulla sit in potentia ad modos alterius : alioqui modus ab eo cujus est modus separatim existere posset, quod nolunt modistæ.

Neque dixeris modos, non tam formas esse, quam formulas quasdam. Hoc enim animi gratia dicitur. Nam, si dantur, sunt veræ formæ, idque probatur iis omnibus rationibus, quibus supra cap. 43. num. 2. ostensum est modos debere esse vera entia realia.

5. Argumentum. **19.** Quinto. Hic modus unionis quatuor illis argumentis et contradictionibus expugnatur, quibus supra modi in universum expugnati sunt. Et præterea cum tota ratio et definitio, non solum accidentis in universum, sed etiam relationis categoricæ suo illi modo unionis conveniat. Totum enim ejus esse, est ad aliud se habere et unum extremum denominare unitum alteri; videant, qui illum defendunt, quo jure inter modos substantiales censendus sit.

6. Argumentum. **20.** Sexto. Idem probatur ex eo quod explicari non possit, ubi sit ille modus unionis, in quo subjecto. An in forma tantum, an in materia tantum, vel in utraque? Neque an sit simplex, an compositus? an divisibilis, an indivisibilis? Si enim indivisibilis, quomodo erit in substantiis corporeis? Si compositus ex partibus, quibusnam? an essentialibus, an integrantibus, an utrisque? quorum nullum dici potest. Eæ enim, vel seipsis uniuntur ad invicem, vel per alios modulos. Non primum. Cur enim potius per se, et seipsis uniantur, quam ipsæ reales et solidæ partes totius? Neque secundum. Alioquin in quolibet modo infiniti pene erunt

moduli. Igitur quocunque se vertant modistæ, unam fugientes absurditatem in multas alias devolvuntur.

21. Tandem ex dictis habetur. 1. Quomodo *unio* sit abstractum Metaphysicum. 2. Quotuplex sit. 3. Quid sit quælibet. 4. Quod neutra sit modus, qualem volunt aliqui. 5. Quod prior a materia et forma differat, ut totum a suis partibus, sive divisis, sive unitis; posterior, ut relatio a suo fundamento. 6. Idem plane judicandum esse de *inhærentia* accidentis. Est enim quædam unio, quæ et absolute ac ut totum quoddam accidentale, et partialiter relative sumi potest. Quam relationem, ut est ex parte accidentis, si quis, distinctionis et perspicuitatis causa, *inhærentiam*, ut est ex parte subjecti *subjectionem* nominare velit, non repugnabo; si nolit, ex utraque parte dicatur *inhærentia*. Summa capitis.

CAPUT XLVI.

Quæ fuerit sententia Divi Thomæ *de modis.*

1. De modis in universum quid senserit S. Thomas ex his, quæ hic referimus, cognosci poterit. Opusculo 48. tract. 8. cap. 1. hæc habet : *Modus essendi alicujus rei potest accipi dupliciter. Uno modo, ut est proprietas realis alicujus realiter differens ab eo, sicut dicimus de aliquo; iste habet bonum modum, quia est mansuetus et concors. Secundo modo dicitur modus, res concepta uno modo respectu suiipsius, ut est concepta alio modo. Qui quidem diversi modi considerandi, non sumuntur ex diversis in re existentibus, sed ex habitudine ad diversa, sub qua habitudine res intelligitur; v. g. substantia, secundum quod est subjectum accidentium, significatur per modum substantiæ, quia substantia dicitur a substando; secundum quod a nullo dependet priori, cui innitatur, significatur, ut ens per se. Et isti modi sunt idipsum quod substantia, differentes sola ratione animæ concipientis ipsam secundum diversas habitudines. Quæ ratio non est ficta, sed accipitur a re. Ita enim in re est. Nam et substantia substat accidentibus, et nulli innititur. Tamen istæ non sunt duæ res distinctæ, sed distinctio inter ista solum est ex ratione.* Itaque tales modi sunt ens reale, Quid sit modus. Nota.

scilicet substantia, quæ et substat accidentibus, et nulli innititur, distinctio autem est a ratione. Et quæstione 1. de Veritate art. 1. *Aliqua dicuntur addere supra ens, inquantum exprimunt ejus modum, qui nomine entis non exprimitur. Quod dupliciter contingit. Uno modo, ut modus expressus sit aliquis specialis modus entis, et juxta hunc modum accipiuntur diversa rerum genera. Substantia enim non addit supra ens aliquam differentiam, quæ significet naturam superadditam enti, sed nomine substantiæ exprimitur specialis modus essendi, scilicet per se ens, et ita in aliis. Alio modo, ita ut modus expressus sit modus consequens omne ens, etc.* Quos modos generales ait esse, unum, bonum, verum, aliquid. Et quæstione 21. de Veritate art. 1. *Tripliciter potest aliquid supra alterum addere. Uno modo, quod addat aliquam rem quæ sit extra essentiam illius rei cui dicitur addi; sicut album addit supra corpus. Alio modo dicitur aliquid addi supra alterum, per modum contrahendi et determinandi; sicut homo addit aliquid supra animal; non quidem ita quod sit in homine alia res penitus extra essentiam animalis, alias oporteret dicere, quod non totum quod est homo, esset animal, quia id quod determinate et actualiter continetur in ratione hominis, implicite et quasi potentialiter continetur in ratione animalis. Tertio modo dicitur aliquid addere supra alterum secundum rationem tantum; quando scilicet, unum est de ratione unius et non de ratione alterius, quod tamen nihil est in rerum natura, sed in ratione tantum. Ejusmodi sunt relationes rationis, non eæ solum quas intellectus fabricat circa res, prout sunt in eo, ut relationes universalis, generis, speciei, subjecti, attributi, et similes; sed etiam eæ, quas fingit ac format, cum id quod realiter non ordinatur ad aliud, concipit tamen in ordine ad aliud, eo quod sit terminus relationis, et ordinis realis alterius ad ipsum. Tales sunt relationes scibilis ad scientiam, sensibilis ad sensum, et in Deo relationes creatoris ad creaturam, Domini ad servum.* De quo genere relationum legendus S. Thom. qu. 7. de potentia art. 11.

Esse per se et esse in alio quid sint.

2. De modis autem in particulari, ut sunt modi essendi per se et essendi in alio, hæc habet loco citato opusculi 48. *Primi modi, quibus contrahitur ens, sunt* esse per se et esse in alio. *Ille est substantiæ, hic aliorum novem prædicamentorum.* Et paulo post. *Alio modo adhuc contrahitur ens per duos modos, quorum unus est, esse ad se. Et iste modus comprehendit tria prædicamenta*

absoluta, substantiam, quantitatem, et qualitatem. Secundus est, esse ad aliud, et iste modus comprehendit septem prædicamenta respectiva, scilicet, relationem, actionem, passionem, quando, ubi, situm esse, habere.

3. Itaque in doctrina S. Thomæ, *esse per se* et *esse in alio*, universim omnes essendi modi prædicamentorum respectu entis, sunt modi reales addentes enti aliquid reale, non tamen re ab eo diversum. Ipsa autem prædicamenta accidentium, et quæ sunt in illis comparata ad substantiam, primum ens, et de quo prædicantur denominative, reales quidam sunt ejus modi, addentes ei, et significantes aliquid ab ea re diversum, aut ex toto sive intrinsecum, ut quantitas et qualitas, sive extrinsecum, ut ubi, quando, habere, aut ex parte tantum, ut reliqua prædicamenta, relatio et agere, pati, ac etiam situm esse. Cum enim dicant aliquid intrinsecum substantiæ, idemque vel ab ea, vel a quantitate et qualitate, quæ in ea sunt, ratione tantum distinctum, et simul aliquid connotent extrinsecum re a substantia distinctum, ex ea parte saltem sunt modi re distincti a substantia.

4. Quod distinctius declarat S. Thomas opusculo citato tract. 1. cap. 1. de sex ultimis prædicamentis ultimis his verbis : *Quod prædicamenta sint ordines, seu ordinationes prædicabilium, supra dictum est, ideoque per prædicari, seu denominari cognoscuntur. Dupliciter autem potest aliquid prædicari de alio denominative. Uno modo quod prædicatio seu denominatio fiat ab aliquo, quod sit intrinsecum ei de quo fit talis prædicatio, quodque ipsum perficiat, sive per identitatem, sive per inhærentiam. Et hoc adhuc dupliciter. Uno modo absolute, et in se; et sic denominant tria prædicamenta absoluta; substantia, quantitas, et qualitas. Unde dicimus, quod Socrates est substantia per identitatem, est quantus, et qualis per inhærentiam. Alio modo, quod denominatio sit ab intrinseco, importando tamen aliquid extrinsecum ut terminum, ad quem se habet illud quod denominatur. Ita denominat relatio, cum dicimus Socrates est æqualis, vel similis Platoni. Secundo modo fit denominatio ab extrinseco nempe ab eo quod non est in denominato formali, sed est aliquod absolutum extrinsecum a quo fit talis denominatio, ut cum dicitur : Socrates est agens. Talis enim denominatio, est ab ipsa forma fluente, quæ in passo acquiritur, etc.*

S. Thomæ non distinguit a parte rei relationem a suo fundamento.

5. Porro cum sit controversia inter Thomistas, quæ fuerit sententia S. Thomæ de distinctione relationis a fundamento, affirman-

tibus nonnullis eum sensisse re ab eo distingui, aliis negantibus, his me adjungo. Non solum quia antiquiores Thomistæ ita sentiunt, ut Armandus Magister sacri palatii libro de Term. Theologiæ cap. 185 et quod communem suo tempore fuisse opinionem scribat Alensis. Alensis 5. Met. tex. 18. folio 135. quam declarat optime, et egregie probat folio 137. et 138.; sed etiam quod opinio contraria parum admodum probabilitatis habeat et manifeste adversetur Philosopho asserenti 5. Phys. tex. 10. et lib. 11. Met. summæ 4. cap. 3 (in quem locum videndus est Alensis) ad relationem non dari motum, aut mutationem per se, sed solum per accidens, quia *contingit*, inquit, *altero mutationem patiente, vere dici alterum nihil mutationis subire.* Idem docet S. Thomas, ibid. et citato opusc. 48. tract. 5. cap. 2. his verbis : *Cum dico, quod similitudo Socratis habet albedinem ejus, ut fundamentum, non est intelligendum quod similitudo Socratis sit aliqua res in Socrate alia ab ipsa albedine, sed solum est ipsa albedo, ut se habet ad albedinem Platonis ut ad terminum. Si enim similitudo adderet supra albedinem Socratis aliquam rem, nullo modo posset aliquis alicui fieri similis, sine sui mutatione. Fit autem homo similis alicui sine sui mutatione. Si quis enim in India fieret modo albus, fieret similis mihi, et ego illi, nulla in me facta mutatione.* Statimque Cap. sequenti, ubi sibi objecit, quod cum decem prædicam. sint decem rerum genera inter se differentia, si relatio nullam rem addit supra fundamentum, non erit alia res a fundamento, nec similitudo erit in alio genere quam albedo, quod est falsum, respondet his verbis. *Dicendum quod divisio entis in decem prædicamenta, est divisio in decem diversa secundum rem, vel quantum ad hoc quod dicunt diversas res intrinsece et realiter, ut substantia, quantitas, et qualitas, quæ comparata ad invicem sunt diversæ res, vel inquantum dicunt diversas res extrinsece, quia unum importat aliquam rem diversam, quam non importat reliquum : et sic relatio differt a suo fundamento, quia importat relativi oppositum. Sicut enim dicimus, quod totum differt a sua parte, non sicut res a re, sed sicut illud, quod importat plusquam pars : sic relatio differt a suo fundamento, quia dicit rem fundamenti, et oppositum terminum, quem non dicit fundamentum.* Et q. 7. de potentia art. 8. *Potest,* inquit, *relatio desinere ex sola mutatione alterius : sicut etiam de actione patet quod non est motus secundum actionem, nisi metaphorice et improprie sicut exiens de otio in actum mutari dicimus, quod non esset, si relatio, vel actio*

significaret aliquid in subjecto manens. Ex hoc autem apparet quod non est contra rationem simplicitatis alicujus multitudo relationum inter ipsum et alia : imo quanto simplicius est, tanto concomitantur ipsum plures relationes. Quanto enim aliquid est simplicius, tanto virtus est minus limitata et ad plura se extendit ejus causalitas, etc.

Quomodo intelligendus S. Thomas cum distinguit relationem a fundamento.

6. Itaque sicubi S. doctor significet relationem re distingui ab eo in quo est, id intelligendum erit de relatione, vel *ratione termini,* quem connotat, ut patet ex supra allatis; vel *ratione fundamenti* re distincti a subjecto, quo modo æqualitas, similitudo, et similes relationes fundatæ in quantitate, et qualitate, a substantia re distinctis, realiter differunt ab illa; vel *ratione existentiæ,* quam ipse re distinguit ab essentia, cui existentiæ identificatur relatio creaturæ ad Deum, vel effectus ad causam; propterea distinguit realiter relationem creaturæ ab ipsa creatura.

De ultimis categoriis quid sentiat.

7. Ex his intelligitur, quomodo *actio, et passio, ubi, quando, situs, habere,* in doctrina S. Thomæ, non sint modi pure intrinseci, ab eo de quo prædicantur, re distincti; sed solum res absolutæ, quæ, propter quemdam ordinem, habitudinem et conditionem, quam habent adinvicem a parte rei, sese invicem denominant, denominatione extrinseca importante aliam realitatem, quam res denominata, ut pluribus declarat S. Thom. citato Opusc. tract. 5. cap. 1. de præd. qui ad objectionem de passione, quam sibi facit cap. 2. quod passio denominat passum in quo est formaliter et subjective, ita respondet. *Dicendum, quod forma in fluxu, quæ est ipse motus, secundum se accepta, est in prædicamento absoluto; puta calor, qui causatur in aqua prout est in fluxu, est in prædicamento qualitatis, quia motus est in prædicamento termini ad quem est : prout autem est in fluxu, dicitur motus; prout vero habens talem calorem, scilicet aqua quæ calefit, transmutatur ab igne calefaciente talis denominatio pertinet ad passionem, prout est prædicamentum. Non enim aqua dicitur calefieri, quia in ea est calor; sed quia calor talis est a calefaciente. Unde si non esset calefaciens, quantumcumque calor esset in aqua, non diceretur calefieri, vel pati. Talis ergo denominatio, vel respectus passi, est formaliter ab extrinseco, cum importet agens quod est extrinsecum.*

8. Quod si actio et passio, in doctrina S. Thomæ, non sunt modi pure intrinseci re distincti a terminis, et iis quibus insunt, nec etiam causa et causatum, seu causalitas cujuscumque generis,

erit modus intrinsecus re distinctus a causa et effectu : proindeque nec contingens, nec necessarium, modi vel entis, vel causæ et causati. Necessitas enim, et contingentia in causis et effectis, sunt denominationes, partim extrinsecæ, partim intrinsecæ, secundum intrinsecum ratione tantum ab eis distinctæ : proindeque libertas in causa libera, est quidam ejus modus ratione tantum ab ea distinctus connotans aliquid extrinsecum; et similiter in effectu libero. Pari modo unio materiæ cum forma, vel inhærentia accidentis cum subjecto, cum aliud nihil sint quam vel relationes, vel causalitates, ab ipsis extremis unitis differunt.

9. Denique perfectum et imperfectum, totum et pars, perfectio et imperfectio, totalitas et partialitas, sunt modi ratione tantum distincti ab iis, de quibus dicuntur, aliudque nihil sunt, quam ipsa rei, de qua dicuntur, entitas alio modo concepta, sibique superaddita. Realitas enim quantitatis v. g. est quantitas præcise quatenus ens habens partes extra partes, vel quatenus accidens formaliter extendens subjectum cui inest. Eadem autem est tota, quatenus extra eam non est ulla alia quantitas, quæ sit ejus pars; eademque pars est, si quæ alia ei uniatur, cum qua totam aliam componat. Similiter humanitas Christi secundum se quidem est substantia, eaque humana, et hæc humana, non tamen tota totalitate hypostasis vel personæ, neque etiam est pars. Tota vero est illa totalitate, cum est sola et sejuncta a Verbo, et ab omni alio. Pars vero Christi est, cum præter eam in Christo est alia, nempe Verbi divini substantia a qua substantialiter infinite perficitur. Definitio autem modi a S. Thoma data confirmabitur, ubi quasdam hypotheses ad ejus intelligentiam necessarias præmiserimus.

CAPUT XLVII.

Referuntur, et explicantur quædam hypotheses metaphysicæ, ad modorum intelligentiam necessariæ.

1. Ad solidam veramque modorum scientiam, nonnullæ nobis hic ordine ponendæ et declarandæ sunt hypotheses metaphysicæ, quarum intelligentia necessaria est, non tantum ad modorum co-

gnitionem, sed etiam ad multorum in philosophia et theologia nodorum et difficultatum solutionem.

Prima hypothesis est *rem, reale, realiter* terminos esse valde æquivocos. Quorum homonymia eo accuratius nobis hic evolvenda est, quo frequentior est eorum usus in scholis librisque philosophorum, et quod, cum multorum intelligentiam sæpe turbet et confundat, a nemine tamen, quod sciam, quantum opus sit, hactenus declarata videatur. Nam in universa Aristotelis philosophia entis realis ne quidem appellationem unquam reperias. 1. Hypothesis

2. Ergo *reale* dicitur Primo. *Amplissime id omne quod, quocumque modo est, quodque non est omnino nihil.* Ens reale sic sumptum comprehendit etiam *entia rationis,* et ea quæ dicuntur *impossibilia,* vel entia *prohibita,* ut loquitur Avicenna. Hæc enim sunt aliquo modo, nempe in intellectu et cogitatione. Cum enim *reale* a re deductum sit; res autem, ut notant S. Thomas opusculo supra citato 48. tract. 2. cap. 1. Alensis et Durandus supra, deduci possit, vel a *reor, reris,* quod importat actum intellectus et rationis, vel a *ratus, rata, ratum,* id est firmum, solidum, et fixum. Juxta primam etymologiam, chymera et universim omnia entia rationis erunt res, et entia realia, quia habent esse quoddam putativum, repræsentativum et intentionale in cognitione intellectus. Juxta secundam autem etymologiam, quæ communior est, ea solum dicuntur res, et entia realia, quæ habent entitatem firmam, certam, et solidam extra rationem seu operationem intellectus. 1. Significatio vocis realis.

3. Secundo. Ens reale sumitur pro *vero,* et eo quod opponitur *apparenti ac repræsentativo.* Quo modo verum hominem dicimus hominem realem; pictum autem, sculptum, aut phantasma hominis dicimus hominem non verum, nec realem. 2. Sumitur pro ente vero.

Hujus autem esse *repræsentativi et apparentis* quoddam est et dicitur *intentionale;* sive quod per illud res, quæ sunt extra, in animam nostram quasi tendant, seque illi quodammodo insinuent et communicent, ideoque animam nostram *quodammodo omnia fieri,* docet Philosophus 3. de anima text. 15. 37. et 38; sive quod per illud *esse* anima nostra sua cognitione sensibili in res ipsas, veluti tendat; et hoc *esse intentionale.* Aliud est *impressum,* sive in anima, sive extra eam in aere, aliisque subjectis inanimatis, quæ dicuntur *species intentionales,* vel *sensibiles* in sensu, vel *intelligibiles* in intellectu; aliud *expressum,* quod est ipsa vel sensus, vel intellectus cognitio, quatenus est viva quæ- Ens intentionale aliud impressum.

dam similitudo, et repræsentatio rei cognitæ, quæ vulgo dicitur *species expressa*, vel esse *objectivum*, eo quod intellectui ac potentiæ cognoscenti, et seipsam, et rem extra animam, cujus est similitudo, objiciat præsentemque faciat, et quasi ponat ante. Quod esse *objectivum* aliud est in *sensu* tam interno, ut in imaginatione, quam externo, ut in visu, auditu, etc. Aliud in *ratione et in intellectu*, quod communiter vocatur *ens rationis*, vel *esse objectivum et intentionale in intellectu*, quod a Philosopho lib. 2. de anima text. 6. et lib. 3. text. 37. et 38. et alibi, *ens in anima* dicitur, et *ens verum* 5. Metaphysicæ text. 14. lib. 6. text. 8. et libro 11. sub finem Summæ tertiæ a S. Thoma *res rationis*. 1. part. q. 13. art. 7.

Aliud expressum et objectivum.

Vel in sensu.

Quod iterum est duplex. Unum *tantum objectivum*, et intentionale in intellectu, cui scilicet nihil correspondet extra intellectum, quod tale sit, ut relationes rationis, et negationes ac privationes; et hoc vulgo nomen *entis rationis* retinuit. Aliud *objectivum non tantum*, cui, scilicet, correspondet aliud esse reale extra intellectum, seu ipsam intellectionem; tale est species expressa rosæ, solis, hominis, etc. Ideoque res dicuntur habere duplex esse : unum *in anima*, alterum *extra animam*. Quod *esse in anima*, seu esse rationis, imago quædam spiritalis est illius esse realis, quod res habet extra animam. Nam, ut ait Philosophus lib. 1. de interpret. cap. 1. *Passiones animæ*, id est conceptus nostri, *quædam sunt rerum imagines et similitudines*. Unde in mente ac memoria hominum esse ac vivere dicimur, et tantopere appetimus. Per quod *esse ac vivere* anima nostra quodammodo fit et possidet omnia, ex Philosopho libro 3. de anima text. 18. et 37.

Esse objectivum in intellectu est duplex.

4. Tertio. Ens reale dicitur quod *opponitur enti intentionali* in universum : quo sensu *reale* sumunt Philosophi, cum quærunt : *An lumen sit qualitas realis, an intentionalis : An sonus propagetur secundum esse reale, an secundum intentionale*. Alensis exponens hæc verba Philosophi 9. Metaph. text. 17. *Nihil simpliciter incorruptibilium, simpliciter potentia est, secundum aliquid nihil prohibet, ut quale, at ubi*. Hæc habet : *Duplex est qualitas, realis et intentionalis. Secundum qualitatem realem non possunt alterari sempiterna, quales qualitates sunt calidum, et frigidum, quia talis alteratio est via in generationem. Secundum autem qualitatem intentionalem, qualis qualitas est lumen, alterari possunt; ut luna cum de non luminosa fit luminosa.*

3. Sumitur prout opponitur intentionali.

5. Quarto. (Et hæc est communior entis realis acceptio) sumitur ens reale, ut *opponitur intentionali, expresso, et objectivo, non cuicumque, sed in intellectu,* quod vulgo *ens rationis* dicitur. Quo sensu, reale, id omne appellant philosophi, quod habet esse aliud ab esse objectivo in cogitatione intellectus, quodque est ante omnem operationem intellectus, diciturque etiam ens extra animam vel ens a parte rei, non a parte rationis, vel ens habens esse subjectivum. 4. Sumitur ut opponitur soli intentionali et objectivo in intellectu.

Quod *esse subjectivum,* (ut hoc obiter etiam moneamus,) non idem est ac *inhæsivum,* ut plerique putant; alioqui, nec Deus, nec Angeli, nec ulla substantia haberet esse subjectivum, cum nulli inhæreant. Sed *esse subjectivum* idem est ac esse firmum, reale, solidum, et oppositum objectivo, intentionali, et repræsentativo, ut patet, tum ex Alensi in text. 13. lib. 5. Metaphys. ubi ex Avicenna referens discrimina quinque inter totum integrale et totum universale, hoc ponit secundo loco, quod totum integrale sit subjective in rebus, ut domus in tecto, fundamento et parietibus; totum autem universale sit in formatione intellectus, et ut objectum in potentia, ut cognitum in cognoscente, qui est specialis quidam essendi modus a priori distinctus; tum etiam ex Armando de Bello-visu in libro de Declaratione terminorum Theologiæ et Philosophiæ cap. 212. ubi agens de diversis differentiæ modis, ait *differentiam rationis esse objective in intellectu, et non subjective in re;* et cap. 272. et 273. ubi id optime et ex professo tractat. Unde etiam non solum scientiarum, sed etiam sensuum objecta a Philosopho lib. 2. de generatione textu 7. et 2. de anima text. 130. et 144. appellantur *subjecta.* Itaque philosophi, distinctionis causa, esse, quod res habent in cognitione, vel sensus, vel intellectus, *objectivum,* et quod habent a parte rei, et extra sui cognitionem, illud *subjectivum* appellarunt. Quid sit esse subjectivum. Alensis. Armandus.

6. Quinto. Reale sumitur a re prout contradistinguitur, *a signo.* Quo modo Philosophus lib. 1. de interpretatione cap. 1. res distinguit, non solum a passionibus animæ (quæ sunt rerum imagines, et similitudines et apud omnes eædem, sicut et res, suntque ipsum esse rerum in anima, ab eo distinctum, quod habent extra animam, sed etiam a signis et notis ejusmodi rerum et imaginum : cujusmodi sunt voces et litteræ scriptæ, quæ sunt signa eorum, quæ sunt in voce et non eædem apud omnes, sicut nec voces. Unde August. lib. 1. de Doctrina Christiana, 5. Sumitur ut opponitur signo. Augustinus.

cap. 2. *Omnis doctrina,* inquit, *vel rerum est, vel signorum; sed res per signa discuntur, etc.*

6. Sumitur ut est idem ac esse actu.

7. Sexto. Reale sumitur, prout idem est ac *esse actu* oppositum enti in potentia. Quo sensu dicimus Petrum v. g. existentem, esse hominem realem et existere realiter; eumdem autem non existentem, non esse hominem realiter.

7. Ut opponitur morali.

Septimo. Reale sumitur, prout contradistinguitur a *morali* : quo sensu agere moraliter et agere realiter ac physice distingunt philosophi, dividuntque nonnulli ens in *morale* et *reale.*

8. Ut opponitur personali.

Octavo. Res et reale sumitur, ut condistinctum *a personali.* Quo sensu Justinianus lib. 1. instit. titulo 2. et lib. 2. titulo 1. ait, jus civile versari circa personas, res et actiones et jurisperiti actiones civiles vulgo dividunt in personales, reales et mixtas.

Reale hic sumitur ut opponitur objectivo.

Cum ergo *res, reale, realiter,* tot tamque diversis dicantur modis, *quarto* solum modo, hoc est, pro eo quod opponitur enti rationis et objectivo in intellectu et hic, cum de modis eorumque distinctione disputamus et alibi communiter in philosophia accipitur.

2. Hypothesis.

8. Secunda hypothesis est aliqua differre, seu esse diversa dici tripliciter, ut notat Armandus lib. supra citato capit. 210. et 212. *Quædam sunt,* inquit, *quorum et entitas et diversitas est realis, ut substantia et quantitas, lapis et asinus. Quædam, quorum nec entitas, nec diversitas est realis, sed a ratione tantum, ut genus et species et omnia entia rationis, atque secundæ intentiones. Alia medium tenent, quorum entitas est realis, at diversitas est rationis, ut homo et animal, justitia et sapientia in Deo et sic de aliis.* Hæc ille. Unde patet sæpe fieri, ut quod conceptu aliquo cogitamus et voce significamus, ens reale sit; et reale item sit, quod alio conceptu alioque vocabulo significamus : quia utrumque est a parte rei et extra animam, eorum tamen distinctio realis non sit, sed rationis tantum et solum objective in intellectu.

Triplex rerum differentia Armandus de Bellovisu.

Ratio est, quia idem ens, eamdemque rem et entitatem, sive simplicem, ut Dei aut angeli, sive compositam, ut hominis, arboris, etc., intellectus noster in plures conceptus sæpe distinguit, seu, ut loquitur Alensis in text. 20. lib. 5. Met. q. ult. *Intellectus noster in unam rem tendens intra eam plures intentiones reperit, pluresque conceptus, quorum unus est præter alterum.* Unus præscindit ab altero, vel *simpliciter* quando nihil de formali conceptu

Alensis.

unius includitur in formali conceptu alterius, ut conceptus unius et veri, actionis et passionis, relationis et fundamenti; vel *secundum quid,* quando conceptus formalis unius in formali alterius conceptu clauditur, non e contra, ut conceptus entis in conceptu substantiæ et accidentis, animalis in conceptu hominis.

Quare quilibet ex dictis conceptibus in illa una realitate fundatis, eam vere habet pro objecto, eademque illa una entitas omnibus ac singulis illis conceptibus subest. Et secundum se quidem est veluti quid commune, materiale, informe, et indifferens ad omnes illos conceptus : hi vero ad illam, veluti diversæ formæ, rationes et ut loquuntur, formalitates, rationesque formales diversæ, secundum quas illa una entitas varie a nostro intellectu concipitur et veluti formatur. Cujusque autem rei natura et distinctio a forma magis est quam a materia. *Propterea,* inquit Alensis supra, *rei quidditas et essentia sumitur magis penes rem cum intentione, seu conceptu formali, quam sine eo.* Unde fit, ut quæ conceptu et intentione differunt, licet re idem sint, essentia tamen et quidditate differre dicantur, ut patet in actione et passione, in relatione et fundamento et similibus. Itaque sæpe quidem una est realitas, conceptus tamen quidditativi et formales sunt multi et diversi. Quæ conceptuum circa eamdem rem multitudo ac distinctio, cum sit a parte nostri intellectus, realis non est; sed rationis tantum et solum objective in intellectu, cum fundamento tamen et occasione, quam præbent tum illa una rei entitas, tum noster intelligendi modus finitus, imperfectus, inadæquatus et sæpe non proprius, nec talis, quales sunt res conceptæ, sed acceptus ex analogia quadam et similitudine aliarum rerum, quæ nobis notiores sunt magisque familiares.

9. Tertia hypothesis est, licet entis in decem prædicamenta, vel cujuscumque prædicamenti in sua genera et species, divisio, non sit nisi entis realis; tamen non omnia entia prædicamentalia inter se realiter differunt, sed quædam re simul et conceptu, tam in eodem prædicamento, ut homo, leo, lapis, quam in diversis, ut substantia et quantitas; quædam re eadem, ratione solum differunt, tam in eadem categoria, ut gradus substantiæ, corporis, viventis, etc., in categor. substantiæ, quam in diversis, ut relatio et fundamentum, actio et passio. Ratio est, quia categoriæ *materialiter et inchoative* spectatæ, sunt quidem ipsæ

3. Hypothesis. Non omnia prædicamenta re differunt.

res creatæ et ea quæ a parte rei existunt : *formaliter* vero et *complete* sunt eædem res prout subsunt nostris conceptibus in decem ordines secundum decem diversos prædicandi modos et in quolibet ordine, secundum diversos gradus, distributæ. At intellectus nostri conceptus non solum distinguit ea quæ a parte rei distincta sunt; sed etiam quæ non sunt distincta, ut paulo ante dictum est.

Etsi autem categoriæ quædam, ratione tantum differant, cum tamen de substantia alia prædicamenta dicuntur, semper ei superaddunt aliquid ab ea re diversum, quod in suo conceptu includunt, aut connotant, ut plenius intelligetur postea.

4. Hypothesis

10. Quarta. Quemadmodum unam eamdemque realitatem intellectus noster partitur in plures conceptus, vel simpliciter, vel secundum quid præcisos; ita e contra plures a parte rei realitates cogit in unum conceptum simplicem et ut ait S. Thomas 1. 2. q. 12. art. 3. *Quod non est unum secundum rem, accipit ut unum secundum rationem,* et lib. 2. Contra Gentes cap. ultimo. *Intellectus noster simul cognoscit multa ad invicem composita, vel relata, ut unum quoddam.* Quod accidit in quibusdam conceptibus, non solum transcendentibus, ut veri, boni, causæ, effectus et similibus in quorum conceptu plura re distincta necessario clauduntur et involvuntur; sed etiam in multis categoricis, præsertim relativis et comparativis et conceptibus sex septemve ultimarum categoriarum. Ideoque ad earum *esse completum et perfectum,* inquit Comment. apud Alensem sub finem lib. 6. Metaphys. *facit anima et non essent* (supple completa et perfecta non solum in ratione generis, vel speciei prædicabilis, aut subjicibilis, nam hoc commune est omni conceptui prædicamentali; sed in sua propria ratione et essentia prædicamentali) *si non esset anima.* Quod diserte et expresse habet idem Commentator in Epitome librorum Met. tractat. 3. cap. de actu, ubi rationem reddens cur relata sint simul et secundum esse et secundum intellectum. *Utraque,* inquit, *ipsorum* 1. relata *sunt simul secundum esse et notitiam. Cujus rei causa est, quia hujusmodi prædicamentum est quid fabricatum ab anima in ipsis entibus. Et si non esset anima, non esset relatio, sicut si non esset anima, non esset proportio seu comparatio. Et quoniam in ejusmodi comparatione concipitur unum subjectorum ejus, oportet necessario illam rem concipi per conceptum alterius subjecti, cum habeat existentiam per illa duo subjecta.* Hæc ille. Quod adeo verum est,

Averroes.

ut etiam locum habeat in relationibus divinis ex D. Thoma 1. parte q. 42. art. 5. ubi exponens, quomodo Filius sit in Patre, Pater in Filio, nempe secundum essentiam, relationem et originem; secundum modum declarans, ita loquitur : *Secundum etiam relationes manifestum est quod unum oppositorum relative est in altero, secundum intellectum.* Igitur etiam in divinis relationum personalium conceptus plura includit. In quo nonnulli hallucinantur duplici de causa. Una, quod ipsi concipiant hypostases divinas ad modum creatarum, quæ absolutæ sunt et quas cum concipimus, non nisi unum ens, unamque substantiam cogitamus; illæ autem sunt relativæ. Igitur qui bene eas concipit, unam sine alia opposita concipere nequit. Id enim commune est omnibus relatis. D. Thomas.

Altera causa est, quod cum in humanis persona, v. g. Philippi dupliciter a nobis concipi possit, vel absolute, ut homo et ut persona absoluta, vel relative, ut Pater Alexandri, et primo modo sola concipiatur, secundo autem non nisi cum Alexandro filio. Decipitur mens eorum, putans utroque illo modo personas Divinas concipi posse, cum non nisi secundo modo, et qua relativæ sunt, concipi possint. Nam, et in divinis et in humanis impossibile est concipere Patrem sine Filio, et Filium sine Patre. Ex quibus patet in conceptu relativo duo, ut minimum, includi. Idemque existimandum de reliquis sex prædicamentis cum respectum ad aliquid extrinsecum dicant, ut constat ex D. Thoma, capite præcedenti. Imo, si Julio Pacio credimus in cap. 3. lib. 5. Phys. sunt veluti appendices categoriæ relationis. Pacius.

11. Porro tribus fere in universum modis plura re distincta intellectus noster uno conceptu distincte attingit et claudit; vel *collective*, vel *connotative*, vel *adjacenter*. Dixi *distincte*, quia non hic agitur de conceptu universali, quo multa non distincte et formaliter, sed potentia, confuse et materialiter tantum concipiuntur. *Collective* igitur plura concipiuntur, cum plura æque primo, et ut partes alicujus totius intellectus cogit et concipit, ut cum binarium, ternarium, exercitum, urbem et similia ex pluribus re distinctis composita uno conceptu apprehendit uno que nomine significat. *Connotative*, cum propter ordinem, inclinationem et habitudinem, quam a parte rei habet una res ad aliam, utramque intellectus noster suo conceptu attingit; unam ad aliam inclinando, inflectendo et comparando, ut in relatis; unam in recto, aliam in obliquo exprimendo, seu in unius

Tribus modis multa re distincta uno conceptu involvuntur. Distincte

Collective.

Connotative.

conceptu, alterius entitatem claudendo et attingendo. Talis est conceptus actionis, in quo et res quæ agit et quod agitur quodammodo includuntur et simul connotantur.

Adjacenter. *Adjacenter,* cum unum ab alio re distinctum, ei veluti applicatur et adjungitur, vel per modum *continentis,* seu *informationis extrinsecæ,* ut, esse in loco, esse vestitum; vel per modum *mensuræ,* ut esse in tempore; vel per modum *additamenti et possessionis extrinsecæ,* ut esse divitem. Sunt enim divitiæ possessio, substantia et quasi aliquid ejus, qui eas possidet, ideoque bonorum dissipatio, dicitur perditio sui ipsius Eth. 4. cap. 1.

5. Hypothesis. Conceptus sunt vel abstracti, vel concreti. **12.** Quinta hypothesis. Prædicti omnes conceptus, sive unius rei in plures conceptus distinctæ, sive plurium rerum in unum conceptum coalescentium, dupliciter a nobis formari possunt; vel in *concreto* et per modum alicujus fixi, totius et entis compositi ex habente et eo quod habetur, ut animal, homo, quantum, quale, album, simile, agens, patiens, seu agere et pati, habere, etc.; vel in *abstracto* per modum formæ simplicis, quasi per se stantis et avulsæ ab omni subjecto omnique toto, ut animalitas, humanitas, quantitas, albedo, similitudo, actio, passio, locatio, vestitio.

6. Hypothesis. Abstracta alia physica, alia metaphysica. **13.** Sexta hypothesis. Cum abstracta alia sint physica, alia metaphysica. Hoc inter se differunt, quod physica sint formæ intrinsecæ re distinctæ a concretis, seu a subjectis quibus insunt, sive per informationem substantialem, ut anima corpori, sive per inhærentiam, ut quantitas, calor, albedo, scientia etc. suis subjectis, a quibus re differunt : abstracta vero metaphysica ratione tantum et concipiendi ac significandi modo differunt a suis concretis. Quam enim realitatem et essentiam dicit homo, eamdem dicit humanitas; at modo diverso. Illam enim, ut habitam et ut totum quoddam dicit homo; humanitas vero eamdem per modum formæ metaphysicæ et totalis, ideoque ratione differunt. Quod autem de homine et humanitate dictum est, intelligendum est de relato et relatione, sedente et sessione et de aliis præsertim ultimis categoriis, quarum abstracta sunt metaphysica. Itaque cum audimus nomen aliquod abstractum, non statim de physico cogitandum est; sed aliunde dijudicandum est, quandonam sit abstractum physicum et quando metaphysicum. In quo, ut jam monuimus supra cap. 45., decepti videntur modistæ, cum sub nominibus unionis, inhærentiæ et similibus cogitant formas quasdam simplices, intrinsecas, modales a parte rei distinctas a suis concretis et subjectis quæ denominant.

14. Septima hypothesis. Cum prædictorum conceptuum, tam eorum qui unam realitatem in plures partiuntur, quam eorum qui plures entitates uno quasi intuitu attingunt et devinciunt, alii aliis adveniant, proindeque alii aliis priores sint, aut quod simpliciores et universaliores, aut quod supponantur ab aliis posterioribus, posteriores prioribus advenientes, vel cum eis constituunt unam aliquam essentiam categoricam, vel non constituunt, sed essentiæ integræ et jam constitutæ adveniunt atque adeo accidentaliter eis insunt et de iis dicuntur. Si primum, posteriores habent rationem differentiæ specificæ, priores vero rationem generis, modo simpliciter sint ab invicem præcisi, ut rationale respectu animalis, sensibile respectu viventis. Nam si præcisi tantum sint secundum quid, ut *esse per se, esse in alio,* imo, ut prædicamenta omnia respectu entis, modi entis dicuntur, quatenus in suo proprio conceptu distincte exprimunt modum et speciem aliquam entis, quæ ipso communi nomine et conceptu entis non exprimitur : et hi *modi essentiales* nominari possunt. Si vero posteriores conceptus prioribus ita adveniant, ut cum eis non constituant unam aliquam essentiam et quidditatem, sive necessario et reciproce ac inseparabiliter eis adveniant, sive non reciproce, separabiliter et contingenter, eo quo jam dictum est modo et clarius ex dicendis intelligetur, ii conceptus posteriores sunt vere et proprie modi et quos philosophi nomine *modi* intelligunt et quibus potissimum convenit definitio modi a S. Thoma supra tradita. 7. Hypothesis.

Utrumque genus modi evidenter cernitur in exemplo substantiæ ab eo allato. In ea enim est modus essendi per se et modus substandi alteri, nempe accidenti. Prior est modus respectu entis quod contrahit et a quo secundum quid tantum præscindit : et modus est essentialis, cum sit ipse conceptus quidditativus substantiæ. Secundus autem eidem substantiæ accidentalis est, cum sine eo substantia et esse et integre concipi possit, ut si Deus animam rationalem, aut Angelum omni accidente nudaret, et præterea est per habitudinem ad aliud, nempe ad accidens. Alii essentiales, alii accidentales.

Hanc autem distinctionem modorum accidentalium et essentialium tradit S. Thom. 5. Met. lect. 3. explicans divisionem causarum a philosopho traditam in varia causarum genera et varios modos. *Est,* inquit, *distinctio causæ per species et per modos. Nam distinctio per species, est penes diversas rationes causandi : et ideo est quasi divisio per differentias essentiales species constituentes. Divisio autem* Species causarum et modi causarum qua ratione differant.

per modos, est penes diversas habitudines causæ ad causatum secundum eamdem rationem causandi, sicut per se et per accidens, remotum et propinquum, unde est quasi per differentias accidentales non diversificantes speciem.

8. Hypothesis.

15. Octava hypothesis est. Modi proprie non recipiunt denominationem, quam tribuunt rebus modificatis. Id patet primum inductione. Neque enim unio uniri, inhærentia inhærere, relatio referri proprie dicitur. Deinde etiam ex auctoritate, ratione et doctrina, quam habet Philosophus 5. Metaphys. tex. 25. ubi de *habitu* (quod est abstractum metaphysicum categoriæ, habere), duo docet, quæ valent plurimum ad modorum, de quibus agimus, vim et naturam pernoscendam.

Aristoteles.

Habitus concipitur ut forma media.

Primum est. *Habitum* a nobis concipi et significari velut formam quandam mediam, quæ sit actus duorum, nempe habentis et rei habitæ, eo fere modo, quo actio et passio est quiddam medium et commune inter agens et patiens. *Habitus,* inquit, *dicitur uno modo, tanquam quidam habentis et habiti actus, sicuti actio quædam, aut modus. Nam cum hoc quidem efficit, illud vero fit, est media effectio, ita et habentis vestem et vestis habitæ, est medius habitus.*

Habitus non habetur.

Secundum est. Ejusmodi habitum non haberi. *Hunc habitum,* inquit, *quod non contingit habere manifestum est, in infinitum enim progrederetur, si habiti esset habitum habere.* Quasi diceret habitus, qui est ipsa ratio habendi et actus medius habentis et habiti, non potest dici haberi; quia si haberetur, aliquo habitu eoque vel re, vel ratione a se distincto haberetur : de quo iterum habitu quæri posset, an habeatur alio habitu et sic in infinitum. Igitur talis habitus non habetur, sed solum est ipsa ratio habendi.

Modi non recipiunt denominationem quam tribuunt 1. Ratio.

16. Ex qua Philosophi doctrina et ratione qua eam confirmat, clare intelligitur, quod modi proprie realiter non adveniunt, nec inhærent rebus tanquam formæ quædam ab eis diversæ, nec etiam recipiunt denominationem, quam tribuunt rebus, quarum sunt modi. Ideoque nec relatio proprie refertur, nec unio unitur, nec inhærentia inhæret, nec actio agitur, nec locatio locatur, nec habitus habetur. Primo propter rationem Aristotelis, quia daretur progressus in infinitum. Si enim unio uniretur omnino per aliam unionem, vel re, vel saltem ratione a se diversam, de qua iterum quæri posset, an unitur alia unione, sive re, sive ratione diversa et sic in infinitum. Secundo quia unio, cum sit modus, re eadem

est cum eo cujus est unio et quod denominat unitum. Igitur ei proprie non unitur, sed realiter identificatur. Tertio, quia modi in universum vulgo concipiuntur et significantur terminis abstractis. Nullum autem concretum de abstracto, vel abstractum de concreto prædicatur; quia concretum ex modo significandi, habet rationem compositi, abstractum vero rationem formæ simplicis et separatæ. *Et formæ natura,* inquit Alensis in textum 5. lib. 5. Metaphys. q. 1. *non est natura entitatis reflexæ super seipsam, sed protensæ ad aliud, sive secundum rem, sive secundum rationem, totumque ejus esse, est esse alterius. Igitur non seipsam, sed aliud denominat.*

Qui modi excipiendi. Quæ concreta de abstractis prædicentur.

17. Excipiendi tamen sunt quidam modi transcendentales, ut notat S. Thomas 1. p. q. 65. art. 4. ad 1. et alibi sæpe, de quibus et ens et aliæ entis proprietates dicuntur in concreto. Dicimus enim quod unitas est ens, est vera, bona et quod bonitas est una, vera, bona, etc. Excipitur item quantitas, quæ quanta, lata, longa, profunda dicitur, communi usu loquendi a mathematicis desumpto, qui cum considerent quantitatem, ut per se stantem et sine ullo ordine ad subjectum ei, tanquam toti et subjecto, et suas proprietates aliasque proportiones et attributa in concreto attribuunt.

18. Porro supradictam doctrinam de *habitu, quod non habeatur,* Alexander Alensis in textu 25. lib. 5. Metaphys. tractans illam quæstionem, *an habitus habeatur* extendit ad *habere* et *haberi* postprædicamentalia, hoc est, transcendentia, quæ vagantur per omnes categorias. *Haberi,* inquit, *in accidente aliud nihil est, quam ipsum inesse subjecto, illudque informare, seu quam ejus informatio activa : et subjectum habere accidens, est ipsum informari accidente, seu ejus informatio passiva, quæ nihil addit supra subjectum nisi modum, sicut informatio activa nihil addit supra accidens, nisi modum : et sicut accidens seipso informat, sic seipso habetur. Si enim dicatur; accidens habetur; ergo alio modo habetur. Dico quod est falsum : imo seipso habetur, sicut seipso inest.*

Unio nec unitur nec separatur.

19. Quod si unio nulli proprie unitur, et inhærentia nulli inhæret; ergo nec proprie dici possunt separati ab aliquo. Eorum enim tantum proprie est separari posse, quorum est proprie uniri. Itaque improprie tantum separantur ab eo, cui insunt, prout nimirum eadem entitas a parte rei manens cessat, et desinit esse ratio, vel uniendi, vel inhærendi, vel agendi, vel referendi, propter alterius rei, vel additionem, vel detractionem,

vel additionem, vel mutationem, vel separationem, ut pluribus postea exponemus.

Q. hypothesis Quædam esse et non esse eadem.

20. Nona hypothesis est. Quædam, præsertim relata et quæ habent ordinem ad invicem, quodammodo eadem esse, quatenus scilicet, unum includit aliud in suo conceptu, et quodammodo esse diversa, prout diversimode afficiunt et denominant subjecta diversa. Hoc de potentia activa et de passiva diserte tradit Aristoteles lib. 9. Metaph. text. 2. *Manifestum est,* inquit, *quod quodammodo quidem una est ipsius facere, et pati potentia, quodammodo vero alia,* etc. Vide S. Thomam, et Alensem ibidem.

CAPUT XLVIII.

Definitionem modi in universum a S. Thoma *recte traditam esse.*

1. Probatio. Tria signa bonæ definitionis 1.

1. Bonam et legitimam esse rei alicujus definitionem, tribus his maxime signis deprehenditur. Primum. Si quæ de re definita moventur dubitationes, per illam commode dissolvi possint, ex 2. Philosopho 4. Phys. t. 31. Secundum. Si causam contineat proprietatum, et eorum quæ per se insunt rei definitæ, et de ea per se dicuntur. *Omnis enim demonstrationis principium, est ipsum quod quid. Et definitiones per quas non contingit rei accidentia cognoscere, vel non facile de iis conjicere dialecticæ sunt et vane omnes.* 3. Primo de anima, textu 11. Tertium. Si falsæ circa rem definitam opiniones, per eam destrui et erroris convinci facile possint. Nam ut ait libro 1. Eth. capite 8. et libro 1. prior. sect. 3. *Cum vero consonant omnia quæ in re sunt; a falso autem cito dissonant, et discrepant.*

D. Thomas.

2. Hæc autem tria signa insunt definitioni *modi* in universum a S. Thoma traditæ supra his verbis : *Modus est res concepta uno modo respectu suiipsius, ut est concepta alio modo, et sub habitudine ad diversa,* vel, ut eam ad solos modos accidentales, de quibus potissimum agitur, contrahamus, *est res, quæ sub aliqua ratione et habitudine concepta, sibi ipsi alio modo conceptæ accidit.* Nam novem sunt præcipua modorum attributa, seu communes de

iis notiones ab omnibus, vel saltem a præstantioribus philosophis ac theologis receptæ 1. Modum esse quid reale. 2. Esse non suiipsius, sed quid alterius. 3. Nulli alteri rei, quam ei, cujus modus est, inesse et communicari posse. 4. Non esse de essentia et quidditate ejus rei, cujus est modus. 5. Eidem inesse immediate, per se et non per aliud. 6. Ab ea proprie separari et separatim existere non posse, ne divina quidem virtute. 7. Cum eo, cujus est modus, non facere compositionem realem, nec rei, cui inest, simplicitatem tollere; ita Durandus supra et Paludanus in 3. Dist. 1. q. 1. art. 3. et alii, quam tamen non recipiunt modistæ recentiores. 8. Non re, sed ratione tantum differre ab eo cujus est modus; quam etiam non omnes recipiunt, licet verissima sit et ex modi definitione manifesta. 9. Modorum alios esse substantiales, alios accidentales, alios absolutos, alios relativos. Harum autem omnium notionum ratio et causa continetur prædicta modi definitione.

Novem communes de modis notiones.

Durandus. Paludanus.

3. Etenim quia, ut in ea dicitur, modus est *res,* propterea est ens reale, ut habet 1. Notio. Quia est ipsamet entitas rei, cujus est modus; propterea et nulli alteri inesse potest, juxta tertiam Notionem; et per se, et non per aliud ipsi inest, juxta 5; et ab ea proprie separari et seorsim existere nequit, juxta 6; et nullam realem et intrinsecam cum re, cujus est modus, facit compositionem, ut habet 7. Notio. Deinde cum prædicta definitione modus dicitur esse *ipsa res alio modo concepta;* propterea, et ratione tantum ab ea differt, ut habet 8. Notio; et non tam est ens, quam entis, seu alicujus, nempe ejus, cujus est modus, ut habet 2. Notio; et propterea impossibile est ab eo separatim existere, ut habet 6. Notio.

Cur modus separatim a re modificata existere nequeat.

4. Præterea, quia conceptus proprius modi non includitur in conceptu quidditativo ejus, cujus est modus, propterea est extra rei essentiam, et quoddam ejus accidens, ut habet 4. Notio. Definitur enim hic præcipue modus accidentalis, et qui denominat per modum accidentis, vel proprii, ut unum, bonum, verum respectu entis; vel communis, quod a re abesse potest, vel ei adesse, sine ejus corruptione, ut esse causam, vel effectum. Quanquam cum modi essentiales, et etiam ipsæ differentiæ quodammodo accidant generi, ideo prædicta definitio illis quodammodo accommodari potest. Præterea, quod rei entitas, vel in omnibus, vel in plurimis alio modo concipiatur, est ex quodam ejus ordine, et habitudine ad aliud, quo sublato, non potest

amplius ita concipi; propterea et hæc particula *ex habitudine ad aliud* in definitione posita est, et modus perire et desinere dicitur; quod est, a re aliquo modo a parte rei separari. Denique quia sic diversimode concipi, convenit entitati, tam substantiæ quam accidentis, propterea modorum, aliis unt *substantiales*, alii *accidentales*, quorum realitas non alia est quam ipsa accidentis inhærentis realitas, quæ alio modo concepta sibiipsi accidit, secundum 9. Notionem, et est aliquid ejus, ut habet 2. Notio. Igitur prædictorum omnium, quæ modis per se insunt causa, et ratio, prædicta definitione manifeste continetur.

5. At qui modos aliud esse putant, eosque a parte rei distinguunt a rebus modificatis, causam nullam reddere possunt, cur saltem divina virtute, vel rem aliam modificare, vel soli ac separatim existere non possint, ut pluribus ostendimus supra cap. 45. Et coguntur dicere modum facere compositionem cum eo, cujus est modus, contra 7. Notionem.

2. Probatio.

6. Secundo. Prædicta definitio modis omnibus, tam substantialibus, quam accidentalibus, tam absolutis quam relativis, tam naturalibus quam supernaturalibus, iisque solis ac semper convenit; ut inductione constat facta per omnes modos, tam eos quos Aristoteles toto lib. 5. Metaphysicæ explicuit, quam eos, de quibus inter ipsos philosophos maxime controvertitur. Nam esse principium, causam, elementum et naturam (quos terminos Aristoteles exponit tex. 1. 2. 3. 4.) esse veros modos materiæ primæ patet, non solum ex prædictis omnibus modorum attributis, et notionibus, quæ illis terminis conveniunt, sed etiam ex prædicta definitione. Etenim, si materia prima sola, et separata a forma existat, ejus entitas, nec est principium, nec causa, nec elementum, nec natura actu. Cum vero est in composito, jam ei actu accidit modus principii, causæ, elementi et naturæ, propter habitudinem ad aliud; principii, quatenus est primum unde aliquid est, nempe compositum; causæ, quatenus principium per se influens ad esse compositi et causati; elementi, quatenus principium intrinsecum, et causa, ex qua inexistente aliquid est, nempe compositum; naturæ vero, quatenus est causa et principium motus et quietis, ejus in quo est. Illa autem omnia nil aliud sunt, quam ipsa materiæ entitas alio modo concepta, propter habitudinem, vel ad formam, vel ad compositum, vel ad motum et quietem, respectu quorum est principium, causa, ele-

Declaratur ratio modi in materia prima.

mentum et natura. Qui modi sunt accidentales materiæ, cum sine eis, vel esse, vel saltem concipi possit. Idem expresse dicit Aristoteles 10. Metaphys. tex. 2. de uno, causa, et elemento, quæ ait rebus accidere, ita ut ratione tantum ab illis differant. *Ignis*, inquit, *quodammodo quidem est elementum, quodammodo vero minime. Non enim est idem igni et elemento esse*, id est, non est eadem ratio ignis et elementi, *sed tanquam res quædam et natura ignis elementum est. Nomen autem significat, quod hoc id ei competat, quod ex eo, tanquam inexistente aliquid sit, ita et de causa, et uno, et cunctis hujuscemodi.*

Et in calore ratio potentiæ est modus.

7. Similiter esse potentiam activam, seu principium transmutandi aliud inquantum aliud, est modus quidam caloris v. g. quia est ipsa caloris entitas, quæ aliquo modo concepta sibi accidentaliter advenit. Nam ipsa caloris entitas secundum se est tantum qualitas et dispositio formæ ignis per quam est calidus, et in ordine ad se bene dispositus. Posse autem agere in aliud et calefacere, est quidam caloris modus, aliudque nihil quam ipsamet entitas caloris, propter habitudinem ad aliud, nempe ad calefactibile, alio modo concepta.

Qui fiat ut idem sit modus et non sit.

8. Id solum observandum, quod, qui conceptus respectu unius est modus, alia ratione non est modus; sed interdum quædam essentia et species entis, ut patet in exemplo allato caloris. Posse enim calefacere, vel posse tangi, sentiri, sunt modi caloris, prout est prima species qualitatis, ut dictum est. Iidem autem sunt essentiæ, et qualitates secundæ, et tertiæ speciei, quatenus sunt potentia naturalis, vel qualitas patibilis, et tangibilis; ita ut, si nullus esset, aut esse posset sensus tactus, periret hic modus, et hæc ratio qualitatis patibilis, manente tota et integra realitate caloris, ac etiam alio modo potentiæ activæ et calefactivæ, quæ ei inest.

Nota.

9. Convenit item prædicta definitio iis omnibus, de quibus adeo certant philosophi, ut unioni, inhærentiæ, actioni, passioni, etc. Nam unio relativa materiæ primæ ad formam (non enim hic agimus de unione totali, seu absolute sumpta, prout est idem ac essentia compositi naturalis, et substantia composita condistincta ab ente simplici, de qua supra cap. 45. sed solum de unione relativa partis, opposita separationi ejusdem ab alia), unio inquam, relativa, a qua materia dicitur esse unita formæ, est ipsa materiæ primæ entitas, ut indivisa a forma, seu, ut

Ut unio relativa sit modus materiæ.

propter relationem indivisionis a forma, alio modo concipitur, quam cum est, vel sola et separata ab ea, vel ut est indifferens ad unionem et separationem. Igitur unio prædicta æque est modus materiæ primæ, ac esse principium, esse causam, esse elementum, esse naturam, ut dictum est supra. Ideoque quemadmodum hi modi non per se, et proprie tanquam res a re, calor ab igne, aut lapis ab arbore, sed improprie et per aliud, nempe per formam a materia separabiles sunt; sic et modus unionis. Forma enim a materia avulsa, aut materia a forma, nec esse, nec concipi potest, ut principium, ut causa, ut elementum, ut natura, ut unita. Adde quod prædicta unio materiæ est, vel ejus causalitas erga formam, vel relatio quædam indivisionis ab illa : utraque autem est tantum modus ab ea indistinctus. Quod autem de unione materiæ dictum est, vicissim intelligendum de unione formæ cum materia; et quod de hac, intelligendum etiam de inhærentia, seu unione accidentis physici cum suo subjecto.

Gregorius de Valentia.

Verissimum enim est, quod ait Gregorius de Valentia de Incarnatione disp. 1. quæst. 4 punct. 2. cum refellit 7. opinionem *ex inhæsione formæ subjectum nihil accipere, præter ipsam formam.* Intelligendum etiam de actione et passione respectu sui termini.

Totalitas et ratio partis qualiter sint modi.

Pari modo totalitas, seu esse totum, vel partem, modi sunt reales eorum, quibus insunt, ab eis tantum ratione diversi juxta prædictam definitionem. Eadem enim realitas quantitatis, v. g. si est sola nullaque ei alia adjuncta est dicitur tota; et fit pars, si ei alia adjungatur; vel quæ erat pars fit totum, si alia semoveatur.

10. Ex hactenus dictis sex aut septem corollaria evidenter et necessario inferuntur.

Inferuntur Corollaria.

Primum. Modos, de quibus hactenus egimus, reales esse licet actione tantum differant ab iis, quorum sunt modi; non secus ac gradus metaphysici, qui reales sunt, quamvis ratione tantummodo inter se distinguantur.

Secundum. Modos relationem et habitudinem aliquam ad aliud in suo conceptu includentes, secundum id quod intrinsece dicunt, ratione tantum; secundum autem extrinsecum re differre ab eo, cujus sunt modi.

Tertium. Modum cum re modificata ideo nullam facere compositionem realem, nec aliam rem afficere, aut denominare posse,

nec ab ea separatim existere, imo nec proprie et per se ab ea separari; quia re idem est cum illa et ratione tantum differt.

Quartum est. Quod nec relatio a fundamento, nec motus, vel actio a termino, nec ubi ab ubietato, nec situs aut sessio a sedente, nec unio a re unita, nec inhærentia ab inhærente, nec figura a quantitate, et similes modi proprie ac per se separantur, ab eo cujus sunt modi; sed solum improprie et ratione alterius, vel additi, vel subtracti, aut per solam cessationem habitudinis quam modus includebat, ut postea declarabitur.

11. Quintum. Omnes fere terminos simplices transcendentales, quos exponit Philosophus toto libro 5. Metaphysicæ (qui liber de *quot modis*, vel *quoties* etiam ab ipso Aristotele 10. Metaphys. text. 1. nominatur) respectu eorum, quibus insunt, et de quibus dicuntur denominative, sive exprimantur in concreto, ut principium, causa, elementum, natura, necessarium, prius, posterius, oppositum, ad aliquid, totum, pars, perfectum, imperfectum; sive in abstracto, principiatio, causalitas seu causatitas, necessitas, prioritas, posterioritas, perfectio, imperfectio, oppositio, totalitas, etc., verè et proprie modos esse, cum illis omnibus supradicta modi definitio tota conveniat; nihilque aliud sint quam ipsæ res, quas afficiunt et denominant, alio modo conceptæ, et fere omnes, propter habitudinem ad aliud, sibi accidentaliter advenientem.

12. Sextum. Quod, una ratione et secundum se ac quatenus prædicatur formaliter et essentialiter de aliis, est essentia categorica, verumque genus, aut species, illud idem respectu alterius, de quo denominative, et accidentaliter dicitur, esse illius modum, ut relatio respectu fundamenti, æqualitas respectu quantitatis, etc.

Septimum. Subsistentiam respectu naturæ vere esse modum, ut plenius dicetur capite sequenti.

CAPUT XLIX.

Quomodo subsistentia sit modus naturæ et quomodo non sit.

1. Modorum natura a nobis hactenus constituta et exposita; facile nunc est ostendere quomodo hypostasis et subsistentia sit modus naturæ et quomodo non sit. Itaque

Substantia vere est modus.

Dico primo. Subsistentiam creatam vere et proprie esse modum naturæ. Hæc assertio est omnium Sanctorum Patrum, quos retulimus, et quorum doctrinam exposuimus supra cap. 21 et 22. hypostasim a natura ratione tantum, sicut proprium a communi, singulare et determinatum ab indifferenti et indeterminato, distinguentes.

Subsistentia vere est modus. 1.

Probatur Primo a definitione modi præcedenti capite confirmata, quæ tota et adæquate convenit subsistentiæ respectu naturæ; nam re et entitative eadem est cum natura, et conceptui naturæ superaddit alium illi accidentalem seu non essentialem, eumdemque duplicem. Unus est conceptus *individuationis et singularitatis,* qui, ut patet, est extra conceptum naturæ; alter est *totalitatis vel perseitatis,* qui etiam est extra conceptum, tum ipsius naturæ, tum individuationis ejusdem, imo ab utroque quodammodo tolli ac separari potest, ut ostensum est, cap. 23. Igitur subsistentia vere est modus naturæ, ex duplici capite.

2. **2.** Secundo. Quia communes modorum notiones omnes quæ præcedenti capite recensitæ sunt, subsistentiæ conveniunt respectu naturæ. Est enim quid non distinctum re a natura; non faciens cum ea compositionem realem, nec ab ea per se proprie separabile, nec potens afficere aliam naturam quam eam cujus est modus : et sic de aliis. Igitur, etc.

3. **3.** Tertio. Subsistentias divinas modos appellant Justinus, Basilius, Cyrillus, Theodoretus, Damascenus, apud Didacum Ruiz de Trinitate disp. 12. sect. 5. Ergo multo magis hoc donandæ sunt nomine subsistentiæ creatæ.

Dico 2. Subsistentiam non esse modum naturæ, qualem plerique volunt, hoc est, formam modalem a parte rei a natura distinctam. Hæc assertio est de mente eorumdem Sanctorum Patrum, ut constat tum locis paulo ante citatis, tum ex iis, quæ retulimus cap. 29 et 30. ad probandum humanitatem Christi nullius formæ, aut entitatis realis in aliis hominibus existentis jacturam fecisse. Est etiam Sancti Thomæ locis quamplurimis a nobis in hoc opere recitatis, et omnium Doctorum scholasticorum et theologorum, quos supra quadraginta retulimus antea cap. 6. num. 11. qui suppositum a parte rei, a natura non distinguunt. Quæ assertio, cum a nobis antea theologicis argumentis satis superque probata videatur, eam nunc metaphysicis tantum et naturalibus confirmabimus, (est enim etiam quæstio metaphysica) ac primum iis contradictionibus, quas proposuimus supra cap. 41. 42. et 43. contra modos in universum. Ideoque PRIMUM argumentum erit, quod modus subsistentiæ re a natura distinctus erit accidens, et simul non erit. SECUNDUM. Quod simul erit et non erit ens reale et solidum. TERTIUM. Simul erit separabilis a natura, ita ut sine ea existat, et non erit separabilis. QUARTUM. Distinguetur a natura realitate majori, et non distinguetur; quorum omnium probatio petenda est ex capitibus citatis.

Non est modus a parte rei distinctus.

Primum argumentum. Secundum. Tertium. Quartum.

QUINTUM ducitur a definitione modi. Si enim subsistentia est modus, ut patet ex præcedenti assertione, et modus ex natura sua re non differt ab eo, cujus est modus, cum sit ipsa rei, cujus est modus, entitas aliter et sub alia tantum ratione concepta, impossibile est eam a parte rei distingui a natura.

Quintum.

4. SEXTUM argumentum, idemque demonstrativum ducitur ex ipsa ratione et definitione hypostasis et subsistentiæ superius tradita, in hunc modum. Hypostasis est subsistentia prima, tota, et perfecta, seu substantia per se et separata. Et persona est naturæ rationalis individua substantia, vel naturæ terminus, et complementum ultimum substantiale. At nullus subsistentiæ modus a parte rei ab ea distinctus, est substantia prima, integra, etc.. Cum enim dicatur esse, vel forma, vel modus; necessario est aliquid imperfectum habetque rationem partis, non totius.

Sextum.

5. SEPTIMUM ille modus in omnibus subsistentiis, suppositis et personis, est, vel simplex, vel compositus, vel in quibusdam simplex, in aliis compositus. Horum autem a modistis nihil dici posse probabitur postea.

Septimum.

Octavum. **6.** OCTAVUM. Subsistentiæ modus, naturæ, cui dicitur inesse, existentiam vel antecedit, vel sequitur, vel concomitatur. Horum nullum dici potest. Non PRIMUM. Quia existentia, ab iis, qui illam a natura re distinguunt, dicitur esse primus, intimus, et maxime immediatus illius actus, eique nihil addi potest, quod sit ea formalius, et ipsam determinet, sicut actus potentiam, *cum sit actualitas omnium actuum, et perfectio omnium perfectionum,* inquit S. Thomas q. 7. de potentia art. 2. ad 9. Non SECUNDUM. Quia existentia advenit supposito, utpote toti et enti perfecto. Suppositi enim est existere, ut pluribus docebimus infra cap. 60. Igitur, si est aliquid, est prius existentia. Nec TERTIUM. Quæ enim est ista concomitantia? Neque enim est secundum rationem, cum tota ratio hypostasis, sine existentia, et intelligatur, et definiatur; neque secundum rem, cum natura singularis et existens sine tali modo esse possit, et sine eo humanitas Christi dicatur esse.

Novum. **7.** NOVUM argumentum. Singularis et valde heteroclyta videtur natura talis modi subsistentiæ. Cum enim dicatur esse *ens,* sitne substantia, an accidens, distincte non exprimitur. Cum dicatur *actus ultimus,* et perfectio naturæ, tamen nec agendi nec patiendi principium, sed solum conditio, habetur. Cum dicatur *actus informans,* quodnam subjectum informet, an materiam, an formam, an utrumque, ignoratur, et ejus effectus formalis est incertus. Nam de eo valde certant inter se modistæ, ut videre est apud Joannem De Lugo disp. 12. de Incarnatione, sect. 3. num. 25. et 26. et seqq. ubi postquam confessus est *difficilem esse quæstionem, ejusque difficultati recentiores aliquos cedere, et in nulla sententia quietem invenire,* varios refert dicendi modos, eosque refellit. Nec meliorem ipse tradit, cum num. 53. et 54. duplicem illi tribuit effectum formalem: *Unum primarium et positivum, scilicet perficere et complere naturam substantialem, quæ secundum se incompleta erat, et exigebat sustentaculum. Alterum secundarium et negativum, eamdem, scilicet, naturam reddere incommunicabilem alteri supposito, vel substantiæ, cum sine tali modo, divina saltem virtute, alieno supposito communicari possit et materia prima alteri formæ, præter eam cui actu conjuncta est; ideoque talis modus sit terminus ultimus naturæ, quod eam sigillet, et quasi muro circumdet, ne ipsi pateat exitus ad aliam substantiam, nec ulli substantiæ pateat aditus ad ipsam.* Hæc ille.

Joannes de Lugo.

Refellitur. **8.** SED contra. Nullum ex iis, quos assignat, posse esse effec-

tum formalem illius modi, iisdem plane evincitur argumentis, quibus ostensum est supra cap. 39. num. 4. et 5. nullam formam realem hos effectus tribuere posse naturæ et substantiæ singulari, quam etiam nullo indigere fulcro ac sustentaculo monstratum est supra cap. 18. num. 18. et cap. 28. num 9.

Deinde secum ipse pugnat De Lugo. Cum enim eadem disputatione num. 77. et 78. defendat eamdem naturam virtute divina plures subsistentiæ propriæ modos simul habere posse, qui secundus adveniet naturam reperiens per primum completam et terminatam, quem ei dabit effectum formalem? quod complementum? quam incommunicabilitatem?

Præterea dicat, si potest, cur modus ille subsistentiæ materiam, quam afficit, incommunicabilem faciat potius alteri formæ quam suæ. Hanc enim potius deberet excludere, et arcere a sua communicatione; non secus, ac calor a subjecto, in quo est, frigus magis arcet, quam a subjecto externo, in quo non est. Adde quod substantiæ omnes sunt singulares ex se, et sine modo, si Deus eas illo spoliatas conservaret. Unde ipse De Lugo ibidem, fatetur ingenue *in substantiis esse incommunicabilitatem quamdam illis essentialem, ab eis indistinctam, et sine ullo modo superaddito, qua fit, ut duo Angeli, v. g. vel duæ animæ rationales, sibi invicem uniri nequeant, etiam modali subsistentia destitutæ.*

Quid autem sigillum impressum, et murus circumdans affinitatis, et similitudinis habeant, cum subsistentia modali plane non video. Murus enim est omnino extra rem, quam coercet; modus autem subsistentiæ debet esse intra. Et sigillum, si sermo sit de activo et imprimente, item extrinsecum est; si de passivo et figura recepta in corpore, est tantum in ejus superficie : modus autem subsistentiæ in tota est natura, et omnibus ejus partibus. Præterquam quod figura sigilli impressa corpori, ipsum non magis terminat, et ab alio corpore disjungit, quam quævis alia extrema ejus superficies. Quasi vero imago a sigillo aquæ impressa (imprimi enim certum est, et docet Augustinus lib. II de Trinitate cap. 2) eam magis sistat ac terminet, quam quævis alia ejus superficies. Augustinus.

9. Decimum argumentum. Nec entia, nec modi entium multiplicandi sint sine necessitate. Ille autem modus subsistentiæ re distinctus, est frustra et prorsus inutilis. Quid enim naturæ singulari et individuæ conferat? Nam necessarius, aut utilis erit ad eam, vel finiendam et terminandam, vel firmandam in esse, Decimum argumentum.

vel roborandam ad agendum, vel separandam ac distinguendam ab aliis, vel denique complendam et perficiendam : sed horum nihil præstare potest, et conferre.

Modus substantiæ non terminat naturam.

Non primum. Tum quia natura quælibet singularis, si simplex est, per se et ea entis parte ac portione quam habet, et si est composita, ut substantia naturalis, per suas partes, non secus ac propositio suis terminis, subjecto et attributo, et quantitas suis partibus, finitur. Unde et ipsa cujuscumque rei essentia et definitio, illam per suas partes declarans, terminus dicitur, a Philosopho 5. Metaphys. text. 22. *Substantia* (inquit) *uniuscujusque ac quod quid erat esse unicuique,* supple est terminus, *cognitionis enim hoc* (1. quod quid? *terminus est. Quod si terminus cognitionis, rei quoque est.* Et Anastasius Sinaita in ὁδηγῷ cap. 2. *Nominantur* ὅροι (definitiones) *quasi sint* ὁράσεις, *intuitus et oculi rerum, vel quia mentis vim paucis circumscribunt.* Tum quia dici non potest, in quo genere causæ naturam particularem modus ille terminet. An materialis? an formalis? an efficientis? an finalis? Neque enim datur quintum genus causæ, quod dicatur terminans. Adde quod Philosophus nullum agnovit naturæ terminum, præter formam, quæ et materiam ex se indeterminatam et quamlibet substantiam naturalem format, finit et ad certam speciem determinat 4. Physic. text. 35.

Anastasius Sinaita.

Responsio.

Quod si dicant naturam particularem terminare, non secus ac punctus lineam. Contra; illi termini, extremitates tantum sunt eorum, quorum sunt termini. Modus autem subsistentiæ, si datur, in tota natura, hoc est, in mediis, extremis, et omnibus cujusque substantiæ partibus, esse debet. Deinde, nec punctum a linea, nec superficies a corpore re distingui probabilius putamus; nec ergo subsistentiam a natura.

Refellitur.

Non est necessarius modus ad firmandam naturam,

10. Neque secundum, hoc est, naturam in suo esse firmare potest. Quid enim est illa naturæ firmitas, nisi major perfectio essendi? hanc autem perfectionem habet quælibet natura individua per seipsam, suaque propria entitate, et si composita est, ex suis omnibus partibus, ut ante dictum est.

nec ad agendum.

11. Neque tertium. Quam enim vim agendi, quod robur naturæ tribuat modus, res tam tenuis, ut rei, aut entis nomen, vel ipsi modistæ ei tribuere vix audeant? Deinde certum est, res agere per suos actus suasque formas, vel substantiales, vel accidentales, quæ sunt earum virtutes activæ, et non per ullos modos.

12. NEQUE QUARTUM, ita ut valeat ad dividendas et separandas naturas particulares. Hæ enim omnes, vel seipsis, ut simplices et Angelicæ, vel saltem adjuncta quantitate, ut sensibiles et materiales, ab invicem separantur, fiuntque non communicabiles. Igitur ad hoc nihil opus est modo substantiali. Deinde fingant animo (quod nos a parte rei verum esse existimamus) substantias omnes particulares, quæ sunt in rerum natura, suo illo, quem volunt, modo subsistentiæ divina virtute spoliari, semper erunt finitæ et distinctæ, et firmæ in entitate, et activæ et passivæ. Et quamvis millies misceantur ac sese tangant, (nisi continuatione unum fiant, ut in homogeneis accidit) erunt semper substantiæ per se completæ et incommunicabiles, proindeque hypostases, vel personæ. Nec ad naturas distinguendas.

13. NEQUE AD QUINTUM necessarius est; tum quia illud complementum substantiæ ad rationem hypostasis necessarium, aliud nihil est quam ipsa substantiæ totalitas; tum quia, quomodo fiat illud complementum substantiæ per modum subsistentiæ, ipsi Modistæ non dicunt; tum quia naturam sine eo incompletam esse ostendi non potest. Igitur subsistentiæ modus prorsus inutilis est. Nec ad complementum.

14. UNDECIMUM argumentum est. Subsistentiæ modus a parte rei a natura distinctus, non tantum mysterio incarnationis, ut supra ostensum est cap. 37., sed etiam toti rerum universitati, atque adeo sibi ipsi, perniciem inferre videtur. Si enim, ut volunt, est de ratione subsistentiæ modalis, naturam, quam afficit, quandiu in ea est, reddere incapacem unionis et communicationis cum altera, impossibile omnino erit materiam primam suâ partiali subsistentia affectam, ulli formæ sua item partiali instructæ, aut ullas aeris, aquæ, carnis, et cujusvis substantiæ homogeneæ partes integrantes sibi invicem uniri ad compositum naturale constituendum. Unde rerum omnium et universitatis interitus necessario consequitur. Undecimum argumentum.

15. NEQUE dixeris cum Petro Hurtado tom. 2. Philosophiæ disp. 2. sect. 7. § 74. reddere naturam incommunicabilem alteri, convenire soli subsistentiæ totali ac completæ, non autem partialibus. Id enim gratis dicitur. Et præterea de subsistentiæ modalis partibus integrantibus, si dantur, nullo modo asseri potest. Nam in totis homogeneis et similaribus, cum partes sint ejusdem nominis et naturæ cum toto, si est de essentia subsistentiæ totalis naturam, quam afficit, terminare, et simul reddere inca- Responsio. Refellitur.

pacem unionis cum alia, idem necessario efficient partiales et integrantes subsistentiæ.

Altera responsio.

16. Neque item dixeris cum Cajetano 3. part. q. 4. art. 2 et Suare t. 1. Met. disput. 34. sect. 4. num 31. quod quando partes homogeneæ, v. g. aquæ, aut sanguinis, ipsa divisione fiunt plura supposita, corrupta subsistentia totali et modali, quæ erat antea, produci novas totales in qualibet parte : quemadmodum e contra, cum multæ guttæ aquæ, v. g. simul in unam coeunt, pereunt omnes, quas habebant, modales subsistentiæ totales, novaque alia totalis succedit, et de novo producitur.

Refellitur 1.

17. Primo. Quia, cum omne homogeneum sit actu unum et potentia tantum multa, ipsa divisione aliud nihil perit quam ejus unitas et totalitas actualis, aliudque nihil actu fit aut producitur quam duæ illæ, aut plures unitates et totalitates, quæ antea erant potentia tantum.

2.

18. Secundo. Quia pari probabilitate quilibet dixerit, cum aqua in plures guttulas dividitur, novas et aquæ substantias et quantitates, et reliqua accidentia de novo produci in singulis illis partibus.

3. Non potest dici a quo producatur. Non a dividente.

19. Tertio. A quo producentur illæ modales subsistentiæ? A dividente, an a rebus divisis? Non *a dividente*: Tum quia divisio sæpe fit per quantitatem dividentis, ut cum securis secat lignum, aut lapis frangit vitrum; quantitas autem nullius rei, vel etiam modi productiva est. Tum quia, magna admodum esset illa vis dividentis, tam subito, et ad tantam sæpe distantiam modum et subsistentiæ et etiam existentiæ, ut volunt nonnulli Thomistæ, producentis.

Non a rebus divisis.

Nec *a rebus, et substantiis divisis*. Vel enim a qualibet tota; vel a cujusque partibus. Non a tota. Tum quia idem producet seipsum, et erit antequam fiat. Nam cum hypostasis aliud nihil sit, quam substantia prima, tota, et integra, si cujusque rei homogeneæ hypostasis a seipsa tota fiat, ipsum totum a seipso, et quælibet hypostasis a seipsa fiet. Deinde cum actiones generationesque omnes sint suppositorum 1. Metaphys. cap. 1, ipsa productio novæ hypostasis erit ab aliquo supposito, non alio quam seipso.

Nec *ab ipsis cujusque partibus*. Tum propter eamdem rationem Tum quia materia prima erit activa, et producet suam partialem subsistentiam modalem. Quod licet concedat Suarez supra, tamen hoc est contra communem philosophorum omnium consensum,

qui dicunt materiam primam esse potentiam puram 1. pure passivam, nihilque actus, vel activitatis habere : et pari probabilitate dicet alius, materiam primam per resultantiam suam producere quantitatem.

20. Quarto. Denique valde absurdum et paradoxum videtur, aquæ guttula e mari hausta, vel aliqua una ei addita perire immensam illam vasti maris subsistentiam modalem, et novam advenire, totumque mare, adeo notabiliter mutari. Quo eodem argumento utitur Hurtadus supra § 77. 4. Refellitur data responsio.

CAPUT L.

Proponitur et solvitur objectio de separatione hypostasis a natura.

1. Superest jam, ut quæ contra ea quæ de indistinctione a parte rei, tam hypostasis a natura, quam modorum a rebus modificatis opponi solent, plenissime dissolvamus. Sic enim fiet, ut doctrinæ a nobis traditæ veritas firma et invicta permaneat.

Primo igitur loco, plerique eorum qui relationem a fundamento, actionem et motum a termino, et subsistentiam a natura re distinguunt, hoc maxime nituntur argumento. Ea differunt realiter, quæ a parte rei, et nemine cogitante separari possunt. Ita enim docet Aristoteles lib. 7. topic. cap. 1. loc. 16. *Si potest,* inquit, *alterum sine altero esse, non erit idem ad idem.* At relatio a fundamento, motus et actio a termino, subsistentia et personalitas propria a natura separatur a parte rei, ut patet in humanitate Christi, a qua exulat personalitas humana. Igitur, etc. Objectio.

2. Majorem hujus argumenti absolute et simpliciter negant Durandus in 1. dist. 33. quæst. 1. num. 30. 33. 37. et Cajetanus 1. part. q. 28. art. 2. qui contra eam opponit instantiam de intentione et remissione caloris a parte rei, sine additione et detractione ullius realitatis : et ad auctoritatem Philosophi aliud nihil respondet, quam illam esse alterius loci. Verum Cajetani instantia falsa est. Calor enim, ut cæteræ qualitates intentionis et remissionis capaces, augetur additione et remittitur detractione alicujus gradus Responsio prima. Instantia Cajetani est falsa.

et particulæ caloris, ut, vel ipsum nomen radicationis, quo utuntur Thomistæ, satis declarat, eaque certissime est sententia Sancti Thomæ, ut pluribus aliquando ostendimus in philosophia et manifeste patet his ejus verbis, Q. de virtutibus in communi art. 11. *Ponere quod aliqua qualitas non augeatur secundum essentiam, sed augeatur secundum radicationem in subjecto, est ponere contradictoria simul esse vera.*

3. Eamdem Majorem etiam simpliciter negant Pererius. lib. septimo de rerum naturalium principiis cap. 3. et libro 13. q. 10. Toletus in cap. 3. lib. 3. Phys. q. 3. Conimbricenses ibid. q. 3. art. 3. ad 3. Sed meliores instantias contra eam proferunt. *Ea enim,* inquit Pererius, *quorum unum potest esse sine alio, etc., quamvis sit apud Scotistas certissimum ac celebratissimum axioma; tamen nec aliis viris doctis, nec vero nobis probatur. Deprehenditur enim esse falsum in materia et privatione, in quantitate et figura, in fundamento et relatione et in aliis multis, in quibus unum potest esse sine alio, nec tamen inter se differunt, secundum rem. In quo licet Scotistæ repugnent, tamen a nobis stat ratio et aliorum fere omnium auctoritas.*

Altera responsio.

Posset nihilominus illa Major concedi simpliciter, intelligendo eam, quod hoc sensu re differant, quo a parte rei separantur. At doctrinæ et majoris claritatis causa, melius forsan fuerit illam hunc in modum distinguere. Quæ a parte rei separantur proprie, primo et per se, re differunt, vera est Major; quæ separantur improprie, inadæquate et per accidens re differunt, falsa est Major; ut patet in exemplis a Pererio allatis. Quid autem sit separari proprie ac per se et quid improprie et quid per aliud, dicemus ubi ad auctoritatem Aristotelis, qua dicta Major confirmata est et quam insolutam prætermisit Cajetanus, responsum fuerit.

Explicatur Aristotelis locus.

4. Respondeo igitur admonendo et rogando eos, qui illum locum proferunt, ipsum ut consulere et caput integrum tantummodo legere dignentur. Videbunt enim Aristotelem ibi tradere locos de eodem vel diverso ratione tantum, sive ea re differant, sive non, et quibus ostendi potest, quænam sunt, vel non sunt eadem numero et se habent, sicut vestis et indumentum. Quod patet *primo,* vel ex ipsis primis verbis, libri septimi Topic. *Utrum,* inquit, *idem an diversum, secundum propriissimum eorum, qui dicti sunt, de eodem modorum, dicendum. Dicebatur autem propriissime idem, quod numero unum.* Locus autem cujus meminit, est caput 6. lib. 1.

Topic. ubi postquam divisit *idem* in tres modos, videlicet, idem *numero*, aut *specie*, aut *genere* et ea unum et idem numero definivit, *quorum nomina plura, res autem una, ut indumentum et vestis*. Postea addit, quod *unum numero indubitanter ab omnibus et maxime idem dicitur. Solet autem et hoc multipliciter assignari propriissime et primo quando nomine, vel termino idem assignatum fuerit, ut vestis indumento et animal gressile bipes homini. Secundo, quando proprio, ut disciplinæ susceptibile homini et quod natura sursum fertur igni. Tertio, quando ab accidente, ut sedens, vel musicum Socrati. Omnia enim hæc unum numero volunt significare.*

Secundo. Quia ibidem loco 13. statuit *illa non esse eadem, nisi de quibus eadem prædicantur*. At 3. Phys. text. 33. *Non eadem omnia insunt iis*, inquit, *quæ quolibet modo eadem sunt, sed solum quibus esse* (id est definitio) *idem est*. Igitur agit de eodem re et ratione.

Aristotelem. lib. 7. Top. agere de eodem et diverso secundum rationem et definitionem.

Tertio. Ut aliquid non sit idem cum alio, illa identitate de qua agit, sufficit si ratione et conceptu tantum ab illo differat, ut patet ex plurimis locis ab eo illo capite assignatis, ac nominatim ex 7. ubi ait *illa non esse eadem, quorum unum est in una categoria, aliud in altera*. At certum est, tum ex eodem in prædicamentis capite *De quali* sub finem; tum ex omnium consensu, quæ ratione tantum differunt, posse esse in diversis categoriis, ut patet in actione et passione, in relatione et fundamento.

Quarto. Quia ibidem et loco citato primo Topic. admonet omnes locos, quibus probari potest aliqua non esse idem, valere ad evertendam rei definitionem, hoc est, ad ostendendum orationem aliquam non esse rei alicujus definitionem. Ad hoc autem sufficit, si quod illa oratione significatur, ratione tantum differat a re definita, ut patet in actione et passione, relatione et fundamento. Nam cum ratione differant, unius definitio non potest esse definitio alterius. Manifestum igitur est Aristotelem ibi agere tantum de eodem re et ratione simul et de iis quæ se habent sicut vestis et indumentum.

5. Neque vero ex eo quod aliqua illo modo eadem non sint, atque adeo sint diversa, sequitur utroque sensu, id est, tam re quam ratione debere esse diversa. Ita enim argumentari, ut jam monuimus supra cap. 32. num. 9. est committere fallaciam consequentis, qua ex negatione antecedentis, negatur consequens; ut ex negatione hominis, vel rationalis, negatur animal. Ut enim

aliquid non sit idem, identitate de qua agit philosophus, sufficit si ratione idem non sit, nec potest inferri debere etiam re esse non idem.

Probatur allata distinctio.

6. Venio nunc ad datam duplicis separationis distinctionem exponendam. Ac in primis, ne recens gratisque ficta et excogitata videatur, eam ab omnibus necessario admittendam esse sic ostenditur. Rerum naturalium in fieri tria esse principia, philosophi omnes auctoritate, ratione et experientia edocti, uno ore confitentur, traduntque verissima esse, quæ scribit Aristoteles 1. Physic. text. 60. his verbis. *Ex omnibus quæ fiunt hoc est accipere, si quis inspexerit, sicut dicimus, quod oportet aliquid subjici, quod sit et hoc, etsi numero unum, at forma non unum. Forma enim dico et ratione idem. Non enim idem est homini et immusico esse. Et illud quidem permanet. Hoc vero non permanet. Etenim non oppositum permanet. Homo enim permanet. Musicum autem et immusicum non permanet, etc.* Quibus ex verbis tria colliguntur, ad id de quo agimus maxime pertinentia, ab omnibus necessario admittenda.

Tria colliguntur ex verbis Aristotelis.

7. Primum. Distingui *forma, seu formaliter,* idem esse ac distingui ratione, conceptu, definitione, esse, seu essentia. Nihil enim aliud unquam apud Aristotelem, aut S. Thomam, quos, ut pote optimos terminorum et auctores et interpretes maxime sequimur, hoc loquendi modo significari reperias.

Secundum. Non solum id quod re, sed interdum etiam id quod ratione tantum differt ab aliquo, hoc permanente, posse, a parte rei non permanere, seu posse cessare, ac desinere; quod est unum ab alio quodammodo a parte rei separari.

Separatio simpliciter.

8. Tertium. Duplicem aut etiam multiplicem necessario distinguendam esse a parte rei separationem. Unam *simpliciter propriam, per se primo et non ratione alterius,* cum nimirum sunt duæ res et duæ entitates a parte rei, vel actu divisæ, si est separatio actualis, ut duo lapides, duæ guttæ aquæ actu divisæ, vel saltem separabiles per se et potentia duæ, ut materia et forma in composito, accidens et subjectum et partes in continuo, quæ cum sint tantum potentia multæ, divisæ et separatæ, sunt etiam solum re distinctæ potentia.

Separatio secundum quid.

Alteram vero *secundum quid, impropriam et per aliud,* cum quid ab alio separatur per partem, seu ratione alicujus, quod in adæquata sua ratione includit, vel cujus præsentia ab eo tollitur et absentia in eo ponitur. Quod exemplis melius, quam ulla defi-

nitione declarabitur in rebus, tam negativis quam positivis, tam absolutis quam relativis.

Exemplis declaratur in negativis.

In negativis quidem. Cæcitas enim, v. g. separatur ab oculo, non per se, sed per aliud; nempe per positionem facultatis videndi, eidemque advenit et in eo manet per absentiam ejusdem facultatis. Pari modo tenebræ aeri, surditas auri et universim omnes privationes et negationes a parte rei et adveniunt subjectis suis et ab eis recedunt, non per se, sed per præsentiam vel absentiam formæ, quam negant.

In positivis.

In positivis etiam et absolutis. Nam a linea pedali pedalitas sola adjectione alterius pedis et a puero parvitas separatur cum augescit : et doctissimus ac ditissimus quis esse desinit, nulla vel scientiæ, vel divitiarum jactura, sed si solum doctior, aut ditior superveniat. Plura et varii generis exempla retulimus supra cap. 23. ubi ostendimus quomodo hypostasis, natura manente, pereat, quod est additione et per aliud separari a natura.

In relativis.

9. In relativis item. Quia relatio quæ ex probabiliori sententia re eadem est cum suo fundamento, ab eo separatur, non per se, sed per aliud; nempe per destructionem termini quem vel includit, vel connotat. Eadem enim realitas, quæ ut habet partes extra partes, est quantitas; et ut tanta, quanta est alia, est æqualitas, vel hac alia destructa, vel tantum eidem addita aliqua particula qua fit major, desinit esse æqualitas, et a fundamento separari dicitur, nullius rei intrinsecæ jactura. Separari igitur relationem a fundamento, non est quidquam detrahi de fundamento, ejusque realitatem minui, cum tota maneat, aut amittere formam aliquam intrinsecam ei inhærentem, sed est illam realitatem fundamenti, quæ antea erat ens, non solum absolutum, scilicet quantitas, sed etiam relativum, scilicet æqualitas, existente alia quantitate, quam respiciebat, hac destructa, vel aucta non amplius eam respicere, seu non amplius esse, nec concipi posse, ut ens relativum, et ut æquale; quod est æqualitatem perire, per aliud et per accidens. Nam, ut ait S. Thomas quæst. 7. de Potentia art. 8. ad 5 : *Cum fieri sit proprie mutari, non est secundum relationem, nisi per accidens, scilicet, mutato eo ad quod consequitur relatio; ita nec fieri. Corpus enim mutatum secundum quantitatem fit æquale, non quod mutatio per se æqualitatem respiciat, sed per accidens se habet ad ipsam. Et tamen non oportet, quod ad hoc quod de aliquo relatio aliqua de novo dicatur, quod aliqua mutatio in ipso*

S. Thomas.

fiat, sed sufficit quod fiat mutatio in aliquo extremorum. Causa enim habitudinis inter duo, est aliquid inhærens utrique. Unde ex quacumque parte fiat mutatio illius, quod habitudinem causabat, tollitur habitudo, quæ est inter utrumque. Hæc ille : qui hujusce rei rationem universaliorem clare exponit, ibid. in corpore articuli, ubi probat multitudinem relationum in aliquo, non esse contra ejus simplicitatem, nec facere compositionem cum eo. Imo quanto aliquid simplicius est, tanto plures relationes ipsum concomitantur; cum virtus ejus, quo simplicius est, sit minus limitata, atque adeo ejus causalitas ad plura se extendat. Hæc autem sunt ejus verba. *Quod attribuitur alicui, ut ab eo in aliud procedens, non facit compositionem cum eo, sicut nec actio cum agente et propter hoc etiam probat Philosophus* 5. *Physic. text.* 18. *quod in ad aliquid non potest esse motus, quia sine aliqua mutatione ejus quod ad aliud refertur, potest relatio desinere, sola mutatione alterius, sicut etiam de actione patet, quod non est motus secundum actionem, nisi metaphorice et improprie, sicut exiens de otio in actum mutari dicimus. Quod non esset, si relatio, vel actio significaret aliquid in subjecto manens.*

Explicantur propriæ rationes

10. Idem patet in motu, actione et passione, quæ a termino, cum quo ex parte re idem sunt, separantur a parte rei secundum quid, inadæquate, per partem et per aliud. Eadem enim entitas caloris v. g. quæ prout est ab igne in aqua, vel, ut utar verbis Aristotelis 3. Physic. text. 20. *Actus ab hoc in hoc,* actio seu calefactio activa, et est et dicitur, constituitque ignem vere a parte rei agentem, et calefacientem : et prout est in aqua ab igne, vel *actus in hoc ab hoc,* est passio; seu calefactio passiva, et ab ea aqua pati, et calefieri dicitur : eadem, inquam, entitas caloris, prout est actus et mobilis quatenus mobile est, et alterabilis ac calefactibilis quatenus alterabile et calefactibile est, seu prout adveniens aquæ illam facit formaliter transire a non calida ad calidam, atque adeo quæ est propria ratio mutationis, alio modo a parte rei se habere quam ante, alteratio et motus calefactionis dicitur. Denique illa eadem caloris entitas, ut motum illum terminat et sistit, facitque subjectum eo modo se habere, quo ante, et illud qualificat denominatque calidum, est et terminus motus et quies subjecti et qualitas caloris. Hæc una et eadem a parte rei entitas caloris, eadem in se manens, nihilque prorsus intrinsece variata, a parte rei actio et passio, seu calefactio activa, et passiva ab igne esse

Actionis

Passionis

Motus

Termini seu quietis.

Et quomodo separentur à parte rei.

desinit, cum primum a parte rei non est amplius ab igne, eo vel extincto, vel non influente, simulque et ignis non agere in aquam, et aqua ab illo non amplius pati dicitur. Et simul desinit esse motus, cum non facit formaliter transire aquam de non calido ad calidum, nec aliter, sed similiter, et eodem modo se habere ac antea, manetque et quiescit in ea. Ita et distinctionem et separationem motus a termino, actionis ac passionis ab eodem, et etiam a motu exponunt S. Thomas 3. Phys. lect. 4 et 5. 1. part. quæst. 41. art. 1. ad 3. et quæst. 45. art. 2. ad 2. Alensis in text. 26. lib. 5. Metaphys. Armandus de Bellovisu libro de declaratione terminorum cap. 190. Contarenus lib 7. suæ primæ philosophiæ circa medium, et cæteri omnes, qui tenent actionem non esse formam a termino distinctam a parte rei.

S. Thomas. Alensis. Armandus. Contarenus.

11. Porro ad pleniorem prædictorum omnium intelligentiam et majorem confirmationem quatuor aut quinque juverit hic adnotasse.

Primum. Quod, cum idem et diversum sint modi ac proprietates entis, quemadmodum ens aliud est reale, aliud rationis, et aliud ens in potentia, aliud in actu; ita rerum et identitas et diversitas, seu separatio, alia est realis, alia rationis tantum et quoad conceptum seu definitionem, alia actu, alia potentia tantum.

Idem et diversum multiplex.

12. Secundum. De rerum separatione, eodem modo philosophandum esse, quo de earum, vel identitate, vel diversitate; cum separatio aliud nihil sit, quam quædam illarum divisio ac diversitas. *Diversum autem, differens et distinctum,* licet sæpissime indiscriminatim et pro eodem usurpentur, non secus ac *diversitas, differentia ac distinctio,* quæ sunt illorum abstracta; tamen pressius sumpta hoc inter se discrepant, quod *diversum* latius pateat *differenti :* cum omne differens *sit diversum,* non e contra, ex Philosopho 10. Metaphys. t. 12. *Differentia,* inquit, *et diversitas aliud est. Diversum namque et illud a quo diversum, non est necesse aliquo esse diversum. Omne enim quodcumque sit ens, aut idem aut diversum est. Differens vero ab aliquo, aliquo differens est.* Itaque differentia species quædam est diversitatis, ut contrarietas, differentiæ. Est enim contrarietas differentia maxima et perfecta, ut ait et probat Aristoteles ibid. text. 14. *Cum autem contingat,* inquit, *quæ differunt invicem differre, et plus et minus, est etiam quædam maxima differentia, et hanc dico contrarietatem.* Perfectam autem esse probat, quia est maxima,

Diversum et differens non sunt idem.

et maximam, quia ultimorum est sub eodem genere. *Distantia vero ultimorum maxima est.* Unde infert text. 14. *quod non contingit uni plura contraria esse. Nec enim ultimo ulterius aliquid est. Nec unius distantiæ plura quam duo ultima.* Hæc ille.

Separatio simpliciter et secundum quid.

Ex his confirmata manet supra allata divisio distinctionis et separationis, in eam, quæ est simpliciter et adæquata, qua se totis aliqua sunt diversa et distinguuntur (distinctum enim et diversum idem sunt apud Aristotelem) et in eam quæ est secundum quid et inadæquata, qua pleraque non se totis, sed tantum per partem, et per aliquid sui ab alio differunt, et cum eodem per aliquid sui conveniunt, ac identificantur. Quo modo totum a qualibet sua parte, relatio a fundamento, actio, passio, motus a termino differunt et separantur.

13. Tertium. Discrimen assignatum inter diversum ac differens, atque adeo divisionem separationis ex toto, vel ex parte, locum habere, tam in iis, quæ re, quam quæ ratione solum differunt. Ut enim quædam *se totis re* differunt, ut substantia et quantitas, leo et equus : alia *ex parte tantum*, ut ignis a ligno ex quo excitatus est, quocum in materia convenit et forma differt realiter, et domus ex ruina alterius excitata. Ita quædam *se totis ratione* differunt, quæ primo diversa dicuntur, ut categoriæ omnes. Quædam *ex parte tantum ratione* differunt, ut species ejusdem categoriæ, quæ genere conveniunt, et per differentias distinguuntur. Quædam item re differunt, et ratione sunt idem, ut individua a parte rei diversa, quæ ratione, id est, specie ac genere idem sunt. Quædam contra se totis re idem sunt, et ratione se totis differunt, ut ens et unum, ut actio et passio, acclive et declive, via Thebis Athenas, et Athenis Thebas, ac similia.

In quibus reperiatur.

14. Quartum. Aliqua separari proprie, et per se ab invicem non est ea loco et situ ab invicem sejungi. Duo enim corpora penetrative posita realiter, et proprie ab invicem separata sunt, non tamen loco; et anima rationalis suo corpori præsens esse posset, nec tamen ei unita. Et idem corpus in duobus locis positum non propterea est separatum a se.

Quæ proprie separantur debent esse positiva.

Neque item proprie est unum existere, alio non existente. Tum quia sequeretur ea quæ nunc sunt, ab iis quæ non sunt, actu et proprie separata esse, et actu diversa ab illis. Propria enim separatio est duorum actu existentium : tum quia sicut, *extrema contradictionis absolute*, id est oppositionis inter ens et

non ens extra subjectum consideratæ, *non sunt realiter diversa, quia non ens non est aliqua res, sed sunt realiter non eadem,* inquit Sanctus Thomas opusc. de oppositis cap. 3. Ita nec diversitas proprie est inter ea, quorum unum est, et aliud non est. Tum quia, sicut idem et aliud, seu diversum, ex Philosopho lib. 10. Metaphys. text. 11. sunt opposita non contradictorie, sed contrarie, quia oppositionis contradictoriæ alterum extremum verificari debet, tam in entibus, quam in non entibus. Idem autem et diversum dicuntur solum de iis quæ sunt, cum quod non est, verius dicatur, non idem, aut non diversum ab eo quod est, quam idem, aut diversum; ita quæ sunt diversa, ut sic, duo sunt opposita, non contradictorie, sed relative; unde utrumque debet esse ens positivum.

15. Quintum. Cum de aliquorum identitate vel diversitate agitur, ne errore labamur, diligenter advertendum et subtiliter discernendum, qua identitate eadem, et qua diversitate sint diversa, quaque separatione ab invicem separari possint. Hæc enim multiplex est, et ut patet ex antedictis. Alia est realis, alia rationis tantum, alia propria, alia impropria, qualis est separatio privationis a materia, subsistentiæ a natura; alia simpliciter, per se primo, et adæquata, qua res se totis differunt, et separantur; alia secundum quid, inadæquata, et per aliud, seu per partem; alia actu; alia potentia tantum. Quæ postrema non ita intelligenda est, quasi ea potentia tantum differant, et separata sint, quæ actu non sunt, sed potentia tantum, aut quorum unum sit actu, aliud non sit; sed etiam cum utrumque actu existit, ita tamen, ut non sint actu multa, nec actu divisa et separata. Quæ enim talia sunt, non dicuntur proprie actu diversa, sed actu unum, et potentia multa ut partes in toto. Quod de partibus continui locis innumeris affirmat Aristoteles, et de partibus essentialibus, materia et forma in composito naturali existentibus expresse tradit 1. Physic. text. 21. lib. 2. de Anima text. 7. lib. 7. Metaphys. text. 49. *Impossibile est substantiam ex substantiis esse, quæ sic insunt, ut actu. Quæ enim duo sic actu sunt, nunquam unum actu sunt : sed si potentia duo sunt, erunt unum, ut duplum ex duobus dimidiis potentia. Actus namque separat.* Et lib. 8. textu ultimo. *Est autem, ut dictum est, ultima materia et forma idem.* Quod ipsum etiam diserte docent Themistius, Simplicius, Averroes, Sanctus Thomas, aliique peripatetici in loca citata

Separatio multiplex.

Quæ dicantur potentia multa.

Aristoteles.

Averroes.

Aristotelis, et præsertim in text. 21. lib. 1. Phys. ubi hæc Averroes. *Totum est unum actu, et plura potentia, quemadmodum quæ sunt plura actu, possunt esse unum potentia.* Et in locum citatum lib. 2. de Anima : *Si materia et forma essent in composito existentes in actu, compositum non diceretur unum, nisi sicut in rebus, quæ sunt unum secundum contactum, et ligamento. Modo autem, quia materia non differt a forma in composito, nisi potentia, et compositum non est actu, nisi per formam, compositum non dicitur unum, nisi quia sua forma est una.* Idem docet Alensis in locum citatum 8. Metaphys. ubi ex professo disputans, an actus et potentia sint duo, defendit non esse duo, sed unam entitatem, et Armandus de Bellovisu lib. de declaratione terminorum cap. 19. et 22. et alii plurimi; quod etiam nos in philosophia pluribus aliquando demonstravimus.

Alensis.

Armandus.

CAPUT LI.

Eadem objectio a Scoto aliter proposita, aliter etiam solvitur.

1. Cum eadem, vel objectio, vel propositio Major in alia materia a Scoto, Aureolo et quibusdam aliis, verbis aliis proponatur, quibus nonnulli magis turbari et impediri videntur, non inutile fortasse fuerit eamdem etiam verbis aliis solvere et explicare. Sic enim magis apparebit ex ea duci argumentum non demonstrativum, ut quidam putant, sed deceptivum.

Scotus.

2. Sic igitur a Scoto in 2. dist. 1. q. 1. num. 5. ut probet relationem re distingui a suo fundamento, proponitur. *Nihil est idem realiter* A *sine quo* A *potest esse realiter,* id est, ut postea clarius dicit, illa sunt distincta realiter, quorum unum potest manere sine altero. Ab Aureolo autem, Quodlibeto 2. art. 1, propositione 3. ut probet actionem et passionem re distingui a termino, ita concipitur : *Idem non potest separari a seipso,* vel *idem non potest esse sine seipso :* at fundamentum sine relatione, et terminus sine actione et passione esse possunt. Igitur re differunt.

Aureolus.

Rationes quatuor Scoti.

3. Hujus argumenti Majorem, etsi a nemine, nisi protervo, negari

posse dicat Scotus, ad eam tamen fulciendam quatuor adhibet rationes. 1. quia alioqui idem simul esset et non esset realiter; quod est contra primum principium omnis scientiæ et veritatis. *Impossibile est idem esse et non esse.* 2. Quia, si a protervo negetur, nullus superest locus probandi realem rerum distinctionem, nec ostendi poterit ullum accidens a substantia, vel Socratem a Platone re distingui. 3. Quia illius negatio perimit totam doctrinam Philosophi lib. 7. Topicorum, ubi docet omne problema omnemque thesim facile destrui, inuenta, hoc est, evidenter cognita et probata ejus contradictoria. 4. Quia hac via Philosophus probat, et materiam primam esse aliam rem a forma lib. 1. Phys. et locum esse aliud a locato lib. 4. quod maneat materia eadem sub formis oppositis, et idem locus, diversis in eum locatis sibi succedentibus. Igitur prædicta Major vera est.

4. Verum pace Scoti dixerim, illa propositio Major a plerisque, non protervis, sed magnis et modestia, ingenio, ac etiam doctrina, omnium judicio, summis theologis ac philosophis, quorum aliquos supra nominavimus, simpliciter negatur. Quamvis, ut diximus, melius forsan et consultius fuerit eam distinguere, uti jam fecimus, vel ea distinctione, quam statim subjicimus, præmissis duobus ad claram ejus intelligentiam necessariis.

5. Unum est quod forma rei alicujus, est non solum ea pars totius quæ alteram informat, ut est anima respectu corporis; sed etiam ipsa rei totalitas et compositio in abstracto sumpta, est forma respectu entitatis partium, ac etiam ipse realis ordo, seu habitudo unius entis ad aliud, est veluti forma illorum duorum, cum quibus unum aliquod ens prædicamentale constituit. Neque enim domus est tantum lapides, ligna, tegulæ, sed ista omnia, eo quo debent ordine et situ inter se disposita : et B A syllaba non est solum B et A, sed hæ duæ litteræ, illo quo sunt ordine positæ. Nam si A ponatur ante B erit aliud totum, nempe A B; si A supra, aut infra B, nullum tunc erit totum grammaticale. Igitur B A syllaba, ex sua essentia et ratione propria, dictum ordinem situmque litterarum postulat. Qui ordo vere est a parte rei, eoque sublato, quamvis litteræ maneant, B A syllaba perit. Atque hinc est quod Philosophus lib. 5. Metaphys. text. 2. et 3. lib. 2. Phys. text. 28. proportionem duplam duorum ad unum, et textu 31. totalitatem et compositionem enumeret inter causas formales rei, et ipsas partes inter causas materiales.

Quæ habeant rationem formæ.

Aristoteles.

6. Alterum est totum aliquod dupliciter perire posse, vel *totaliter* cum nihil ejus remanet in rerum natura, ut si Deus annihilaret hominem, ita ut nihil corporis, vel animæ superesset; vel *non totaliter, sed ex parte tantum*, idque, aut destructa una ejus parte, remanente altera, ut fit in corruptione naturali, remanente materia; aut utraque parte remanente, et sublata tantum earum inter se, vel unione intrinseca, vel habitudine, et certo quodam reali ordine proprio, in quo consistat formalis ratio, et totalitas essentiæ rei, ut in actione, passione, et rebus artefactis. Totalitas enim domus, v. g. non consistit in sola entitate lapidum, lignorum, tegularum, et aliarum rerum, quibus constat, sed maxime et formaliter in illo earum ordine, qui in domo cernitur; et actio, seu agere, non est sola res, quæ agit, et ea quæ agitur, sed est illas esse cum tali ordine, et ea habitudine qua illa det huic esse, vel hæc quasi exeat ab illa, sitque in rerum natura per illam; et esse in loco, non est solum corpus, quod locatur, et locum esse in rerum natura; sed præterea est continentia realis rei quæ locatur a superficie locante.

Quid actio.

Quid esse in loco.

7. His præmissis, et suppositis iis, quæ capite præcedenti de variis distinctionis et diversitatis modis exposita sunt, ad argumentum Scoti respondetur, distinguendo Majorem hunc in modum. *Nihil est idem realiter* A, *sine quo* A *potest esse realiter,* hoc sensu quod nihil adæquate, se toto, per se primo potest esse idem realiter A, sine quo A adæquate totum, et per se primo potest esse realiter; vera est Major et concedenda. Nihil vero inadæquate, secundum quid, et per partem potest esse idem realiter A sine quo A inadæquate secundum quid, et per partem potest esse realiter; falsa est Major et neganda. Cum hoc aliud nihil sit, quam unam totius partem existere posse, altera ejus parte, ipsoque toto non existente, ut animam existere ipso homine, vel corpore, altera hominis parte, non existente. Nam quemadmodum, ex Philosopho 4. Physic. text. 24. 25. et seqq. idem potest esse in seipso, per aliud et per partem; cum per unam sui partem est, in alia, ut homo est in seipso, ratione animæ, quæ est in suo corpore; non potest autem esse in seipso primo, et per se, id est, in seipso toto : Ita idem non potest esse sine seipso per se, et toto, nec separari a seipso primo, et per se; potest autem, et esse sine seipso, per aliud ac per partem, et separari a seipso inadæquate, et per aliud, ut dictum est. Jam vero relatio, manente solo fundamento, et actio, solo

Responsio ad argumentum Scoti.

remanente termino, inadæquate tantum, ac per aliud, seu per partem remanent, ut dictum est capite præcedenti. Igitur non sequitur relationem a fundamento, et actionem a termino adæquate, et se totis a parte rei distingui.

Responsio ad primam rationem.

8. Ad primam autem dictæ Majoris confirmationem Scoti negandum est ex ea, illo sensu, quo negata est, sequi eversionem veritatis primi principii scientiarum omnium. Quia contradictio vera, ex S. Thoma opusc. 39. cap. 11. est oppositio unius et ejusdem, non rei tantum, sed rei et nominis, secundum idem ad idem, eodem modo, et eodem tempore. Illa autem propositio Major, prout a nobis negatur, non est affirmatio et negatio ejusdem secundum idem, et eodem modo; quia, solo remanente fundamento, relatio est inadæquate secundum fundamentum, et non est inadæquate secundum terminum, quod est relationem esse secundum quid, nempe ratione fundamenti, et non esse simpliciter, quia non est tota : non secus ac domus, solo ejus existente fundamento secundum quid, et ex parte tantum esse dicitur, simpliciter autem est tecto fastigioque imposito. Eademque est ratio actionis, passionis, et similium.

Ad secundam.

9. Ad secundam confirmationem. Negandum item ex eadem Majori, illo quo diximus sensu, negata, intercludi viam probandi realem distinctionem rerum : tum quia semper verum erit, quæ ab invicem separantur, secundum quod separantur, re differre, et vicissim, quæ realiter differunt, secundum quod re differunt, posse ab invicem separari : tum quia, quæ realiter differunt, sunt vel actu unita vel actu ab invicem divisa et separata. Si primum ex eorum se paratione, sive adæquata, sive inadæquata, et secundum id quod separantur, quando notior est, recte probatur distinctio realis unius ab alio. Ita enim realem distinctionem materiæ a forma, et accidentis a subjecto, et principiorum in substantia naturali pluralitatem, hoc est, eam esse compositam, ex mutatione recte probat Philosophus 1. Phys. text. 64. et 65. et loci a locato 4. Phys. text. 17. et 36. Si secundum, et ejusmodi realis distinctio, ac separatio est evidentissima, ut solis a luna, Petri a Paulo, ejus probationem petere est hominis, inquit Philosophus 2. Phys. text. 6. *non valentis distinguere, quod per se notum est, ab eo quod non est per seipsum notum.* Nam ut ait idem 8. Phys. text. 22. *dimittentem sensum, rationem quærere infirmitas quædam est intellectus.* Licet enim, negata simpliciter propositione Majore Scoti, æque ac ille hunc possimus formare et construere syllogismum : *Quæ realiter*

separantur re differunt; sol et luna, Petrus et Paulus re separantur; ergo re differunt et non sunt idem. Tamen hujusmodi discursus nihil probat, quia ejus conclusio nobis nostroque sensui, vel notior, vel saltem æque nota est ac præmissæ. Omnis autem vera et bona probatio, est ignoti, aut minus cogniti, ex notiori illatio.

Ad tertiam.

10. Ad tertiam confirmationem negandum est, ex prædicta Majore, eo sensu quo a nobis negata est, doctrinam Philosophi lib. 7. Topic. ulla ex parte lædi, aut etiam tangi.

Ad quartam.

11. Ad quartam confirmationem responsio patet ex antedictis. Recte enim Philosophus locis citatis, realem et totalem materiæ a forma, et loci a locato distinctionem ex integra et adæquata eorum separatione ostendit.

Non debet dici demonstrativum argumentum.

12. Quibus ex omnibus patet Primo prædictum Scoti argumentum, nullo modo demonstrativum esse, sed laborare æquivocatione, quæ, adhibita distinctione, sublata est. Adde quod, ut bonus esset syllogismus, non tamen est demonstratio; quia neque est a priori, cum separatio quorumdam non sit causa distinctionis realis eorumdem : neque a posteriori. Quia eadem separatio non est effectus, præsertim necessarius, distinctionis realis eorum quæ separantur : imo ea sæpe mutuam sibi unionem magis quam separationem appetunt, ut materia et forma, accidens et subjectum, saltem sunt indifferentia ad unionem et ad separationem. Nec denique est demonstratio per deductionem ad impossibile; cum nullum recte inferat, ut constat ex dictis.

13. Patet Secundo hanc secundam responsionem verbis solum et loquendi modo discrepare a tradita superiore capite. Nam sicut separari ab aliquo, et esse sine eo, hic pro eodem sumuntur : ita idem est separari simpliciter, et esse adæquate sine seipso; et separari secundum quid a seipso, idem est quod secundum quid et inadæquate esse sine seipso. Quorum primum est non tantum falsum, sed etiam impossibile. Secundum vero est et possibile, et verum in omnibus rebus compositis.

CAPUT LII.

Cur ex duobus conceptibus objectivis, ratione tantum distinctis et in eadem entitate fundatis, uno manente, alter a parte rei interdum pereat et ab alio quodammodo separetur.

1. Hac de re dictum aliquid est supra cap. 23. cum ostenderemus quomodo subsistentia, ratione tantum distincta a natura, ab ea tamen a parte rei separetur, nullius formæ intrinsecæ jactura; sed per solam additionem et unionem Divinitatis cum ea. Ad cujus doctrinæ confirmationem, et plurimarum difficultatum, quæ in philosophiæ et theologiæ scholis satis hoc tempore celebres sunt et valde controversæ, claram intelligentiam perfectamque dissolutionem; placet nunc rem altius repetere, et universim pertractare. In quo nec labor inutilis, nec diligentia nimia esse potest. Cum enim, ut ait Plato in Politico, *Festinatio solidæ sit noverca scientiæ;* tum maxime, cum de primis et generalibus scientiarum principiis agitur, quale est illud in quo versamur, de rerum identitate, aut diversitate, earumque separatione. Plato.

2. Cur igitur ex duobus, aut pluribus conceptibus objectivis in una entitate fundatis, et ratione ab invicem distinctis unus per se, superstite altero, unaque denominatio cesset, manente altera, absque eo quod ulla rei pars, vel forma intrinseca re, aut modaliter ab ea distincta, pereat ac separetur, ratio a priori, primaque radix hujusce rei videtur esse, *ipsarum rerum et creaturarum limitatio, mutabilitas, imperfectio.* Quia enim creata omnia, et entitatis et virtutis ac perfectionis finitæ sunt, perfectione crescere, aut decrescere, atque adeo mutari possunt; ideoque potest una earum perfectio, sive imperfectio, et ex consequenti una denominatio ab altera sejungi ac separari. Ratio petitur ex creaturarum finitate.

3. Mutari autem res creatæ, eisque aliquid, vel addi, vel detrahi potest dupliciter. Primo *intrinsece* per modum, vel formæ inhærentis, ut scientia animæ, vel partis, ut cum augetur linea additione

alterius, et vivens augmento; vel etiam per modum totius, ut cum linea puncto jungitur, et in Incarnatione, in qua Divinitas adjuncta est naturæ humanæ; vel sine ulla additione, per solam mutationem ordinis partium ejusdem rei, ut cum partes aquæ intra ipsam aquam moventur, aut cera eadem varie conformatur, aut aliis etiam modis. Verissimum enim est, quod ait Philosophus 8. Met. text. 10. *Quod quemadmodum ablato aut addito aliquo ex quibus numerus est, non est amplius idem numerus, sed diversus, etiamsi minimum auferatur, vel addatur; ita definitio, nec ipsum quid erat esse, erit amplius, ablato aliquo, aut addito.* Deinde manifestum est, quod quæ sunt, non uno eodemque tantum modo producuntur et mutantur, *sed alia quidem,* ut habet 1. Phys. text. 63. *fiunt transfiguratione, ut statua ex ære; alia appositione, ut quæ augmentantur; alia subtractione, ut ex lapide Mercurius; compositione alia, ut domus; alia vero alteratione, ut quæ vertuntur secundum materiam.*

Addi variis modis aliquid alteri potest.

Aristoteles.

4. Secundo. Rebus creatis addi aliquid, vel detrahi potest *extrinsece,* idque variis modis, ut S. Thomas subtilissime et plenissime declaravit, quæst. 7. de Potentia, art. 9. in corpore his verbis : *Perfectio et bonum, quæ sunt in rebus extra animam, non solum attenditur secundum aliquid absolute inhærens rebus, sed etiam secundum ordinem unius rei ad aliam, sicut etiam in ordine partium exercitus, bonum exercitus consistit; cui ordini universi ordinem comparat Philosophus 12. Metaphys. t. 52. Ordinatur autem una res ad aliam, vel secundum quantitatem, vel secundum virtutem activam, seu passivam. Ex his enim duobus solum attenditur aliquid in uno respectu extrinseci. Mensuratur enim aliquid, non solum a quantitate intrinseca, sed etiam ab extrinseca.*

Extrinsece multis modis aliquid alteri additur.

Per *virtutem etiam activam unumquodque agit in alterum, et per passivam patitur ab altero. Per substantiam autem et qualitatem ordinatur aliquid ad seipsum tantum, non ad alterum, nisi per accidens, scilicet secundum quod qualitas, vel forma substantialis, aut materia habet rationem virtutis activæ, vel passivæ et secundum quod in eis consideratur aliqua ratio quantitatis : prout unum in substantia facit idem et unum in qualitate simile, et numerus, sive multitudo dissimile et diversum in eisdem, ac etiam dissimile secundum quod aliquid magis vel minus album consideratur. Sic enim albius aliquid altero dicitur. Et propter hoc*

Philosophus 5. *Metaphys. text.* 20. *assignans species relationum, quasdam ponit ex quantitate causatas, quasdam vero ex actione et passione. Sic ergo oportet quod res habentes ordinem ad aliquid, realiter referantur ad ipsum, et quod in eis aliqua res sit relatio.* Hæc S. Thomas, quæ desumpsisse videtur ex loco citato Metaphys. Aristotelis.

5. Quæ doctrina, ut distinctius a nobis explicetur, advertendum est, quod ordo rerum inter se, *cujus natura est causa in omnibus* 8. Phys. text. 15. quique *est propria sensibilium natura,* lib. 3. de Cœlo text. 24. non est sine multitudine et distinctione aliqua eorum, quæ ordinata sunt, ut notat S. Thomas q. 10. de potentia art. 3. in corpore. Ex quo fit, ut cum duplex sit in universum multitudo et distinctio, una *potentialis,* seu partium in toto, præsertim quantitativo; altera *actualis,* quæ est inter ipsas res actu distinctas, et inter ipsa tota; *quod enim aut divisum, aut divisibile est, multitudo quædam dicitur,* ex Philosopho lib. 10. Metaphys. text. 9. Propterea etiam duplex distinguendus est ordo, unus *intrinsecus et potentialis,* qui est ipse situs, et ipsa positio partium cujusque continui, earumque adinvicem habitudo in ipso toto. Alter est *extrinsecus et actualis.*

Ordo duplex

Potentialis et intrinsecus.

Actualis et extrinsecus.

6. Qui adhuc duplex est. Unus mensurabilis ad mensuram, seu quantitatis ad alteram, vel permanentis ad permanentem, ut ulnæ ad pannum, loci ad locatum, vasis ad rem eo contentam, aut ponderis ad aliud pondus; vel successivæ ad successivam, ut temporis, seu motus cœli ad alios motus, vel etiam ad quietem, seu durationem rerum naturalium, earumque permanentiam in esse. Nam per quamlibet quantitatem nobis cognitam, alterius extensionem et perfectionem cognoscere possumus : quod est ipsam metiri per aliam. Ex quo ordine oriuntur omnes proportiones æqualitatis, vel inæqualitatis inter res quantas. Ad hunc autem ordinem extrinsecum mensuræ et mensurabilis refertur ordo, seu relatio identitatis et diversitatis in substantia, similitudinis et dissimilitudinis in qualitate, ex S. Thoma supra.

Mensuræ ad mensurabile.

7. Alter vero ordo extrinsecus est potentiæ activæ ad passivam, et vicissim passivæ ad activam, vel agentis ad patiens, et patientis ad agens. Nam et una potentia definitur in ordine ad alteram. Activa enim a Philosopho definitur. 5. Metaphys. text. 17. *Principium motus aut transformationis in altero, prout alterum est.* Passiva vero, *quæ ab altero, prout alterum est, trans-*

Potentiæ activæ ad passivam

mutari potest, et secundum quam, id omne quod patitur, aliquid patitur.

Quomodo relatio ordinis pereat.

8. JAM VERO extrinsecum illud rerum creatarum bonum, illaque ordinis perfectio, ut acquiri, sic amitti potest, sine ullius formæ modique realis intrinseci jactura. Nam si destruatur una quantitas, manente altera, hæc, eadem in se omnino manens, amittet conceptum mensuræ et relationis, sive æqualitatis, sive inæqualitatis, quam ad illam habebat : et si pereat potentia passiva, sublato eo in quo est, in altero nihil prorsus in se immutato, peribit potentia activa in illud. Nam si nullum esset calefactibile, ignis non esset calefactivus; si nullus esset visus, calor existens non esset visibilis, et figura sphærica a globo cereo tolli potest, non solum excisa ab eo aliqua particula, aut alia ei superaddita, sed si cera illa ex rotunda fiat cubica, sola transpositione, et mutatione ordinis ac positionis extremarum illius partium : eademque cera spherica et æqualitatem et similitudinem, quam habet cum alia, amittet, hac alia destructa.

CUM igitur cujuslibet rei creatæ perfectio consistat, non solum in eo, quod est ei inhærens, et intrinsecum; sed etiam secundum id, quod est ei extrinsecum, et in ordine vel mensuræ, vel mensurabilis, vel activi et passivi, quem habet ad aliam, et ejusmodi perfectio, ac ordo sola interdum alterius positione, vel ablatione, aut mutatione ponatur, aut tollatur, altera nihil intrinsece variata, propterea denominatio et conceptus aliquis ejus objectivus ab ea separari potest nihil prorsus in se mutata.

Objectio.

9. DICES, a Deo, qui infinitus et immutabilis est, nihilque perfectionis a creaturis accipit, conceptus aliquis objectivus tolli et separari potest et ei aliquis addi. Neque enim ante mundum conditum, Creator, neque ante Incarnationem, homo dicebatur, et nunc parcere, et misereri dicitur; non dicetur autem post finem mundi. Igitur separatio conceptuum non oritur ex finitate et

Responsio.

mutabilitate creaturarum. CONCESSO integro antecedente, neganda est consequentia. Illi enim conceptus in objectione positi a Deo separantur, propter solam mutationem, quæ fit in creaturis, ut docet S. Thomas 1. parte q. 14. art. 15. ad 1. Igitur semper vera est assignata ratio.

Idem aliter declaratur.

10. PLACET eamdem rem et rationem aliter declarare et deducere ex tribus aliis principiis. PRIMUM. Non omnia, quæ sunt a parte rei, uno esse modo, sed, ut habendi, sic essendi varios esse

modos. Secundum. Omnes illos essendi modos non incommode ad hæc quatuor generalia capita reduci posse, scilicet esse *in*, esse *ex*, esse *ad*, et esse *a*. Esse enim *de*, *per*, *propter*, vel *ab*, cum illis confunduntur, et ad aliquod ex illis pertinent. Quatuor generales essendi modi.

Tertium. Quemlibet ex illis generalibus essendi modis multos adhuc sub se, et plurimas species complecti. Nam modi essendi *in* plures species retulimus supra cap. 42. ex Philosopho 4. Phys. text. 23. Modos autem essendi *ex* sex aut septem idem habet 5. Metaphys. text. 29. Videlicet, ex quo, ut ex materia; vel ex primo principio movente, ut ex convicio pugna; vel ex toto partes, ut versus ex Iliade, et lapides ex domo; vel ut forma ex materia. Ex aliqua alterius parte, ut ex patre et matre proles, ex terra plantæ; vel ut idem est ac esse tempore post, ut ex die nox, ex sereno tempestas. Quorum quædam ordinem et transmutationem habent mutuam, ut quæ mox dicta sunt, alia non habent, ut ex æquivoctio navigatio. Modus essendi *ad* idem est ac relatio, seu esse relatum et referri ad aliud. Relatorum autem varia genera habet Aristoteles 5. Metaphys. text. 20. et in Prædicamentis cap. 3. de iis quæ ad aliquid. Septem modi essendi ex.

11. Denique esse *a*, vel *ab* (ut omittam terminum a quo) ratione duplex est. Sumitur enim vel active, idemque est ac actio; vel passive, et est passio. Ut enim, ex Philosopho 3. Phys. t. 20. 21. et sequentib.; idem intervallum, quod est Thebas inter et Athenas, si Athenis incipias, via Athenis Thebas, si contra Thebis incipias, via Thebis Athenas dicitur; idemque reale spatium montis a radice incipiendo ad verticem, acclive, contra vero a vertice ad radicem, declive dicitur. Ita eadem res et forma, v. g. lumen in aere, ut est a sole in aere, est actio, et illuminatio, seu actus solis agentis et illuminantis, ipsumque a parte rei constituit vere agentem, et, ut ait Philosophus 3. Phys. text. 22. est *actus hujus in hoc;* idem vero lumen, ut est *actus hujus ab hoc*, id est aeris a Sole et actus aeris patientis et illuminati, ipsumque aerem formaliter facit patientem, et passio, seu illuminatio passiva. Quam Philosophi similitudinem, ut paulo longius extendam, et rei præsenti accommodem, quemadmodum illud idem spatium, eademque quantitas, ut primo producitur, et recipitur in monte, facitque eum transire ex non quanto ad quantum, est mutatio, et generatio quanti; ut in ipso permanet, eumque extendit, et formaliter facit divisibilem, est quantitas; ut facit æqualem alteri, est relatio Esse A sumitur active et passive.

æqualitatis : sic idem lumen, ut advenit aeri post tenebras, ipsumque formaliter facit transire de tenebroso ad lucidum, est motus illuminationis; ut vero in eo permanet, estque actus perspicui, et in visum agere potest, est qualitas, eaque patibilis ac motiva visus; ut denique per illam aer lucidus est similis aquæ lucidæ, est relatio similitudinis.

12. Nunc igitur prædicti reales modi, *In*, *Ex*, *Ad* et *A*, cum vel omnes, vel plerique in unam sæpe formam vel entitatem concurrant, et sæpe ratione tantum differant; quia tamen eorum aliqui habitudinem et ordinem quemdam includunt ad aliquid, quod est extrinsecum, ei, cui insunt, *Præpositiones enim habitudines quasdam designant*, inquit S. Thomas q. 1. de Potentia art. 1. propterea hoc solo extrinseco, quod quilibet modus connotat, mutato et sublato, ipsa re et forma, cui modus ille inest, et quam denominat intrinsece omnino invariata, necesse est cessare illum modum, nec amplius, saltem adæquate, esse in rerum natura, manente licet, et in se prorsus illæsa illa realitate, aliisque conceptibus, et essendi modis, a quibus ratione tantum distinguebatur, salvis et integris : quod est ab eis separari separatione per aliud. Exempli gratia, cum lumen manet in aere, nec amplius immediate succedit tenebris, caret modo essendi *ex*, seu post, amittitque rationem et conceptum motus illuminationis. Non enim amplius facit transire aerem ex non lucido ad lucidum; *omnis enim mutatio*, ut notat S. Thomas q. 2. de Veritate art. 13. *cum duos requirat terminos semper respicit ultimum in ordine ad primum*. Idem lumen amittit rationem essendi *ad*, seu relationem similitudinis, sublato alio lumine, quod erat in aqua, cui simile erat, et ab eodem tolluntur rationes essendi A, tam active, quam passive, respectu solis et aeris, sole illud non amplius conservante in aere, sed Deo solo.

Quomodo ablato extrinseco modi reales mutentur

In lumine declaratur.

13. Manifestum igitur est, quod, et quando et cur conceptus aliquis objectivus, ab alio ratione tantum diversus, hoc in rerum natura manente, vere a parte rei desinere et cessare possit, quod est ab eo aliquo modo separari, et perspicuum quod ex qualibet unius ab altero separatione, realis ejus ab illo distinctio recte colligi non potest.

CAPUT LIII.

Inferuntur quædam corollaria ex doctrina superiorum capitum.

1. Primum est. Actionem et passionem a termino non distingui a parte rei, seu non esse formam, vel modum illi intrinsecum, ab eo re, vel modaliter distinctum, ut volunt nonnulli.

Actionem non esse modum a parte rei a termino distinctum.

Primo. Quia a termino separantur tantum, vel improprie, vel per aliud, ac per partem, et sine ulla termini, vel subjecti, in quo sunt, mutatione intrinseca et proprie dicta, cum idem lumen in aere manens, sole ipsum non amplius conservante, solis actio et aeris a sole passio esse desinat, et sic de aliis.

1. Argumentum.

2. Actio enim in universum, abstractum quoddam est metaphysicum, cujus concretum est *agere,* et neutrum adæquate sumptum, simplicem aliquam formam, aut entitatem, sed multa re distincta in suo uno conceptu adæquato includit. Nam actio adæquate sumpta, idem est ac causa efficiens, ut efficiens. Unde communiter actio dicitur causalitas, seu ratio formalis causandi causæ efficientis, quæ adæquate sumpta ad agens, seu agere, perinde se habet ac humanitas ad hominem. Causa autem efficiens, ut efficiens, multa includit in suo conceptu. Definitur enim a Philosopho 2. Phys. text. 29. et 5. Met. text. 2 : *Principium et causa unde motus et quietis,* id est, rei in fieri et in facto esse. Illuminatio enim, v. g. aeris a sole, si adæquate sumatur, non est sola luminis realitas, aut sola potentia, seu vis illuminativa solis, sed est ipsum lumen, ut est a sole illuminativo in aere illuminabili. Itaque esse principium unde, seu ens a quo aliud, est accidens prædicamentale, et essentia quædam categorica ac metaphysica, quæ a nobis concepta in abstracto, et per modum formæ simplicis per se stantis. *Actio,* in concreto vero *Agere seu agens* dicitur, et quæ in varia genera et species distributa, categoriam actionis, seu agere constituit, ac de substantia, præsertim prima (nam actiones suppositorum sunt) denominative et accidentaliter præ-

Actio est abstractum metaphysicum.

dicatur. Idemque existimandum de passione, ut constat ex S. Thoma supra cap 46. num. 4. et 7. et ex capitibus superioribus.

2. Argumentum. SECUNDO. Quia modum illum Aristoteles 3. Phys. text. 19. refellit hoc absurdo, quia sequeretur id omne quod mutatur formamque recipit ab agente, duplici semper mutatione mutari. Tot enim sunt in subjecto mutationes diversæ, quot ei adveniunt novæ et diversæ formæ reales. Modalis autem actio modaliter distincta, quædam forma est a termino ad quem diversa.

3. Argumentum. TERTIO. Quia sequeretur, et ad motum, et ad actionem et passionem dari mutationem per se. Quod refellit Aristoteles. 5. Phys. a textu 10. ad 17. Productio enim talis modi actionis ejusque in subjecto receptio, erit mutatio, per se tendens ad illam mutationem quam formaliter efficit terminus.

4. Argumentum. **3.** QUARTO. Modus ille, cum sit quid productum, exit ab agente, et producitur, vel per se, et immediate, vel per alium modum. Si per alium, sequitur progressus in infinitum. Idem enim quæretur de hoc alio. Si immediate, et per se, cur hoc idem non dicetur de ipsa entitate effectus et termini? Nam actio illa, licet modus vocetur, re tamen vera æque est ens ac ipse terminus, aut alia, quæ vere dicuntur entia et accidentia. Ut enim supra cap. 43. num. 2. dictum est, cum modos universim oppugnaremus; modus ille actionis, si datur, est ens, unum, verum, bonum, idem, diversum, productum, seu eductum de potentia subjecti, est actus et forma, vel ipsius termini, vel agentis, suumque habet genus, suamque speciem, et naturam distinctam categoria et genere, et etiam, ut volunt, a parte rei, ab aliis formis accidentalibus, æque solidam et diuturnam, ac ejus terminus. Neque dixeris esse id quod aliud producitur. Nam et reliquæ formæ, sive substantiales, sive accidentales, ut calor, sunt etiam id quo aliquid, nempe ipsum totum, et est, et fit, et facit aliud. Agit enim anima per intellectum, et ignis per calorem, quæ sunt vera entia.

5. Argumentum. **4.** QUINTO. Actio creationis non est modus a re creata, a parte rei modaliter distinctus. Ergo nec aliæ actiones erunt distinctæ a suis terminis. Probatur Antecedens; quia modus ille creationis distinctus, vel educitur de potentia rei creatæ, suique termini, vel non educitur. Si educitur, non erit creatio, quia non erit ex nihilo, concurrente scilicet ad ejus eductionem aliquo, tanquam causa materiali. Si non educitur; ergo est independens a termino

proindeque non solum divina virtute, sed etiam naturali existere poterit sine eo. Hoc enim maxime argumento probatur immortalitas et naturalis separabilitas animæ rationalis a corpore, quod ex eo non educatur, nec ab eo pendeat in esse. Igitur modus creationis poterit naturaliter existere in rerum natura sine suo termino; quod est contra naturam modorum, quos ne divina quidem virtute, sine re quam modificant, existere posse volunt modistæ.

5. Neque valet eorum effugium, qui dicunt modum creationis non inhærere, sed adhærere. Tum quia, si est ens, cum non sit substantia, necessario est ens inhærens, seu ens in subjecto, ex divisione entis supra cap. 41. num. 2. Tum quia, quæ dicuntur alteri advenire per adhærentiam, vel applicationem, ut locus locato, vestis vestito, et similia, sunt veræ substantiæ, eaque sunt extra rem, quam accidentaliter denominant, a qua etiam re separantur. Actio autem, neque est extra terminum qui producitur, neque extra subjectum quod illam recipit. Nam, ut ait Armandus libro sæpe citato cap. 188. exponens definitionem actionis ab auctore libri sex principiorum sub finem categoriarum traditam, qua dicitur *esse secundum quam, in id quod subjicitur agere dicimur. Actio*, inquit, *non solum stat ad ipsum passum, sicut motus localis ad terminum, sed penetrat et transmutat ipsum.* Responsio. Refellitur.

6. Dixerit fortasse quispiam : Actio est via quædam agentis ad patiens, seu ad effectum, et actus quidam medius inter agens et patiens. Via autem re differt ab utroque suo termino, ut Athenæ, et Thebæ, et via inter utramque urbem interjecta. Objectio.

Respondeo actionem viam quidem dici, sed metaphorice, quemadmodum et dicitur exitus rei ab agente, ad exprimendum, prout possumus, similitudine quadam, proprium ejus conceptum. Cum enim agens et patiens re differant, et entitas formæ, quæ ab agente in passum inducitur, sit actus utriusque, concipitur, ut quid medium egrediens a potentia activa agentis, et ingrediens passivam patientis. Deinde quia actio et passio idem sunt realiter cum motu et mutatione : mutatio autem et fieri rei concipitur ut medium quiddam inter non esse rei, et ejus esse; a quibus ut re non differt, sic nec actio. Responsio.

7. Adde quod, eo modo actiō est quid medium inter agens et patiens, quo habitus, seu, ut ita dicam, habitio, est actus medius inter habens et rem habitam, ex Philosopho 5. Metaph.

text. 25. hic autem habitus, non est quid re diversum ab habente, et eo quod habetur. Coronatio enim v. g. quæ est actus et capitis coronati, ut subjecti, et coronæ, ut coronantis per modum formæ extrinsece informantis, a capite et corona re non differt; sicut nec locatio concepta, ut actus medius inter rem locabilem et locum eam locantem. Et certe cum theologi agentes de processionibus divinis, utantur etiam nomine viæ ad eas exprimendas, manifestum est hunc loquendi modum, non importare quid re distinctum ab eo quod ejusmodi viæ terminus dicitur.

Mitto hic communia contra modos in universum argumenta quæ huic modo actionis, vel passionis rejiciendo usui erunt.

Motus non differt re a termino.

8. Secundum corollarium est. Motum etiam, seu mutationem, non esse modum a termino ad quem a parte rei distinctum, nec ab eo primo et per se separabilem; sed inadæquate tantum et per aliud. Pro cujus corollarii intelligentia advertendum est motum, seu mutationem dupliciter, hoc est, adæquate, vel inadæquate sumi posse. Inadæquate, est alterum tantum ejus principium, nempe potentia, vel actus, seu forma, aut materia, licet potissimum sumatur pro forma in materiam adveniente, a qua motus speciem accipit, quæque est ejus terminus ad quem. Adæquate vero sumpta includit tres terminos, scilicet, a quo, ad quem et utriusque subjectum. *Ens in potentia additum actui, constituit motum, quia motus est actus entis in potentia,* inquit Ægidius Romanus 3. Physic. lect. 1.

Motum adæquate sumptum tria includere.

1. Argumentum.

9. Primo. Quia mutatio est ipsa res in fieri. Hujus autem tria sunt principia, materia, forma, privatio : seu subjectum, et duo termini, ex Philosopho lib. 1. Phys. text. 62. et sequentibus, quem sequuntur omnes alii.

2. Argumentum.

Secundo. Quia, sicut quies est ipsa res quiescens, et in facto esse, includitque duo tantum principia permanentia simul juncta, actum scilicet et potentiam, formam et materiam; ita mutatio, quæ est res in fieri, includit subjectum et duos terminos, a quo et ad quem sibi invicem in illo subjecto succedentes.

3. Argumentum.

Tertio. Quia propterea Philosophus 11. Metaphysic. summæ quartæ cap. 1. acturus de motu hanc præmisit entis divisionem. *Est hoc quidem actu solum, hoc vero potentia, hoc autem potentia et actu.* In quem locum Alensis : *Ens in potentia tantum est ens, quod est in potentia ad moveri et ad formam quæ est finis motus : ens autem in potentia et in actu, est ens,*

Alensis.

quod est in moveri : ens autem in actu tantum est ens, quod est in fine motus. Non album enim et albefieri sic differunt, quod non album est in potentia tantum; albefieri dicit quid mixtum ex potentia et actu, quia non dicit purum actum; album autem dicit actum albedinis. Eadem habet Sanctus Thomas ibidem.

10. Quarto. Quod motus constet illis tribus, propterea est quid indeterminatum, imperfectum, et cognitu difficile, ex Philosopho loco citato Metaphysicæ, et lib. 3. Physic. t. 14. et 15. *Cur,* inquit, *videatur indeterminatus esse motus? causa est, quod neque in potentiam eorum quæ sunt, neque in actum licet ipsum ponere simpliciter. Neque enim id quod potest esse quantum movetur ex necessitate. Neque id quod actu quantum est. Et motus actus quidem aliquis esse videtur, imperfectus tamen. Causa autem est, quoniam imperfectum est ipsum possibile, cujus est actus, motus. Et ob hoc jam difficile est accipere, quid ipsum sit. Aut enim in privationem necesse est ponere, aut in potentiam, aut in actum simplicem : horum autem nullum videtur esse posse :* solum scilicet. 4. Argumentum.

11. Quinto id ipsum confirmant falsæ antiquorum de motu sententiæ, quas refert ibidem Aristoteles text. 12. scilicet motum esse *non ens,* esse *alteritatem*, esse *inæqualitatem.* Ejus enim naturam ex parte attingebant. Nam quatenus includit privationem in subjecto, est non ens; quatenus includit terminum a quo, et ad quem sibi succedentes in illud subjectum, est quædam alteritas et inæqualitas. Subjectum enim sub uno termino est quodammodo alterum et inæquale sibi sub altero termino. Constat igitur motum adæquate sumptum, tria quæ dicta sunt, in sua natura includere. 5. Argumentum.

12. Sexto. Idipsum constat ex definitionibus motus ab Aristotele traditis locis supra citatis, in quibus dicitur esse, *actus entis in potentia, prout in potentia;* vel *actus mobilis, prout mobile;* vel *actus possibilis, prout possibile,* in quibus *mobile, possibile, et ens in potentia* idem significant ac in illis tria, quæ dicta sunt, principia continentur. Quod quoniam plerisque non ita perspicuum est, et ipsa quidditas motus, ex Aristotele supra, cognitu perdifficilis est, non ingratum forsan, nec inutile quibusdam fuerit ex occasione, hanc motus definitionem hic explicare. 6. Argumentum.

13. Nam *ens mobile, prout mobile,* vel *ens in potentia, prout in potentia* non est, ut putant nonnulli, ipsum subjectum secundum Mobile non est secundum unam partem motum non secundum aliam.

unam sui partem recipiens formam aliquam, v. g. aqua calorem, et secundum aliam eam non recipiens. Sæpissime enim contingit subjectum moveri, alterari, calefieri, illuminari, et loco moveri, secundum omnes partes suas simul : imo in generatione substantiali id semper accidit.

14. Neque item est, formam seu terminum ad quem habentem gradus, et partium multitudinem, secundum aliquas esse in subjecto, vel subjectum secundum has esse in actu, non autem secundum alias, ad quas est in potentia; tum quia, non omnis forma per motum et mutationem acquisita, partes graduales habet, ut forma substantialis, et maxime rationalis; tum quia lumen, calor, et similes qualitates, quæ habent partes graduales, sæpe totæ simul acquiruntur, ut patet in illuminatione aeris a sole, aliisque mutationibus instantaneis. Sola enim successio, qua terminus ad quem, termino a quo in idem subjectum succedit, est de ratione motus. Ea vero quæ illi aliquando inest ex successiva acquisitione partium termini ad quem, si quas habet, quoddam est ejus accidens. Nam in motu naturali corporum, prout fit naturaliter, licet mobile locum suum, et terminum a quo nunquam simul totum deserat, nec terminum ad quem, aliumque locum totum simul acquirat, sed per partes illum amittat, hunc acquirat; ideoque cum natura movetur semper sit partim in termino a quo, partim in termino ad quem. Tamen ut Angeli naturaliter locum suum totum simul deserere, et alium, etiam distantem, immediate post, et non transeundo per medium, totum simul acquirere possunt; sic idem in corporibus virtute divina fieri posset.

Nec esse in actu secundum quosdam gradus, non secundum alios.

Deinde, ut utar argumento, quo Aristoteles lib. 3. Phys. text. 12. refellit eos, qui dicebant motum esse, vel non ens, vel alteritatem, vel inæqualitatem, quod nimirum potest esse non ens, id est privatio, in subjecto aliquo, in quo non erit motus, idemque, et alterum, et inæquale esse potest, nec tamen moveri : ita potest, et subjecti alicujus pars una habere calorem, altera non; vel eadem habere duos gradus caloris, v. g. et esse in potentia ad alios gradus, nec tamen moveri, sed utraque quiescere; illa sub forma caloris, hæc sub privatione ejusdem. Ideoque recte Alensis exponens hæc verba libri 9. Metaphys. text. 14. *Ejus quod fit, aliquid factum est, et ejus quod aliquo modo movetur, aliquid motum est. Quod dicit Philosophus,* inquit, *non est ita intelligendum, quod pars formæ præcedat, ita quod forma habeat*

Alensis.

partem extra partem, et quod una ejus pars præcedat, et alia fiat; sed est intelligendum, quod istud aliquid quod præcedit, est ipsa forma in aptitudine, et ipsa aptitudo ad formam.

Quid sit mobile prout mobile.

15. Sed *Mobile, prout mobile; et ens in potentia, prout in potentia,* est ipsum subjectum, prout potens est tendere ad actum, et transire a termino a quo ad terminum ad quem. Nam, ut notant S. Thomas et Alensis in locum citatum, II. Metaphys. sicut actus est duplex, vel potius in eadem realitate termini ad quem duplex est ratio actus. Una, qua est *Actus* et forma *in fieri,* et ut ita dicam, in *venire,* et in *ingredi* potentiam subjecti. Altera, qua est *actus in facto esse.* Secundum priorem, est actus imperfectus, quia est in fieri, in via et in ingressu : secundum posteriorem, est actus perfectus, quia est in facto et fixo esse, seu in permanentia et quiete. Ita ex parte subjecti, quod movetur, duplex distinguenda est potentia. Una ad actum in fieri, altera ad actum in facto et fixo esse. Itaque, sicut nomen *actus,* in prædicta definitione motus positum, importat tantùm actum in fieri et in ingressu in potentiam subjecti; ita *mobile* seu *ens in potentia, prout in potentia,* in eadem definitione, est subjectum in potentia tendente, seu transeunte a termino a quo ad terminum ad quem. Quod aperte et recte declarat Alensis in locum citatum II. Metaphys. *In eo quod movetur,* inquit, *tria debemus intelligere. Primo potentiam quæ perficitur per motum. Secundo tendentiam ad illam perfectionem. Tertio ipsam perfectionem motus. Ergo motus, non est in re, quando est in potentia tantum, et ideo dixit Philosophus, quod non est ibi prius; nec est in re secundum quod habet perfectionem, quia præsentibus habitibus et perfectionibus cessat motus; sed est in re, secundum quod res est in tendentia, et in potentia permixta actui : et ideo motus est actus imperfectus.* Et aliquanto post, exponens eadem verba iterum ab Aristotele repetita, hæc habet. *Notandum est, quod dum res est in motu, est in actu, et etiam quando est in termino motus; sed aliter et aliter. Quia primo est in actu imperfecto, secundo in actu perfecto. Res ergo dum est in potentia et tendentia ad aliud, oportet quod habeat aliquem actum; hoc autem non potest esse, nisi ponatur quod motus est actus. Contingit enim unum et idem aliquando esse in actu, aliquando esse in potentia, et tunc movetur, quando est in actu imperfecto et in tendentia ad actum perfectum. Et sic motus est actus,* v. g. (quod est exemplum Aristotelis ibidem) *ædificabilis inquantum*

Quis actus sit motus.

Tria in motu distinguenda.

ædificabile, est aliquis actus, nempe ædificatio. Actus enim ædificabilis inquantum ædificabile est, vel ædificatio, vel domus. Non domus, quia cum fuerit domus in actu, jam amplius non erit ædificabile. Ergo ædificatio necessario est actus ædificabilis, qua ædificabile; ædificatio vero motus quidam est, eademque in cæteris motibus ratio est. Quæ sunt verba Philosophi 3. Phys. text. 11.

Denique ad clariorem expositionem addit Alensis : *Notandum est, quod materia est in potentia ad duo. Est enim in potentia ad formam domus, et sic actus ejus est domus : et est in potentia ad hoc, quod ædificetur; quæ potentia significatur per hoc, quod dicitur ædificabile, et sic actus ejus, non est domus, sed ædificatio. Dicit igitur Philosophus quod actus ædificabilis est ædificatio, quasi diceret, ædificabile dicit potentiam materiæ sub speciali ratione secundum quam rationem actus ejus non est domus, sed ædificatio.*

Corollaria quinque.

16. Ex his patet Primo. Quod *motus et mutatio* nomina sunt abstracta, quorum concreta sunt *moveri et mutari,* quæ idem, licet diverso modo, significant, ut ante dictum est de actione et passione.

Secundo. Quod motus, licet, qua parte dicit formam accidentalem inhærentem subjecto et ab eo diversam, sit ejus accidens, et abstractum quoddam physicum; tamen adæquate sumptus, ut denominat substantiam naturalem, et de ea denominative prædicatur in concreto, est quoddam ejus accidens metaphysicum et logicum, et proprietas corporis naturalis. Nam generari, v. g. augeri, alterari, loco moveri, et reliqui motus de corpore naturali prædicantur denominative; neque est de essentia hominis logice, seu metaphysice sumpti generari, mori, crescere, calefieri, etc.

Quomodo motus separetur à termino.

Patet tertio. Quod in conceptu motus adæquate sumpti, cum tria tantum, quæ dicta sunt, includantur principia, nullus locus est ulli alteri formæ, entitati, vel modo, et quod motus a quiete, seu a termino ad quem, separatur tantum ratione termini a quo, id est, hoc ipso quod ille huic immediate non succedit in eodem subjecto, vel non amplius est in fieri, seu non facit formaliter subjectum transire de uno ad aliud, aut aliter se habere quam ante, quod est de conceptu mutationis, ut habet S. Thomas 1. part. q. 45. art. 2. ad 2. *De ratione mutationis,* inquit, *est, quod aliquid idem se habeat aliter nunc et prius. In creatione autem per quam producitur tota substantia rerum, non potest accipi aliquid idem aliter se habens nunc et prius, nisi secundum intellectum tantum,* etc.

D. Thomas.

17. Quarto. Quod sicut simitas in abstracto, dicitur curvitas nasi, in concreto nasus curvus, et universim omne accidens cum definitur in abstracto, ejus subjectum loco differentiæ in obliquo ponitur; cum vero in concreto definitur, subjectum loco generis in recto ponitur, propter rationem, quam habet Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 53. art. 2. ad 3. et Opusc. de ente, et essentia cap. 7; ita in definitione motus in abstracto, ejus subjectum ponitur in obliquo, cum dicitur *Actus entis in potentia* vel *mobilis*, in concreto vero ponitur in recto, cum dicitur *ens in potentia tendente ad actum*, vel ens talis potentiæ, vel mobile, ut mobile, hoc est, ut res in fieri, et in progressu ad actum, vel in transitu ab uno termino in alium. Quo modo definitus videtur ab Aristotele lib. 4. de Cœlo text. 25. his verbis. *Manifestum est quod potentia ens in actum veniens, proficiscitur illuc, et ad tantum et tale, ubi est actus quanti et qualis.* Et textu præcedenti hæc habet. *Quærere propter quid fertur ignis sursum et terra deorsum, idem est et propter quid sanabile, si moveatur et mutetur quatenus est sanabile, in sanitatem venit, non in albedinem. Similiter vero et omnia alia alterabilia. At vero et augmentabile cum mutatur, quatenus est augmentabile, non in sanitatem venit, sed in magnitudinis excessum.* Et aliquanto post. *Quoniam idem est sanabile et ægritudinis susceptivum, si moveatur quatenus est sanabile in sanitatem fertur, si autem quatenus ægrotabile in ægritudinem.* Aristoteles.

18. Quinto. Cum Philosophus 3. Phys. text. 4. ait. *Non est autem motus præter res :* non vult solum, quod motus non est categoria specialis a reliquis decem distincta; aut quod nulla est ejus ratio communis univoce omnibus mutationum generibus, ut plerique interpretantur : neque vult tantum quod motus, seu res in fieri, est in categoria, in qua est ejus terminus, seu res in facto esse; sed etiam quod motus non est forma quædam simplex re distincta a terminis et principiis, quibus constat, ut dictum est.

CAPUT LIV.

Proponitur et solvitur argumentum pro modis a rerum indifferentia ductum.

Secundum argumentum modistarum.

1. Secundum pro modis a parte rei distinctis argumentum tale est. In plurimis rebus creatis reperitur indeterminatio quædam et indifferentia tam contradictionis quam contrarietatis ad plures et varias formas et denominationes reales. Nam materia prima, v. g. ex se indifferens est ad animam rationalem et ad ejus privationem, et ut huic aut alteri formæ uniatur. Et humanitas Christi indifferens est ad unionem cum Verbo, vel cum Patre, aut Spiritu Sancto, vel ut nulli eorum sit unita. Et quantitas ceræ v. g. indifferens est ad figuram rotundam, vel cubicam, aut quamlibet aliam. Et corpus quodlibet naturale est indifferens ut sit hic, vel alibi; hoc in loco, vel in alio. Et lumen, quod est in aere v. g. indifferens est ut sit dependens a sole, vel a Deo solo, et sic de aliis. Hæc autem rerum indifferentia tolli ac determinari nequit, nisi per certos quosdam unionis naturalis, vel hypostaticæ, ac figuræ, ubietatis et dependentiæ, seu actionis modos, ab illis a parte rei distinctos, quorum ea est natura et essentia ut sint actuales determinationes indifferentiæ rerum. Nam si quæratur, cur anima Petri sit unita ejus corpori, non autem corpori Pauli? Cur humanitas Christi sit unita Verbo, non autem Patri, vel Spiritui Sancto? cur Angelus Michael, v. g. sit in cœlo empyreo, et in hac ejus parte potius quam in alia? Cur lapis sit in hoc loco, potius quam in alio? Et si Deus globum aureum in sole, et argenteum in luna penetrative poneret, cur aureus sit in sole, non in luna, et argenteus in luna, non in sole, et sic de aliis : horum omnium causa, et ratio sufficiens nulla reddi potest, præter dictos modos et formas singulares, natura sua ad tales effectus formales tribuendos determinatas, et a parte rei distinctas a rebus quas afficiunt. Igitur tales modi omnino sunt ab omnibus admittendi.

2. Concessa tota Majore, Minor et ejus confirmatio tota neganda est. Nam omnes, quæ in ea continentur quæstiones qui faciunt, et eis per modos respondent, nec quid petant, nec quid respondeant satis intelligunt. Vel enim causas effectis ipsis notiores quærunt; vel formalem, ubi alia quærenda et assignanda est; vel formalem physicam, ubi nulla est nisi metaphysica; vel intrinsecam, ubi tantum est extrinseca. Quod cujusque quæstionis examine et declaratione manifestum erit. Responsio.

3. Nam cum in prima quærunt, *cur, aut per quid formaliter anima uniatur corpori,* vel *corpus animæ?* ut omittam id non esse quærendum, ex Aristotele lib 2. de Anima text. 7. *unde non oportet,* inquit, *quærere, si unum est anima et corpus, sicut neque ceram et figuram, neque omnino uniuscujusque materiam et id cujus materia.* Si tamen est quærenda hujusce rei causa aliqua, non formalis, sed efficiens vel finalis quæri, et responderi debet, ex eodem lib. 8. Metaphys. text. 15. *Quæ causa est, ut quod potentia est, actu sit, in quibuscumque generatio est, præter illud quod fecit? Nulla enim alia causa est, ut sphæra sit quæ potentia sphæra erat; sed hoc erat ipsum quid erat esse utrique.* Et text. 16. *Unum quiddam unumquodque, et quod potentia et quod actu unum quodammodo est. Quare nulla alia causa est, nisi si quid fuit, tanquam ex potentia in actum movens.* Non recte quæri per quid formaliter anima uniatur corpori.

Deinde cum quæstio *per quid,* aut *cur* rei causam petat, et hæc *cur anima uniatur corpori,* sit de anima, prout est causa formalis hominis, seu corporis, causæ formalis nulla est alia formalis causa præsertim physica. Ut enim materiæ, non est alia causa materialis; sic nec formæ, alia causa formalis; alioqui in quolibet duæ essent materiæ, et duæ formæ, imo infinitæ. Nam de secunda causa formali idem quæri posset, quod de prima, *per quid causet formaliter,* et sic in infinitum; vel si dicatur, quod per se causat formaliter, cur hoc ipsum non faciat prima causa formalis? Igitur causæ formalis nulla quærenda est alia causa formalis. Causæ formalis non est alia causa formalis.

4. Præterea. Materia et forma sunt causæ rei intrinsecæ, quarum et entitas et causalitas pendet ab extrinsecis, efficiente scilicet et fine. Nam anima unitur corpori, quia agens eam unit, et ut fiat ex illis unitis homo; propterea hæ extrinsecæ, quando sunt occultæ, proprie quæri et reddi debent. Adde quod res ad veritatem et cognitionem ita se habere debet, sicut ad esse 2. Metaph. text. 4. hoc est, quemadmodum sine suis causis esse nequit;

ita nec perfecte ac scientifice cognosci, sine cognitione suarum causarum. Igitur cum quædam causæ sint sibi invicem causæ, lib. 2. Phys. text. 30. saltem quoad causalitatem, atque adeo sibi invicem effectus, seu causata, una per aliam sciri et cognosci debet, et quæstioni *cur,* aut *per quid* de una factæ, alia causa responderi debet, cum illa respectu hujus sit effectus.

Causæ formalis non datur alia causa formalis nisi logica vel metaphysica.

5. Quod si qua causæ formalis physicæ causa formalis quærenda et assignanda est, non physica, ut probatum est, sed metaphysica tantum, hoc est ejus definitio, et ratio quidditatis quæri et responderi debet; cujusmodi est humanitas, vel animal rationale respectu hominis. Ideoque causa formalis metaphysica *cur,* et *per quam* anima unitur corpori, alia non est quam ipsa unio, seu relatio unionis ejus ad corpus. Nam cum anima dicitur unita corpori, *unitum* sumitur non *absolute* et ut oppositum *simplici,* quo modo homo ipse quid unitum et compositum dicitur; sed *relative,* ut opponitur *diviso,* et refertur ad aliud sibi unitum, ut anima corpori, et corpus animæ. Hujus autem uniti causa et ratio formalis alia non est quam relatio unionis animæ ad corpus, ad quam unitam corpori se habet, ut relatio paternitatis ad patrem, et æqualitas ad quantitatem, quam formaliter facit æqualem alteri : relatio autem ratione tantum differt a suo fundamento. Quare qui quærit *cur,* aut *per quid formaliter anima est unita corpori?* vel male quærit, si causam formalem physicam petat, vel non nisi metaphysicam petit, quæ ab ipsa anima secundum id quod dicit intrinsece, et ex parte animæ quam denominat, nihil est reale ab ea distinctum; cum nulla relatio re differat a suo fundamento.

Solvitur secunda quæstio sine modo unionis.

6. Ad secundam quæstionem, qua quæritur *cur humanitas Christi sit unita Verbo, non Patri, aut Spiritui Sancto?* eodem plane modo respondendum est, quo præcedenti; quia, scilicet, habet relationem unionis ad Verbum, non ad Patrem, aut ad Spiritum Sanctum; quia tota Trinitas eam univit Verbo, non Patri, aut Spiritui Sancto; quia humanitas in Verbo est Christus, seu persona Verbi in natura humana subsistens. Non esset autem idem Christus, et idem compositum, si alteri personæ divinæ unita fuisset; quemadmodum nec idem fuisset compositum, si naturam angelicam, aut aliam humanitatem Verbum assumpsisset, licet persona eadem fuisset.

Quarum causarum *prima* est formalis metaphysica, *secunda* est efficiens, *tertia* finalis intrinseca. Unitur enim humanitas Verbo,

ut cum eo constituat unum Christum. Omnes autem sunt primæ et necessariæ in suo quæque genere, cum, qualibet posita, ponatur effectus, sublata, tollatur. Si enim humanitas habet unionem relativam cum Verbo, si tota Trinitas eam univit Verbo, si ex ea et Verbo Christus existit, necessario Verbo unita est.

Effectus positivi causa positiva, negativi negativa danda est.

Et quia effectus positivi causa positiva, negativi negativa assignanda est, et ut ait Philosophus lib. 1. Post. cap. 13. aut ut alii numerant 14 : *si affirmatio est causa affirmationis, et negatio negationis erit;* propterea si humanitas non habet unionem cum Verbo, si Trinitas eam non univit Verbo, si non constituit hunc Christum, necessario sequitur eam non esse unitam Verbo. Sicut non est unita Patri, aut Spiritui Sancto, qui etiam sunt effectus negativi; quia non habet unionem cum illis; quia Trinitas eam illis non univit; quia cum illis non constituit unum compositum unumque Christum; nullo igitur opus est unionis hypostaticæ modo distincto ad satisfaciendum prædictæ quæstioni.

Solvitur tertia quæstio.

7. Indifferentia etiam quantitatis ad figuram tollitur, non per ullum modum ullamve formam ab ea a parte rei distinctam; sed solum per diversum situm et ordinem inter se extremarum partium ejusdem quantitatis. Est enim nihil aliud figura quam ejusmodi ordo, situs, ac positio extremarum partium corporis quanti et finiti. Ordo autem nullus a rebus ordinatis, re differt. Itaque quemadmodum mediarum et internarum partium ordo variatur, sola earum transpositione, et per motum localem earum, qui, ut infra dicemus, nihil reale intrinsecum et distinctum ponit in mobili; ita per motum localem extremarum partium, quarum quælibet est extra aliam, et quælibet vicinæ extrinseca, eam continet, estque potentia ejus locus 4. Phys. t. 44. variatur figura quantitatis; ut cum cera mollis ex rotunda fit cubica, nullius formæ realis et re a se distinctæ jactura, vel lucro; quamvis interdum alicujus particulæ vel adjectione, vel detractione pereat, quæ erat antea corporis figura.

Quid vitii habeat quarta quæstio.

8. Quarta autem quæstio *cur corpus aliquod sit alicubi, et per quid formaliter sit hic et non alibi, aut hoc in loco et non in alio,* si causam formalem intrinsecam, et re distinctam a corpore locato petit, vitiosa est. Et qui ei per modum *ubi,* vel *ubietatis,* tanquam per formam aliquam corpori internam se putat satisfacere, fallitur. Nulla enim est aut esse potest talis forma, talisve modus.

1. Probatur nullum dari *ubi* intrinsecum

Primo. Quia *ubi et esse in loco* sunt synonyma, seque habent sicut vestis et indumentum. Nam ubi est? et in quo loco est? ex communi omnium hominum sensu et loquendi usu sunt quæstiones idem prorsus significantes, et ad quæstionem *ubi est,* respondetur, esse sursum vel deorsum, in aqua vel aere, in templo, in carcere, in urbe, etc., ac semper locus aliquis, vel proprius vel communis. Omnino autem id respondetur, quod quæritur; alioqui inepta et absurda esset responsio, essetque falcem petenti dare ligonem, et postulanti panem offerre lapidem. Ac valde imperite Aristoteles. Aristoteles lib. 4. Phys. text. 1. locum esse ita probasset. *Etenim quæ sunt, omnes existimant alicubi esse; quod vero non est, nusquam esse. Ubi enim est Hircocervus aut Sphinx?* et text. 3. *Quod locus sit, videtur manifestum esse ex translatione. Ubi namque nunc est aqua, hinc egressa tanquam ex vase, iterum aer inest.* Certe Aristotelem ac cum eo peripateticos omnes *ubi* a loco distinctum, ne per somnium quidem cogitasse, ex eo liquet, quod illo libro, in quo de ea proprietate corporum naturalium, qua in loco et alicubi esse dicuntur, ex professo disputans, cum de loci existentia, natura, proprietatibus, et differentiis adeo fuse et accurate tractet, tamque varia de eo ab aliis dicta referat, examinet, et refellat, ostendatque locum, neque esse chaos aut receptaculum, neque magnum aut parvum, neque vacuum, neque corpus, neque materiam, nec formam, nec spatium et intervallum quantum, sed esse corporis continentis extremum immobile, de illo *ubi* intrinseco omnino sileat. Et in logica, agens de categoria *ubi,* eam se pluribus non explicare ait, quod ea sit notissima. Ejus verba sunt cap. 6. Prædic. *De reliquis vero, id est, quando et ubi, et habere, propterea quod manifesta sunt, nihil de ipsis aliud dicitur, quam quæ in principio dicta sunt : quod habere quidem significat calceatum esse; ubi vero, ut in lyceo, in foro. Ubi* autem intrinsecum modistarum adeo tectum et abditum est, ut nec sensu, nec ratione vera percipi queat. Atque idem quod Aristoteles, dicunt Ammonius, Porphyrius, Simplicius, Philoponus, D. Augustinus, Boetius, Pacius, in illum locum. Idem tenent Thomistæ, et nominales omnes.

Idem peripatetici omnes.

2. Quid sit *quando.*

9. Secundo. Sicut *quando* nihil aliud est, quam tempus ut extrinsece afficit et continet rem, sive actionem et motum : et hoc *quando* v. g. lectionis, est hæc pars diei, puta, hora nona, ut extrinsece continet, afficit et metitur lectionem. Sicut *habere* est

Habere.

veste, aut alio corpore adjacente affici et denominari, et *hoc habere*, est hac vel illa veste indui, aut hac vel illa corona coronari; ita *esse alicubi*, seu esse in loco, est locus, prout intrinsece continet, ambit, et per modum actus extrinseci informat ac metitur corpus, datque illi formaliter esse in loco. *Quando, et esse in loco*, sic exponit Philosophus lib. 4. Phys. text. 115; *manifestum*, inquit, *est quod et aliis hoc est ipsum in tempore esse, mensurari ipsorum esse a tempore. Res autem*, inquit paulo post, *ut in numero, ita in tempore sunt. Si autem hoc est, continentur a numero, sicut et ea quæ sunt in loco, a loco. Manifestum autem est, et quod non est in tempore esse, quando tempus est, sicut neque in motu esse, neque in loco, quando motus et locus est. Si enim erit id, quod est in aliquo; sic omnes res in quolibet erunt, et cœlum in milio. Quando enim milium est, et cœlum est, etc. Quapropter*, inquit text. 117. *necesse est omnia ea quæ in tempore sunt, contineri a tempore, sicut alia quæcumque in aliquo sunt, ut ea quæ in loco sunt, a loco.* Locus autem respectu locati habet rationem formæ, et ex locabilitate corporis, seu ex ente in potentia ad locum, et ex ipso loco, quasi ex actu extrinsece informante, fit totum quoddam, quod esse locatum, seu esse *ubi* dicitur.

Esse in loco.

Aristoteles.

10. Locum autem esse veluti formam habet Philosophus lib. 4. de Cœlo text. 22. cum ait : *unumquodque in suum locum ferri, est ferri ad suam formam.* Et text. 23. *Continens modo quodam est forma contenti.* Et lib. 8. Phys. 32. *Actus ipsius levis est alicubi esse et sursum.* Igitur esse in loco, est ambiri et contineri loco, vel locum esse actum, formam, et mensuram extrinsecam corporis contenti. Unde locum lib. 4. Phys. text. 41. definit, superficiem non contentivam, sed continentem corpus locatum. Ut enim paulo ante dictum est, ut sit aliquid in loco, non satis est, et illud, et locum, seu superficiem corporis contentivam esse; sed requiritur continentia actualis, tam formalis, ex parte loci, quam passiva ex parte locati. Hæc enim actualis continentia et conjunctio, seu habitudo mutua utriusque, et applicatio unius ad alterum est quid veluti medium, quo locus est formaliter locans, et corpus medium est actu locatum, seu actu *ubi* vel in loco.

Locum esse formam rei extrinsecam.

11. Tertio illud *ubi* intrinsecum, quod tam in Angelis, quam in corporibus nonnulli defendunt, innumeræ pene et inexplicabiles difficultates opprimunt, exempli gratia. Quomodo, a quo, et 3.

quando producatur? in quo sit subjecto? sit ne divisibile, an non? permanens, an fluens? si fluens, cum ejus partes nunquam simul existant, et quando est prius non est posterius, et contra, qui possint invicem uniri? Deinde in quolibet corpore sitne unum tantum, an multiplex, et totuplex, quot in illo corpore sunt entia et accidentia re distincta? Quodlibet enim est alicubi? Nam tam multa esse, per se videtur incredibile et absurdum. Aliunde vero si unum tantum sit, non erit modus; quia rem non unam, sed multas afficiet et denominabit; et quia re separabitur ab eo cujus est modus. In sacramento enim Eucharistiæ v. g., desinente per consecrationem substantia panis, accidentia immota, *ubi,* quod habebant cum substantia panis retinent.

Variæ difficultates et instantiæ contra modum *ubi.*

12. Præterea quid sit ille modus et quem effectum formalem habeat, definire nequeunt. Dicere enim cum Suare in sua Metaphysica disp. 51. sect. 1. num. 14. et 17. ipsum esse formam intrinsecam constituentem subjectum alicubi, et hic vel illic, ac facientem illud præsens alicui spatio, est genus per speciem, et speciem per suum individuum, et vagum, et determinatum definire : quod a scientia rectaque definiendi ratione valde alienum est, et perinde ac qui definierit humanitatem, id quo quid est aliquis homo, vel est hic homo, puta Petrus, aut ille homo Joannes, vel iste homo Jacobus. Nam *esse alicubi*, est individuum vagum *ubi,* et esse *hic,* vel *illic,* vel *istic,* sunt ejus individua determinata.

13. Deinde si est præsentia quædam, hæc, cum sit relatio, dicat ordinem ad aliud, nempe ad spatium, necesse est. Ad quodnam? Non enim ad *reale,* quia sine eo volunt rem suum illud *ubi* habere posse. Nec ad *imaginarium,* quia nihil est, nisi in ratione et imaginatione. Quî autem potest aliquid esse præsens nihilo? Præterquam quod cum innumera spatia quisque imaginari possit, illisne omnibus simul præsens erit, an tantum eorum uni? et cuinam?

Objectio 1.

14. Objiciet aliquis cum Suare supra, illis vocibus *esse hic vel illic* significari aliquid reale competens corpori. Ita est. Et hoc reale acquiri vel amitti per motum et mutationem localem, quæ realis est. Et hoc item verum est. Ergo est aliquid intrinsecum corpori. Hoc non, et hæc consequentia falsa. Aliud enim est aliquid esse reale, aliud esse intrinsecum alicui. Nam et vestis realis est, et vas fictile, quo aqua continetur, et tempus reale est, et a veste

Responsio.

homo est et dicitur realiter vestitus, et aqua esse realiter in vase, et utrumque esse realiter in tempore, quorum tamen nullum est eis intrinsecum.

15. At per formam et denominationem extrinsecam, inquit Suarez, res non mutatur realiter, ut patet in Deo, qui capax est denominationis extrinsecæ. Distinguo antecedens. Per formam extrinsecam res non mutatur realiter intrinsece; Concedo antecedens. Non mutatur realiter extrinsece; Nego antecedens. *Denominatur enim aliquid ab eo quod extra ipsum, sicut a loco, dicitur aliquid esse alicubi, et a tempore, aliquando,* inquit S. Thomas lib. 2. contra Gentes cap. 13. Deus autem ne quidem extrinsece mutari recte dicitur, etiamsi denominetur extrinsece, et quia est extra omnem categoriam, et quia nulla res extrinseca respectu Dei habet rationem formæ, vel actus, quo perficiatur. Res autem creatæ, quia finitæ sunt, sese extrinsece perficiunt et mutant, ut explicatum est supra cap. 52. num. 8, habentque ad invicem rationem actus et potentiæ extrinsece, ideoque ab extrinseco realiter denominari possunt. Instantia. Responsio.

16. Objicies 2. Omnis potentia activa est productiva formæ alicui subjecto intrinsecæ, et ab ea per se et immediate procedentis : potentia autem motrix est activa. Igitur immediate producit aliquam formam alicui intrinsecam. Objectio 2.

Absolute neganda est Major. Tum quia artes et scientiæ factivæ sunt potentiæ activæ lib. 9. Metaphys. text. 3. At plurimæ nihil aliud quam unum alteri extrinsece applicant, ut typographica, quæ characteres tantum conjungit, ut fabrilis, textoria, et similes. Nullam enim formam ulli corpori naturali intrinsecam, et ab eo re diversam inducunt, sed solum unum alteri applicantes opus suum efficiunt. Tum quia ad potentiam activam sufficit, si per eam aliquid fiat quod ante non erat, quocunque modo fiat. Nam si quid fit debet esse aliquid quod faciat. *Fiunt autem* ex lib. 1. Phys. text. 63. *alia transfiguratione, ut statua ex ære; alia appositione, ut quæ augmentantur; alia subtractione, ut ex lapide Mercurius; compositione autem alia, ut domus; alia vero alteratione, ut quæ vertuntur secundum materiam,* id est qualitate, aut forma intra materiam recepta. Responsio.

17. Responderi etiam aliter posset. Nam potentia tam *motiva* quam *activa,* eo modo sumptis quo *movere* et *agere* sumit Philosophus, cum lib. 1. de Generat. text. 45. ait *movere in plus* Responsio.

est ipso facere, id est latius patet quam agere; concessa Majore, negari potest Minor. Illo enim sensu potentia loco motiva, non est activa ullius formæ intrinsecæ, scilicet, per se et immediate. Nam mediate per corporum vel attritionem, vel ictus, si vehementiores sint, calorem, sonum, et etiam ignem producere potest, ut habetur lib. 2. de Cœlo textu 42. Unde lib. 2. de Generatione textu 8. ait. *Grave et leve neque activa, neque passiva esse. Non enim faciendo aliquid alterum, neque patiendo ab alio dicuntur.*

Quid sit motus localis.

18. Itaque motus localis, qui aliud nihil est quam successiva loci et continentiæ localis mutatio, vel transitus ab uno loco ad alium, nihil ponit intrinsecum in mobili, ut habet Aristoteles lib. 8. Phys. text. 59. *Minime motuum id quod movetur, dum fertur, a substantia discedit. Secundum enim solam nihil mutatur ab esse, ut cum quid alteratur, quale.* Idem docent Simplicius, Averroes, Pacius, aliique omnes peripatetici, et S. Thomas ibidem, et quæst. 6. de Potentia art. 3. *Substantia separata,* inquit, *suo imperio in corpore causat immediate motum localem, et eo mediante causat alios motus, quibus mobile acquirit aliquam formam. Et hoc rationabiliter accidit. Nam motus localis est primus et perfectissimus motuum ut pote, qui non variat rem quantum ad rei intrinsecum, sed solum quantum ad exteriorem locum.* Idem habet 1. part. quæst. 10. art. 3. *Mobile secundum locum non est in potentia ad aliquid intrinsecum, inquantum hujusmodi, sed solum ad aliquid extrinsecum, scilicet, ad locum.* Quæ loca nonnulli interpretantur, quasi illis negetur solum forma intrinseca, vel tendens ad rei corruptionem, ut Gabriel Vasquez in 1. partem disp. 195. cap. 5. vel distincta realitate majore, ut Suarez supra num. 25. Sed glossa est auctorum verbis et textui parum consona, ut patet. Et clarius adhuc constat ex iis, quæ idem S. Doctor habet 12. Metaphys. lect. 7. *Quod movetur,* inquit, *secundum alios motus, id est, generationem et corruptionem, augmentum et diminutionem, et alterationem, necesse est quod aliter et aliter se habeat, secundum aliquid quod in ipso est, scilicet, secundum substantiam, quantitatem, et qualitatem. Sed quod movetur secundum loci mutationem, habet quidem se aliter et aliter secundum locum, qui est extrinsecus locato, sed non secundum substantiam, vel secundum aliquam intrinsecam dispositionem substantiæ.* Igitur motu locali nihil intrinsecum mobili vel acquiritur, vel perditur.

Aristoteles.

S. Thomas.

19. Nam omnis corporum latio ad pulsum vel tractum redu-

citur. Vectio enim et volutatio ad ea pertinent, lib. 7. Phys. text. 10. et lib. de motu animalium cap. 2. Pulsio autem et tractio nihil intrinsecum ponunt in corpore pulso aut tracto; sed corpus quod pellit, si prævalet, et seipsum et illud quod pellit, tantum loco movet ac spoliat eumque occupat. Cum enim duo corpora simul eodem in loco esse nequeant, inter ipsorum corporum moles, ratione loci et situs, quem quæque in universo obtinet, contrarietas quædam est, et pugna ac resistentia mutua, qua ab eodem loco sese extrudunt : et quodlibet corpus pellenti, aut trahenti totis viribus resistit, et sese quantum potest, in suo loco naturali obfirmat. Itaque cum vis motiva unius pulsando, aut trahendo prævalet, superatque vim resistitivam alterius corporis pulsi vel tracti, ut habet Philosophus lib. 4. de Cœlo sub finem, fit motus localis, qui nihil dicit in corpore moto, præter applicationem suæ substantiæ et molis ad aliud corpus, et præter acquisitionem loci extrinseci, sicut quies dicit possessionem ejusdem et permanentiam in eodem loco.

Motus localis quando et quomodo fiat.

20. Ad quæstionem igitur *per quid formaliter res est alicubi*, nulla alia forma assignanda est, quam forma extrinseca loci; et dicendum *esse alicubi* aliud nihil esse, quam *contineri loco*, seu *habere extra se superficiem corporis immobiliter continentis.* Quæ responsio scientifica est, et per causam formalem necessariam. Omne enim quod est alicubi, habet talem formam extrinsecam, et omne quod non habet, non est alicubi. Unde Philosophus lib 4. Phys. text. 43. *Cui corpori est aliquod corpus extra continens ipsum, hoc in loco est; cui vero non, minimè.* Et text. 45. *Cœlum non est alicubi totum, neque ullo in loco; si quidem nullum corpus ipsum continet.* Et aliquanto post. *Totum non est alicubi. Quod enim alicubi est, et ipsum aliquid est, et adhuc aliud aliquid esse oportet, præter hoc in quo sit, quod continet.* Ideoque etiam substantiæ spiritales proprie in loco non sunt, quia nullam habent quantitatem corporis externi superficie contentam. Unde Boetius libro de hebdomadibus, inter communes animi conceptiones et enuntiationes, quas auditas docti quique comprobant, hanc recenset : *Incorporalia non esse in loco.*

4. Quomodo satisfiat quæstioni quartæ.

21. Similiter ad quæstionem qũa quæritur : *Per quid formaliter res est hic, et non alibi*, nulla alia reddi potest causa formalis prima et necessaria, quam quod habeat hunc numero locum, et non alium. Quodcumque enim habet hunc numero locum, est hic, et quod non habet, non est hic, et corpora in illum locum sibi succedentia in

Per quid res sit formaliter alicubi.

eodem numero loco successive esse dicuntur, et succedens esse ubi erat aliud prius; quod de *ubi* interno, nec dici, nec intelligi potest. Modus enim idem nulli alteri rei inesse potest. Si autem quis ulterius quærat, *cur res habeat hunc locum, et hanc formam intrinsecam loci,* jam nulla forma, sive intrinseca, sive extrinseca reddenda est, sed vel causa efficiens, ut Petrus est in cathedra, quia ingressus est eam; vel finalis, ut doceat hic, et sic de aliis; et quærenti *cur globus aureus penetrativè sit in sole, non in luna,* respondendum est, quia a sole continetur, non a luna; quia ipsum Deus posuit in sole, non in luna, hoc vel illo fine, quem ipse novit.

22. Porro ad specificam et numericam loci identitatem nihil refert, sive eadem sit numero superficies corporis immediate continentis, sive alia. Modo enim superficies circumstans et continens, eumdem habeat situm et ordinem in universo, eamdemque habitudinem ad alias mundi partes, seu eamdem distantiam a toto cœlo primo continente et locante, erit idem locus. Ejusmodi enim situs ac distantia a toto, in conceptu loci habet rationem differentiæ ultimæ, et pro ejus diversitate, loca sunt diversa, vel specie, vel numero : eademque est veluti forma, cui locus suam immobilitatem debet, cum hæc ratio distantiæ quæ loco essentialis est, sit immobilis. Superficies vero continens habet tantum rationem materiæ, et ex se mobilis est, transitque cum corpore continente de loco ad locum. Quapropter sicut sola illa distantia mutata, manente licet eadem superficie continentis, mutatur locus, ut accidit cum vas liquore plenum de uno loco transfertur ad alium; ita manente eadem distantia corporis locati et locantis a cœlo, quamvis mille varient superficies, manet idem numero locus, respectu mundi. Non tamen adeo perfecte idem numero locus est ac si maneret eadem numero superficies obvolvens et continens. Nam in rebus præsertim physicis et compositis, unitatis numericæ varii sunt modi et diversi gradus. Aliter fluvius est idem numero, aliter arbor, aliter rupes, aliter homo tota sua vita est idem numero, aliter cœlum, quod est incorruptibile. Breviter manet idem locus, ut forma, non manet idem, ut materia, ut de eo quod augetur, ait Aristoteles lib. 1. de Generatione textu 35. et 36.

Quomodo idem numero locus maneat, mutata superficie.

Quæstioni autem ultimæ initio in objectione positæ, de indifferentia rei, ut ab hoc vel illo pendeat, seu de actione satisfiet capite sequenti.

CAPUT LV.

Responsiones datas Capite præcedenti scientificas esse et primas ac necessarias rei quæsitæ causas continere.

1. Ultima quæstio erat de indifferentia rei quoad dependentiam ab hac vel illa causa, et quærebatur, *cur lumen diei, v. g. sit a sole, et non a luna, vel a Deo solo?* Quæ quidem quæstio, si causam formalem physicam re distinctam a lumine petat, vitiosa est; quia ut actionis in universum, sic illuminationis in specie causa formalis physica a termino distincta nulla est, ut supra probatum est. Si vero causam formalem metaphysicam quærat; alia nec est, nec dari potest quam ipsa ratio et definitio illuminationis, nempe ipsum lumen, prout est a sole, vel prout est actus potentiæ illuminativæ solis, quo illuminare dicitur. Responsio ad ultimam quæstionem.

Cum autem sol esse possit, et lumen et non esse illuminatio a sole, atque adeo non esse solis actio et illuminatio, nonnulli data responsione minus contenti quam argumentis evertere nequeunt, quæstionibus exagitant instantque et identidem quærunt: *Quid sit solem agere?* Quid *illuminare aerem?* Quid *lumen in aere esse a sole? Quomodo differant sol et lumen, et lumen a sole?* Cur *nunc sol illuminet aerem, et eumdem postea, Deo se solo illud conservante, non illuminet?* Instantia per alias quæstiones.

2. Quibus quæstionibus aliud nihil responderi potest, quam quod responsum est, solum agere, esse *ipsum esse id a quo est aliquid; vel* (quæ est definitio causæ efficientis ex Philosopho 2. Phys. text. 29.) *ipsum esse principium unde mutationis,* id est, rei in fieri, et *quietis,* id est, conservationis ejusdem rei : solem vero illuminare, aliud nihil esse quam dare esse lumini, vel lumen ab eo esse in aere, vel esse principium, unde motus illuminationis, vel quietis, id est permanentiæ lucis in aere; uno verbo, est lumen esse actum solis illuminantis aerem, et simul esse actum aeris patientis et illuminati a sole. Præterea lumen et solem, et lumen Responsiones ad quæstiones propositas.

a sole, toto genere et categoria differre. Sol enim est substantia et lumen qualitas. Lumen autem a sole est actio, et in categoria vel actionis vel passionis, prout illud *esse A* sumptum fuerit, vel active vel passive, ut supra explicatum est.

Bonas esse ostenditur.

3. Quas responsiones si quis aspernatur, si vitiosas, si identicas, si nullas esse dicat; Primo rogandus est ut vitium, si potest, doceat. Secundo interrogandus quærenti ab eo *quid sit substantia, quid homo;* ubi responderit, illam *esse ens per se*, hunc *esse animal rationale,* si pergat eum interrogare, *quid sit ens per se; quid animal rationale,* quidnam responsurus sit? Idipsum enim et nos his ejus quæstionibus respondebimus. Tertio cum petit, *quid sit esse A,* seu *esse ab aliquo,* rogandus est ipse, *quid sit esse in; quid esse ex; quid esse ad.* Hi enim essendi modi, si definitione explicari nequeunt, quod termini sint transcendentes, et adeo simplices, ut in duos terminos et conceptus simpliciter ab invicem præcisos (quod ad veram definitionem requiritur) dissolvi nequeant, quid mirum si, et *esse A,* propter easdem causas, una simplici definitione explicari nequeat?

4. Quarto docendus est, vitium, si quod est, hoc in negotio, in ejus quæstionibus, non in datis responsionibus esse. Nam in scientia comparanda rerumque causis perquirendis, sunt nonnulli eis similes, qui quod manu tenent, vel oculis cernunt, idipsum esse, quod quærunt, nescientes, multo labore et frustra alibi quærunt. Et quemadmodum in populosa et domiciliis plena civitate aut vico, qui domum quærit, cujus et situm, et insigne pro foribus appensum, aliasque notas, quibus agnosci et ab aliis discerni potest, ignorat, eam in oculis centies habuerit, et præteriens alibi frustra tamdiu quæret, donec admonitus, et notas quibus eam agnoscat, edoctus fuerit : ita quem notæ et signa discernendi causam rei a non causa, necessariam a non necessaria, quæsitam a non quæsita fugiunt, is scientiam illius rei nunquam assequetur, veramque ejus causam sibi millies oblatam respuet, aliamque non causam vel finget, vel frustra quæret. Ad veram enim scientiam, oportet causam rei necessariam, et ejus esse causam necessariam certo et evidenter tenere, ex Philosopho lib. 1. post cap. 1. Propterea et sciendi modum et causarum in universum naturam, numerum, genera, species, necessitatem, vel contingentiam, modosque diversos perspectos habere debet, qui probe philosophari cupit. Nam, ut ait Aristoteles lib. 2. Metaphys.

Nota.

Aristoteles.

text. 15. *Peritum esse oportet auditorem veritatis, quomodo singula admittenda sint.* Et lib. 1. de partib. Animal. cap. 1. *Hominis probe periti officium est, judicare perspicienter posse, quidnam rectè aut non rectè, ab eo qui docet, exponitur.* Et lib. 3. Metaph. t. 1. *Operæ pretium est aliquid facultatis habere volentibus bene dubitare,* id est, statum quæstionis et quid ipsa postulet cognoscere. *Nam posterior facultas, solutio eorum est, quæ ante dubitata fuerunt. Solvere autem non est, cum modus ignoratur.* Et aliquanto post. *Qui quærunt, nisi primo dubitent, similes illis sunt qui quonam ire oporteat ignorant, et adhuc neque, utrum invenerint quod quæritur, an non, cognoscere possunt.*

5. Propterea Philosophus, optimus philosophandi ac docendi Magister in sua logica lib. 2. post. cap. 7. agens de medio demonstrationis, quatuor causarum genera, earumque modos distincte enumerat, et per unumquodque genus demonstrationem fieri posse ostendit. Et lib. 2. Phys. a text. 27. ad 92. hoc est ad finem usque libri, tractatum de causis (qui proprie ad metaphysicum pertinet) inseruit, et quot, quasve causas physicus quærere debeat, admonet. Ac in metaphysica, quæ scientiarum princeps est, non solum prædictum tractatum de causis in genere repetit lib. 5. Metaphys. sed toto lib. 1. post procemium, aliud nihil agit quam probare quatuor tantum, et non plura, esse causarum genera. Et toto fere lib. 2. in nullo illarum causarum genere dari progressum in infinitum, quod hic progressus scientiam omnem evertat.

Cur de causis sæpius egerit Aristoteles.

6. Ergo allatas a nobis, et hoc et capite præcedenti, causas quæstionum, quæ propositæ sunt, veras causas, easque necessarias et scientificas esse, ut manifeste appareat, nonnulla hic partim logica, partim metaphysica documenta et axiomata, omnibus forsan cognita, non tamen ab omnibus, ut par est, ad usum applicata, nobis hic necessario, et, ut spero, non inutiliter ordine recensenda sunt.

Primum. *Quot sunt quæstiones diversæ, tot debent esse responsiones.* Duplici enim quæstioni, non una, sed duplex danda est responsio, ut probat Philosophus 2. Eleuch. cap. 2.

Quindecim axiomata consideranda.

Secundum. *Omnis quæstio petit causam et medium.* 2. Post. cap. 1. et 7. et si est scientifica, petit causam primam et necessariam, id est, qua posita, non potest non poni effectus, qua sublata, non potest non tolli. 2. Phys. text. 27. et 38. lib. 1. Metaphys. Summæ 2. cap. 1.

Tertium. *Causarum quatuor sunt genera : Materialis, formalis, efficiens et finalis,* 2. post. cap. 6. 2. Phys. text. 30. et 31. et loco citato 1. Metaphys.

Quartum. *Definitio rei ad causam formalem pertinet,* seu *causa formalis est ratio ipsius quod quid.* 2. Phys. text. 28. et 30. Metaphys. text. 3. et lib. 5. text. 2.

Quintum. *Si affirmatio est causa affirmationis, et negatio negationis erit.* 1. Post. cap. 13. vel (ut aliqui numerant), cap. 14. Quod alii dicunt : *Effectus positivi causa positiva, et negativi causa negativa assignanda est.* Si enim causa salutis navis est præsentia gubernatoris, ejusdem absentia causa submersionis erit 2. Phys. textu tertio.

Sextum. Causarum et effectuum modi, cum sint varii, v. g. causa actu vel potentia, per se et per accidens, etc. 2. Physic. text. 21. *Effectus cum suo modo quæsiti, causa suo item modo affecta assignanda est,* vel ut habet 2. Post. cap. 7. *Eadem causa est iis quæ fiunt et factis et futuris, quæ est et iis quæ sunt. Medium enim est causa. Præterquam quod, iis quidem quæ sunt, quæ est : iis vero quæ fiunt, quæ fit, factis autem facta, et futuris futura, etc.* v. g. Propter quid facta est eclipsis? quia facta est interpositio terræ inter solem et lunam. Cur est? quia est interpositio, etc. Cur fit, quia fit interpositio, etc. Cur fiet? quia futura est interpositio, etc.

Septimum. Ad veram scientiam non satis est tenere causam necessariam rei, sed oportet cognoscere et certo judicare hujus causam necessariam esse, nec posse aliter esse. 1. Post. text. 5. *Scire arbitramur unumquodque simpliciter, cum causam existimamus cognoscere propter quam res est, quod illius causa est et non contingere hoc aliter se habere.*

Octavum. Quæstio *quid?* et quæstio *cur?* seu *propter quid?* coincidunt, et utraque petit eamdem causam 2. Post. cap. 1. ubi hoc exemplis probat Philosophus, v. g. Quid est eclipsis? et propter quid est? ideoque eadem responsio seu eadem causa utrique assignanda. Ad primam enim respondetur, quod est *defectus luminis in luna, propter interpositionem terræ inter lunam et solem.* Ad secundam *quod lumen in luna deficit, propter interpositionem terræ*, etc.

Nonum. Quæstio *quid?* proprie rei definitionem quærit, quæ per causas assignari debet, lib. 2. Post. text. 2. 8. et 9.

Decimum. Ut in causis non datur progressus in infinitum, ex Philosopho 2. Metaphys. a ter. 5. ad 14.; sic nec in definitionibus et demonstrationibus : cum in attributis quidditativis, standum aliquando sit tam sursum quam deorsum; ut probat Philosophus lib. 1. post. cap. 16 et 17 et 4. Metaph. text. 9 et S. Thomas ibidem, tum etiam quæstione 1. de veritate art. 1.

Undecimum. *Suprema genera definiri proprie nequeunt;* tum quia non habent supra se ullum genus; tum quia in duos vel plures conceptus ab invicem præcisos resolvi nequeunt.

Duodecimum. Definitio et nomen rei definitæ idem significant, licet diverso modo : illa distincte et explicite; hoc indistincte et confuse; 1. Phys. t. 4. et 4. Metaphys. t. 28.

Decimum tertium. Sex ultimæ categoriæ includunt aliquid extrinsecum ei de quo prædicantur, ut constat inductione et ex D. Thoma locis a nobis citatis supra cap. 46. idemque communiter docent peripatetici, Ammonius, Porphyrius supra, et Ægidius Romanus 3. Phys. text. 4.

Decimum quartum. Cum unumquodque *ut ad esse, sic ad veritatem se habeat.* 2. Metaph. text. 4. et interdum *ejusdem rei multæ sint causæ.* 2 Phys. text. 30. et 5. Metaph. text. 2; perfecta scientia rei plures causas per se et necessarias habentis (cujusmodi sunt res naturales) in earum omnium cognitione consistit. 2. Phys. text. 70. et 8. Metaphys. text. 12 et 13.

Decimum quintum. Cum quædam res et causæ sint sibi invicem causæ, 2. Phys. text. 30. atque adeo sibi invicem effectus, quando de una aliqua causa quæstio proponitur, et *quare* quæritur, aliæ solum alterius generis causæ recte responderi et assignari possunt et debent. Hoc enim vere est scire.

Ex his documentis partim logicis, partim metaphysicis ab omnibus receptis, quid bene vel male supra quæsitum aut responsum fuerit, cuivis facile est intelligere.

Bonam esse responsionem ad quæstionem primam.

7. Prima enim quæstio fuit. *Quid sit agere.* Quæ cum causam ex 2. documento, et definitionem ex 9. petat, utraque data est, nempe *dare esse alicui,* vel *habere aliquid a se dependens,* vel *esse principium unde mutationis et quietis.* Hæc enim est definitio actionis, seu supremi generis categoriæ agere, qualis dari potest ex 11. documento. Definitio autem est causa formalis, ex 4. documento. Et causa data est prima et necessaria, qua posita, ponitur effectus, qua sublata, tollitur; quia id omne quod agit

est principium unde, et habet aliquid a se pendens et exiens; et omne quod non agit, est non dans esse, vel non est principium unde.

Ad secundam. **8.** SECUNDA quæstio fuit. *Quid sit solem illuminare aerem?* Cui responsum est, contrahendo definitionem ipsius agere, nihil aliud esse, quam *solem dare esse lumini in aere,* vel *lumen aeris esse a sole,* vel *solem esse principium, unde est motus illuminationis vel quies luminis in aere.* Ut enim illuminare est specie quædam ipsius agere; sic definitio ejus sub definitione agere contineri debet. Et quia ipsum agere et illuminare sunt de categoria agere, una ex sex ultimis, quæ ex docum 13. includunt aliquid extrinsecum ei cui attribuuntur; propterea et lumen et aer ipsum recipiens, quæ sunt extrinseca soli agenti et illuminanti, illis definitionibus diserte exprimuntur.

Ad tertiam. **9.** TERTIA quæstio fuit. *Quid sit esse A?* vel *dare esse alicui?* vel *lumen esse a sole,* vel *solem esse principium unde motus illuminationis vel quietis luminis in aere?* Quæ quæstio, cum definitionem postulet, ex Docum. 1. nec detur proprie definitio definitionis, cum non sit progressus in infinitum in definitionibus et in quæstionibus ex Docum. 10.; propterea vitiosa est. *Non enim oportet omnium definitionem quærere,* lib. 9. Metaphys. text. 10. Nam, ut ait S. Thom. ibid lect. 5. *Prima simplicia definiri non possunt, cum non sit in definitionibus abire in infinitum.* Et Aureolus in 3. dist. 1. q. 1. art 1. *Quæ sunt prima,* inquit, *impossibile est aliter definiri vel explicari, ut impossibile est aliter definiri ubietari, nisi loco contineri; et suppositari naturam, nisi naturam esse in supposito; et ista sunt ex natura rei, sicut paternitas est qua pater est Pater, et non aliud quærendum.* Hæc ille.

Aristoteles. D. Thomas. Aureolus.

QUARE quemadmodum *demonstrare velle manifesta per immanifesta, hominis est nescientis discernere quod per se ipsum notum est, ab eo quod non est notum per se,* 2. Phys. text. 6. et lib. 8. text. 26.; *quærere rationem eorum, quæ melius cognoscimus, quam si ratione indigeremus, male judicare est id quod melius et pejus est, et credibile et non credibile, et principium et non principium. Et* 4. Metaphys. text. 9. *omnia per causam probare velle et nescire quorum oportet quærere demonstrationem et quorum non, est ignorantia. Etenim omnium esse demonstrationem est omnino impossibile. In infinitum namque esset pro-*

gredi : quare nec hoc modo esset demonstratio. Sic definitionis præsertim supremi alicujus generis quærere quid seu definitionem, hominis est artis logicæ non satis periti, non valentis discernere melius a pejori, principium a non principio, credibile ac notum per se a non credibili nec per se noto.

Itaque qui quærit *quid sit definitive esse ab aliquo?* vel *esse principium unde mutationis, aut quietis?* vel quid sit esse ab alio? Quid sit esse in loco, seu contineri a loco? Vel quid esse in tempore, vel habere aliquid circa corpus, ut vestem, annulum, etc. quæ sunt definitiones supremorum generum, 1. quidem ipsius agere, 2. pati, 3. ubi, 4. quando, 5. habere; male quærit, quod hæc sint per se nota, cognitis terminis, et sensu ipso notiora, quam ulla alia oratione definitiva apertius declarari possint.

10. Si quis tamen prædicta interroganti respondeat dicatque, quod primum est agere, secundum pati, tertium ubi, quartum quando, quintum habere, licet ex eo capite bene respondeat, quod definitum idem significat quod definitio, juxta documentum duodecimum supra; tamen absolute loquendo non recte respondet, eo quod definitum, licet cognitione confusa nobis notius sit; cognitione tamen distincta et scientifica obscurius est definitione ex eodem documento. Sicut igitur quærenti, quid *sit animal rationale?* seu quid *substantia corporea, vivens, sentiens et rationalis?* aut nihil respondendum est, aut dicendum, *quod est homo.* Sic quærenti *quid sit solem,* v. g. *esse principium unde est aliquid,* v. g. lumen in aere, vel nihil respondendum est, quod id sit principium per se notum, nihilque melius et clarius afferri possit : vel male quærenti, male et obscurius respondendum est, quod est solem agere et illuminare aerem, aut aliud corpus.

11. Quarto. Quæsitum est, Deo se solo lumen in aere conservante, *Cur tunc sol non illuminet, cum antea illuminaret? Quidve sit solem non amplius illuminare, cum antea illuminaret?* Quibus quæstionibus responsum est causam formalem non aliam esse, quam quod sol erat antea id unde lumen erat in aere, et nunc, Deo se solo lumen conservante, non est amplius, id unde est lumen in aere, seu lumen non est amplius ab eo. Quas responsiones optimas et scientificas esse ex supradictis regulis evidens est. Nam cum plures sint quæstiones, quarum una est *affirmativa,* nempe, *cur sol antea illuminaret;* altera *negativa,* nempe *cur, Deo se solo illud lumen conservante, non amplius illuminet,*

Responsionem ad 4. quæst. esse bonam.

et illa sit de præterito, hæc de præsenti, quæstioni duplici duplex data est responsio, juxta primum documentum. Et affirmativæ causa affirmativa, negativæ negativa assignata est, juxta documentum quintum. Et utraque necessaria, qua posita, non potest non poni effectus, qua sublata, non potest non tolli, juxta Documentum 2. Et illa de præterito, hæc de præsenti, juxta 6. Documentum. Denique quæstionibus, *cur sol illuminet? Quid sit solem illuminare?* Eadem responsio data est, quia idem quærunt, juxta 8. Documentum.

12. Ex his manifeste patet quæstionibus, et hoc et præcedenti capite factis, optime et scientifice a nobis satisfactum esse manifestum item est, in quo peccent, qui præter locum quærunt *per quid formaliter res est hic, vel alibi.* Vel *per quid formaliter anima corpori, humanitas Verbo, accidens subjecto uniatur?* Fieri enim divina saltem virtute posse, inquiunt, (quod omnino illis concedendum est, cum id non repugnet, neque ullum ex eo sequatur incommodum) ut anima corpori, accidens subjecto, Verbum humanitati intime præsens sit, nec tamen uniantur, nec constituant unum aliquod totum. Quæstio enim, *cur,* aut *per quid* anima unitur corpori (idem intellige de aliis quæstionibus) omnino causam quærit, eamque primam ac necessariam, ex Documento 2. supra. Et eadem quærit causam causæ. Est enim de anima, prout est causa formalis hominis et corporis humani. Quærere enim, cur anima uniatur corpori, idem est ac cur anima est actu causa formalis corporis et hominis. Igitur quærit causam causæ formalis. Causæ autem formalis, cum nulla alia sit causa formalis præsertim physica et realis, vitiose omnino petit, qui aliam formalem, sive realem, sive modalem postulat. Quare cum causæ, si non quoad esse, saltem quoad causalitatem interdum sibi invicem sint causæ, quæstioni de causalitate causæ formalis, et cur res aliqua fit actu causa formalis, non nisi per alterius generis causam necessariam materialem, scilicet, efficientem et finalem (ex document. 15 supra), bene et scientifice responderi potest; uti factum est, capite præcedenti, num. 5. ubi dictum est, quod forma est unita materiæ et anima corpori; quia agens eam univit; quia corpus unitur animæ, hæcque in eo recipitur; et quia ex utraque fit homo. Seipsa enim formaliter corpori et hoc seipso illi materialiter et utrumque ab agente efficienter uniuntur, ut fiat totum et homo ad speciei humanæ conservationem, et sic in omnibus aliis rebus naturalibus.

Quæstioni cur anima uniatur corpori recte satisfactum esse.

Quæ omnes causæ assignatæ sunt scientificæ et necessariæ. Semper enim et quotiescumque fit et est totum, et forma materiæ et materia formæ ab agente uniuntur; et quando non est totum, nec forma materiæ, nec materia formæ ab agente uniuntur et impossibile est aliter fieri. Quæstioni igitur propositæ plenissime satisfactum est, eique non modo sic respondet Philosophus, sed aliter satisfieri non posse disertis verbis asserit lib. 8. Metaphys. text. 15. *Quæ hujus causa est*, inquit, *ut quod potentia est actu sit in quibuscumque generatio est, præter illud quod fecit? Nulla enim alia causa, ut actu sphæra sit, quæ potentia sphæra erat.* Et text. 16. *Simile est quærere quidnam unius causa sit et ut unum sit. Unum enim quiddam unumquodque et quod potentia et quod actu unum quodammodo est. Quare nulla alia causa est, nisi si quid fuit, tanquam ex potentia in actum movens.* Et lib. 12. Metaphys. extremis pene verbis. *Quomodo numeri sint unum, aut anima et corpus et omnino forma et res, nemo aliquid dicit, nec dicere potest, nisi, ut nos, dicat, quod, ut movens, faciat.* Aristoteles.

Idem existimandum de responsionibus factis ad quæstiones. *Cur humanitas sit unita Verbo, non Patri, aut Spiritui Sancto? Cur res sit hoc in loco, non in alio,* et de aliis, quæ similibus quæstionibus fieri debent. Iisdem enim principiis et documentis logicis scientificas et veras esse ostenditur. Nec justiori, quam hac trutina, quæstionibus philosophicis datæ responsiones expendi et examinari possunt.

13. Duplici autem de causa datæ responsiones nonnullis insufficientes esse videntur. Una quod, cum omnis quæstio sit rei ignotæ investigatio ex sciendi cupiditate; id autem, quod eorum quæstionibus responsum est, illis jam notum, et perspectum sit. Si enim sol illuminat aerem, facile intelligunt lumen in aere esse a sole, vel solem esse principium unde est illud lumen : si forma unitur materiæ, clarum est quod materia unitur formæ, quod agens ea univit, et quod fit totum aliquod, propterea nihil sibi responderi putant. Quasi vero scienti quid sit homo, id tamen ab alio quærenti, si ille respondeat esse animal rationale, nihil aut inepte ei respondeat : aut quærenti, cur, aut per quid Petrus, v. g. sit formaliter pater, albus, musicus, etc., inepte respondeat, qui dixerit, esse formaliter patrem per paternitatem, album per albedinem, musicum per musicam, etc. Altera quod non advertant sex ultimas categorias connotare et includere aliquid extrin- Cur datæ responsiones appareant insufficientes.

secum ei de quo prædicantur, putentque id omne a quo aliquid denominatur debere esse formam aliquam secundum naturam, quod non est verum. Sufficit enim ad veram denominationem ut id quod denominat significetur per modum formæ grammatice loquendo. *Denominatur enim homo ab actione et indumento et ab aliis hujusmodi quæ realiter non sunt formæ.* Inquit S. Thom. q. 7. de Pot. art. 10. ad 8.

14. Ad extremum ex hactenus dictis intelligitur, in scientiis tractandis et solvendis quæstionibus, quanti referat modum sciendi tenere, et ad logicæ præcepta attendere ejusque parere legibus. Nam si, ut ait Augustinus lib. 2. de doctrina Christi. cap. 31. *Ipsa definiendi, dividendi, disputandi disciplina ad omnia genera quæstionum, quæ in litteris sanctis sunt, penetranda et dissolvenda plurimum valet,* quidni tantumdem valeat ad omnes scholasticæ theologiæ aliarumque scientiarum quæstiones enodandas? Si eadem, ibid. cap. 39. *per totum textum Scripturarum colligata est nervorum vice,* an non eodem munere fungi debet in libris de quacumque materia bene contextis, ita ut vera confirmet, falsa minusque sibi consentientia coarguat et ostendat? Nihil enim verius, quam quod idem habet lib. 2. de ordine capite 13. quod *dialectica, disciplina disciplinarum est, quæ docet docere, docet discere. Hac ratio scit se scire. Sola scientes facere non solum vult, sed etiam potest.*

Logicæ ad sciendum necessitas.

CAPUT LVI.

Solvitur tertium pro modis argumentum ex actionum novitate et diversitate.

Proponitur argumentum.

1. Actionis novæ et diversæ, inquiunt, novus et diversu debet esse terminus. Igitur cum creatio, eductio, transubstantiatio active sumptæ sint actiones diversæ; diversi esse debent earum termini. Non autem semper ultimi, eadem enim numero entitas realis creatione, eductione, et transubstantiatione produci potest, vel etiam pluribus solo numero diversis actionibus, si nimirum sæpius corrupta vel annihilata sæpius a Deo creetur

vel educatur ex potentia materiæ. Igitur necessario admittendus est immediatus aliquis illarum actionum terminus, qui modus dicitur. Similiter generatio compositi naturalis, v. g. hominis, est actio re diversa a productionibus et creationibus corporis et animæ. Hæ enim illa priores sunt, et sine ea esse possunt, cum, scilicet, terminantur ad corpus et animam sejuncta. Deinde generatio est actio simplex. Simplex autem identificari non potest duobus extremis re distinctis. Igitur non potest esse eadem, vel cum corpore et anima, vel cum productione utriusque. Quare modalem aliquem terminum unionis materiæ cum forma habere debet, cui identificetur. Idem fit argumentum de Incarnatione active sumpta, et eodem modo probant ejus terminum esse modum quemdam unionis hypostaticæ humanitatem Verbo divino devincientem, ab utroque extremo a parte rei distinctum; cum generatio Verbi et generatio humanitatis ipsa Incarnatione priores sint, et sine ea esse possint in rerum natura.

2. Bene habet quod hoc argumento fatentur modistæ proximum et immediatum actionis terminum, quem *modum* vocant, re et identitate idem esse cum actione. Hinc enim intelligent mirum non esse, nec pro absurdo ducendum, nos, qui nullum alium cujusque actionis terminum esse putamus, quam ipsam, quæ producitur, rei entitatem realem, hunc idem esse cum ipsa actione defendere, nec ab ea a parte rei distingui. Nota.

3. Verum ad plenam et claram propositi argumenti dissolutionem observandum est actionem aliquam duobus modis unam et eamdem esse posse cum alia, totidemque modis novam et diversam ab alia. Primo *simpliciter, integre, et complete* secundum omnia quæ actio includit in suo conceptu. Secundo *incomplete, inadæquate, et secundum quid,* quando eadem est secundum aliqua et non secundum alia. Actio enim, ut docuimus supra cap. 35. num. 2. abstractum quoddam est metaphysicum a quo res agens denominatur, cujus concretum est ipsum agens seu agere, et utrumque, ut diximus, idem importat, licet alio modo. Agere autem in suo conceptu adæquato multa includit vel connotat, scilicet, principium proximum unde est aliud; et ipsum aliud, prout est actionis terminus; et tempus. Ideoque in definitione verbi posuit Philosophus lib. 1. de Interpret. cap. 3. *Quod consignificat tempus,* connotat et habitudinem ad subjectum, et ad alias socias causas concurrentes ad rei productionem, ac etiam

Dupliciter actio aliqua est eadem cum alia vel diversa.

Actio multa involvit in suo conceptu.

aliquando ad terminum a quo. Itaque quando illa omnia sunt eadem, *agere* tunc est idem perfecte, et *actio* est simpliciter et absolute eadem. Qnando vero horum aliquod deest, non est actio perfecte eadem.

Quæ ad unitatem motus requirat Aristoteles.

4. Unde quemadmodum Philosophus 5. Physicorum textu 34. 35. et sequentibus, ad perfectam unitatem motus subjecti, termini, et temporis unitatem requirit et eumdem tendendi modum ad terminum; qua de causa motus circularis et rectus ab eodem licet termino a quo, ad eumdem ad quem, non sunt unus et idem motus; requirit præterea unitatem moventis lib. 8. Physic. text. 49. et 83. Ita ad perfectam actionis unitatem requiritur idem numero agens, idem terminus, idem tempus, idem modus agendi : ita ut, si quid horum idem non sit, actio non sit complete eadem, sed incomplete tantum, et aliquo modo diversa. Nam si vel agens, seu proximum agendi principium sit diversum, quamvis idem sit effectus, idemque terminus, actio non erit eadem, ut habet Sanctus Thomas, quæst. de unione Verbi, art. 5. Et hinc est quod idem currus a pluribus equis non eadem actione trahitur, qua ab uno : et res alia actione a Deo solo quam ab eodem cum causa secunda producitur.

Quæ faciant actionis diversitatem.

5. Actio item diversa erit, si tempus sit diversum. Ut enim motus quiete et cessatione interruptus, non est unus; sic nec actio. Vel si agendi modus et causarum concursus sit diversus, tametsi terminus sit idem : ut patet in eductione, creatione, et transsubstantiatione. Si enim res eadem tribus illis actionum generibus, sive eodem, sive diverso tempore, diversisque locis producatur; licet ex parte termini producti, tres hæ actiones re idem sint, tamen conceptu sunt diversæ, propter diversitatem eorum, quæ ad eas concurrunt. Imo si solum terminus a quo sit diversus. Propterea enim actio, qua subjectum movetur, et transit a termino a quo ad terminum ad quem, motio, seu mutatio activa dicitur, estque aliquo modo diversa ab ea, qua idem terminus ad quem quiescit, et conservatur ab eodem agente. Actio vero simpliciter et perfecte diversa ea est, quæ secundum prædicta omnia est diversa.

Novitas et diversitas actionum est præcipue ex termino ad quem.

6. Verum quoniam, ut notat S. Thomas 1. part. q. 45. art. 5. ad 2. et species et dignitas actionum, atque adeo novitas, ac diversitas realis earum, ex novitate et diversitate reali terminorum potissimum sumitur; propterea ex parte terminorum duplex dis-

tinguenda est realis novitas et diversitas actionum. Si enim termini adæquate simpliciter, et se totis sint re diversi, ut Michael, et Gabriel, sol et luna, actiones etiam ex parte terminorum se totis et adæquate re distinctæ erunt, ut creatio Michaelis, et creatio Gabrielis, productio plantæ, et productio hominis. Si vero termini inadæquate tantum re differant, quo modo tantum differt a suis partibus, et ignis ex aere productus ab ipso aere, (communem enim habent materiam) tunc eorum actiones eodem tantum modo, inadæquate, et secundum quid realiter distinctæ erunt, et eo modo, quo totum a partibus, vel pars a toto. Ratio hujus rei est, quia actio re, et entitative, aut, ut alii loquuntur subjective, eadem est cum suo termino. Igitur qualis est termini entitas, talis etiam esse debet actionis realitas. Si terminus simplex ut angelus, simplex etiam erit ejus productio ex parte termini; si composita, ut homo et quælibet substantia naturalis, composita etiam actio productiva illius, ab iis actionibus quæ terminantur ad partes, eo modo differet, quo ipsum totum a suis partibus; eumdemque ad eas habebit ordinem prioris et posterioris, quem habet totum ad partes. Et si terminus compositus sit unum per se, et una essentia re diversa a suis partibus, ut est omnis substantia naturalis; totalis actio productiva illius, et realiter, et essentialiter diversa erit ab actionibus, quibus illæ partes producuntur. Si vero non sit unum per se, sed solum per accidens, ut album et omne totum accidentale; eodem modo una erit illa actio totalis.

Quid includat generatio adæquate sumpta.

7. Itaque licet generatio compositi pro sola formæ productione et inductione in materiam vulgo accipiatur, quia, scilicet, sola hæc productio formæ fit de novo, et advenit materiæ præexistenti a Deo conservatæ per creationem, et quia ejus terminus proximus est forma, quæ composito dat speciem propriam, et distinctionem ab aliis; tamen complete et adæquate sumpta, et hanc et continuam materiæ primæ conservationem creativam includit : ideoque creatio ratione materiæ omnibus naturæ operibus admiscetur, eamque omnes aliæ actiones naturales præsupponunt. Lib. 2. contra Gentes cap. 21. Et 1. part. q. 45. art. 8. Nihilominus agens naturale totum compositum facere et generare vulgo dicitur, quia formam præcipuam, ut dictum est, compositi partem producit, et unit materiæ, imo etiam si solum efficiat dispositiones ad illam unionem necessarias, et quibus positis forma naturali ordine statim producatur a solo Deo, ut accidit in generatione hominis, ex D. Thoma 1.

part. quæst. 118. a. 2. ad 4. Productio igitur compositi adæquate sumpta non est simplex quædam actio, sed composita.

Ut terminus, sic actio in multa ratione distincta dividi potest.

8. Observandum præterea, quod sicut ipsa entitas cujuscumque termini producti, in multa, hoc est, in gradus vel conceptus genere, aut specie et ratione tantum diversos distingui potest, ut in lumine distinguuntur rationes accidentis, qualitatis, visibilitatis, seu luminis, similitudinis, unius, veri, boni, etc.; ita actio, qua illa entitas producitur, in totidem eodemque modo diversas actiones conceptibiliter et ratione distingui potest. Ideoque realis actio productiva luminis, est, ut ita dicam, entificatio, accidentificatio, qualificatio, illuminatio et assimilatio, quæ postrema eodem modo aliis accidit et ab eis separari potest, quo relatio similitudinis ab entitate luminis. Itaque ædificatio domus et productio lapidum ex parte termini re non differunt, quia non habent terminum re distinctum, licet una ab alia quodammodo et secundum quid separari possit. Etenim si Deus lapides acervatim vel disjectim creet, multiplex quidem erit lapidum creatio, non autem ædificatio. Si vero eosdem proximos et eo ordine positos ut domum constituant, illæ multorum lapidum creationes erunt ædificatio domus, non secus ac creatio vestis circa corpus Petri simul est ejus vestitio, et clavi ligno infixi productio simul erit clavi et productio et infixio.

Solutio propositæ objectionis.

9. His præmissis objectio initio proposita facilem habet solutionem. Concessis enim primi syllogismi et antecedente et consequentia hoc sensu, quod eo modo novus est terminus quo actio nova est; negandum est creationem, eductionem et transsubstantiationem, quando sunt circa eumdem numero terminum a parte rei differre. Nam ratione solum et definitione differunt propter diversa connotata quæ includunt. Productio enim illius entitatis est eductio, prout in suo conceptu dicit concursum causæ materialis simul cum efficiente, quem creatio excludit : et est transsubstantiatio, ut dicit conversionem substantiæ in aliam totam, connotans desitionem totius alterius substantiæ, ut termini a quo.

Eductio non semper est mutatio.

Et quemadmodum eductio formæ de potentia materiæ præexistentis, quæque facit illam transire de non esse ad esse, est productio motus, seu mutatio activa; non est autem, quando terminatur ad formam simul cum materia productam, ut contigit in prima mundi rerumque omnium a Deo molitione, qua materia et forma simul factæ sunt, et hæc dependenter ab illa, sicut et continue

postea conservata est. Idemque existimandum de creatione animæ rationalis, eam nimirum, ut terminatur ad animam materiæ præexistenti advenientem, facitque eam transire de non homine ad hominem, verissimam esse motionem seu mutationem activam. Quis enim negarit hominum qui nunc fiunt generationes non esse veras mutationes et generationes substantiales, cum integra mutationis ac generationis definitio plane eis conveniat? non esse autem mutationem, si simul cum corpore creetur, eique uniatur. Ita productio formæ quando ad eam ejusque entitatem materia passive concurrit, eductio est; non est autem eductio, sed creatio, quando materia non concurrit, licet terminus productus realiter idem sit.

Creatio aliquando est vera mutatio activa.

10. Neque vero ex eo quod actiones illæ ratione tantum differunt, inferri potest agens, a quo aliquid uno modo v. g. per eductionem produci potest, illud idem alio modo, videlicet, per creationem producere posse. Major enim et superior quædam virtus requiritur ad rem uno modo quam alio producendam, ut habet S. Thomas 1. part. q. 45. art. 5. ad 3. Potest enim ignis alium ignem producere, quem non potest reproducere. Potest generans dare, vel ipsa anima primo suo in corpus ingressu fundere ex se videndi, audiendi, aliasque hujusmodi facultates; amissas vero, nec easdem, nec alias dare potest.

11. Negandum item actiones, quibus eadem res diverso tempore vel conservatur, vel reproducitur, esse re diversas ex parte termini, propter rationes antedictas.

12. Ad id etiam quod de actione generationis objicitur responsio facilis et clara est, ex antedictis. Negandum enim est eam esse actionem quamdam simplicem, quæ terminetur ad ullam entitatem, vel modum formam materiæ agglutinantem. Est enim actio, ut dictum est, totalis et composita ex duabus partialibus. Quæ duæ actiones partiales uniuntur ad invicem ad totalem constituendam hoc ipso, quod partiales earum termini, v. g. anima et corpus, in homine uniuntur, suasque exercent causalitates erga se invicem et erga totum quod constituunt; quia re idem sunt cum ipsis partibus et quia dependentia effectus et compositi naturalis a suis causis extrinsecis, efficiente et finali, non est nisi per intermedias ejusdem causas intrinsecas, ex S. Thoma q. 5. de Potentia art. 1. his verbis : *Effectum a sua causa dependere oportet. Hoc enim est de ratione effectus et causæ. Quod in causis materialibus et formalibus manifeste apparet. Quocumque enim ma-*

Generatio non est actio simplex.

D. Thomas.

teriali vel formali principio subtracto, res statim esse desinit, cum hujusmodi principia intrent essentiam rei. Idem autem judicium esse oportet de causis efficientibus, quod de formalibus vel materialibus. Nam efficiens est causa rei, secundum quod formam inducit vel materiam disponit. Unde eadem dependentia rei est ad efficiens et ad materiam et formam, cum per unum eorum ab altero dependeat. De finalibus autem causis oportet etiam esse idem judicium, quod de causa efficiente. Secundum hoc ergo esse rei factæ dependet a causa efficiente, secundum quod dependet ab ipsa forma rei factæ. Et 1. 2. quæst. 110. art. 1. ad 2. *Inter formam,* inquit, *et materiam non cadit aliquod medium; quia forma per seipsam informat materiam vel subjectum. Sed agens informat subjectum, non per suam substantiam, sed per formam quam causat in materia.*

13. Utrum autem uberior requiratur agentis, præsertim creati, influxus majorque vis ad producendas partes unitas, mutuamque inter se et erga totum quod constituunt causalitatem exercentes, quam separatas ab invicem, nihil, aut parum refert ad id de quo agimus. Nam una ex parte, major vis requiritur videtur ad eas conjunctim producendas; quia totum ipsum, præsertim naturale et essentiale, in ratione entis et substantiæ quid majus et perfectius est, quam ambæ ejus partes separatæ. Deinde ut esse, sic fieri et produci proprie est totius, et non partium, quæ solum fiunt et producuntur ut id quo, totum autem ut quod. Aliunde vero in quam partem magis inclino, ad easdem separatim producendas, aut conservandas, vis major agendi et influxus fortior requiri videtur. Tum quia productio et conservatio formæ, tam substantialis quam accidentalis separatæ a subjecto, videtur esse creatio; ad creationem autem major vis et potentia requiritur, quam ad quamlibet aliam productionem. Tum quia agens naturale cum educit formam ex subjecto, ab eo ejusque concursu et causalitate materiali adjuvatur. Igitur minore ei opus est vi et contentione agendi.

Forma separata difficilius quam unita producitur.

Objectio.

14. Dices : illius actionis qua producitur corpus naturale, re et essentia a productione formæ distinctæ debet esse formalis aliquis terminus; hic autem quis alius fuerit, quam modus aliquis ab ipso corpore naturali distinctus? Igitur admittendus est modus aliquis.

Responsio.

15. Concessa Majore, eo modo et sensu, quo ante explicata est, ad quæstionem Minoris, qua quæritur quis sit terminus formalis

illius actionis, qua totum producitur; respondeo. Si per *terminum formalem* intelligatur verus ac proprius et per se totalis illius actionis terminus, a quo specificatur et ab omni alia distinguitur, non est alius quam ipsum compositum naturale. Ut enim totum respectu partium rationem formæ habet 2. Phys. text. 31. et diximus supra cap. 12.; ita totalis actio productiva compositi, respectu partialium rationem habet formæ, et formalis ejus terminus est ipsum compositum. Si vero nomine *termini formalis* qui quæritur, intelligatur quidnam in illo toto quod producitur, habeat rationem formæ respectu alterius partis, atque adeo rationem termini formalis partialis productionis compositi, respondeo, quod est ipsa forma unita materiæ. Hæc enim, cum sit forma et pars præcipua compositi, quæ dat ei speciem, est etiam terminus præcipuus actionis, qua producitur. Ideoque agens, quod eam producit, totum ipsum magis producere dicitur, quam quod producit materiam tantum, et quod unit utramque adhuc magis et verius totum facit.

Quis sit formalis actionis terminus.

16. Tandem de Incarnatione activa idem dicendum quod de generatione compositi naturalis, eam scilicet non esse actionem quamdam simplicem, sed compositam. Cum enim Christus non sit tertia quædam natura a Verbo divino et humanitate realiter aut essentialiter diversa, sed sit ipsa persona Verbi divini ab humanitate indivisa, vel hypostasis Verbi in duabus naturis, divina et humana, subsistens; propterea Incarnationis actio non est tertia et simplex quædam actio ab æterna Verbi divini et temporali humanitatis assumptæ generatione re aut essentialiter distincta; sed sunt duæ illæ generationes hypostatice indivisæ, ipsaque Incarnatio totalis, est actio hypostatice una, prædictas duas generationes includens et ex eis composita, eo modo, quo Christus ejus terminus est compositus. Ex quo fit, ut generatio æterna Filii Dei, quæ ante Incarnationem erat solum generatio Verbi divini, in Incarnatione et ut terminatur ad Verbum unitum hypostatice humanitati sit Incarnatio activa et unitio cum humanitate. Et vicissim generatio humanitatis Christi, quæ fuisset generatio hominis puri, si humanitas illa fuisset sola et separata a Verbo, quia terminatur ad humanitatem realiter et hypostatice unitam Supposito Divino, est etiam unitio, vel potius deificatio, seu generatio hominis Dei. Ex quo etiam sequitur quod Incarnatio ex parte Verbi active tantum est a Patre; ex parte autem humanitatis assumptæ,

Quid sit Incarnatio activa adæquate sumpta.

est a tribus personis divinis, ut a causa prima communi et creante; a B. autem Virgine, ut a causa secunda et particulari et ut a matre Dei et hominis.

Argumentum est dupliciter vitiosum.

17. Postremo totum hoc argumentum ab actione ductum duplici vitio laborare videtur. Unum est *fallaciæ consequentis.* Cum enim fateantur omnes eamdem numero rem eumdemque terminum diversis actionibus, sive ab eodem, sive a diverso agente naturaliter, aut saltem supernaturaliter produci posse; cum præterea actio, seu dependentia effectus a sua causa quadrupliciter, ut dictum est, nova et diversa esse possit, scilicet, ex parte agentis tantum, vel ex parte termini tantum, vel ex modo producendi, vel simul pluribus aut omnibus illis modis; ex novitate et diversitate actionis in universum, novum et re diversum terminum inferre est ex affirmatione consequentis affirmare antecedens; et ex eo quod aliquid sit animal, inferre illud esse hominem.

Laborat vitio petitionis principii.

18. Alterum vitium est *petitionis principii,* et probationis obscuri per obscurius. Terminus enim actionis, ejusque vel identitas, vel diversitas, ac multiplicatio, sive secundum rem, sive secundum rationem, longe nobis notior et evidentior est ipsa actionis qua producitur existentia et diversitate, ut patet in calore, qui longe nobis notior est calefactione; tum quia calefactionem esse, non nisi per calorem cognoscimus; tum quia de calore, an sit, et quomodo a frigore differat, nemo dubitat. An vero sit ab igne, et an sit actio illius, non desunt qui dubitent, imo qui negent dicantque a solo Deo esse; idemque de formis substantialibus plerique asserunt. Sunt etiam qui formas substantiales re distinctas a dispositionibus negent produci actione diversa ab ea, qua ipsæ dispositiones producuntur. Præterea actio non solum entitatem, sed etiam speciem suam accipit a termino, et insuper ad proprium et distinctum ejus conceptum formandum, multo plura requiruntur, ut ex antedictis constat, quam ad terminum distincte concipiendum. Denique terminus actionis sæpe sub sensum cadit; actio autem nunquam, aut non nisi per ipsum terminum et effectum. Neque enim calefactionem, sed calorem sentimus. Igitur actio ignotior est suo termino, et ex diversitate actionum, terminorum diversitatem colligere est principium petere, et obscurum per obscurius, magisque notum per minus notum probare.

19. Denique nihili facienda est eorum, vel instantia, vel quæs-

tio, qui dicunt : *Quod si actio non est modus a parte rei a termino distinctus, Deo se solo lumen in aere ad præsentiam solis conservante, quî poterit id cognosci? et discerni quandonam a Deo cum sole producatur?* Quasi vero id melius discernatur per modum illuminationis a lumine distinctum. Unde enim cognoscent esse, vel non esse illum modum, cum, si mille essent tales modi, ne unum quidem ex illis possent ullo indicio deprehendere? Utronam igitur modo, sole præsente, lumen producatur, cum a solo Deo producitur, ignotum nobis erit. Vel quandoquidem Deus id miraculi facturus est rei alicujus gratia, si nos scire volet, per se ipse, vel per angelum revelabit, vel solem amovebit, et transferet ad aliud hemisphærium, nostro claro et lucido permanente.

CAPUT LVII.

Examinatur tritum axioma modistarum : Non potest fieri transitus a contradictorio in contradictorium sine mutatione.

1. Est et quartum argumentum, quo non pauci impediuntur, et cui nonnulli etiam dant manus. *Sunt enim qui, cum non possint contentiosas rationes solvere, eis cedunt, admittuntque, ut verum, quod syllogizatum est,* inquit Philosophus lib. 4. Metaphys. text. 28. Est autem hujusmodi : Non potest fieri transitus a contradictorio in contradictorium, sine mutatione. Vel, ut alii enuntiant : Non potest nova denominatio advenire alicui sine aliqua, vel in eo, vel in aliquo alio mutatione. Manentibus enim iisdem omnibus eadem affirmari vel negari necesse est. At soli, lumen a se in aere productum non amplius conservanti, nova advenit denominatio, et transit a denominatione agentis et illuminantis ad contradictoriam non agentis nec illuminantis; et aer etiam transit ex denominatione patientis a sole ad denominationem non amplius patientis ab eo. Igitur necessario mutatio aliqua facta est; non in sole, quia agens agendo non patitur et sol sive illuminans, sive non, idem semper manet; ergo in aere patiente, Objectio.

vel lumine, necessario debet perire modus aliquis actionis et dependentiæ a sole.

2. Hujus argumenti tota vis, cum in Majori propositione posita sit, ea a nobis accurate discutienda est; et quomodo ac quatenus admittenda, aut rejicienda sit, quidve ex ea recte et quid non recte inferatur, distincte ac uberius nobis declarandum est.

Obj. varie proponitur.

Ac id in primis observandum ejusmodi axioma, non a variis solum auctoribus, sed interdum etiam ab eodem, tam varie efferri, ut vel sola terminorum varietas sermonisque inconstantia illud cuique dubium ac suspectum merito reddere debeat.

Primus modus.

Primo igitur communiter enuntiatur, ut in objectione positum est. *Non potest fieri transitus a termino contradictorio in contradictorium sine mutatione.* Qui loquendi modus videtur satis improprius et huic similis : *Non potest fieri seu esse animal rationale sine homine,* seu, non potest fieri definitio sine definito. Transitus enim a termino contradictorio ad contradictorium est ipsa definitio mutationis apud Philosophum 5. Phys. textu 7.

Secundus modus examinatur.

3. Secundo ab aliis sic proponitur : *Nulli potest advenire nova denominatio sine nova aliqua mutatione.* Sed contra. Cum sit duplex denominatio, *formalis* et *objectiva,* de utraque, an de una tantum propositio intelligenda sit et si de una solum, de qua non exprimitur. Nam si intelligatur de *formali,* argumentum erit a posteriori. Formalis enim denominatio, cum sit operatio nostri intellectus, posterior est objectiva; id est, ea, quæ est illius objectum, præsertim in speculativis. Si vero de *objectiva* intelligatur erit propositio identica et ejus subjectum et attributum idem erunt. In rebus enim creatis nova denominatio objectiva et mutatio idem sunt. Hocque solum differunt, quod nomen *mutationis* significet rem, ut est a parte rei, sine ordine ad nostrum intellectum; nomen autem *denominationis* eam significet in ordine ad intellectum nostrum et ut a nobis prædicatione seu propositione aliqua concipi et enuntiari potest. Deinde mutatio objectiva cum sit multiplex, an universim de omni, an de aliquo tantum mutationum genere prædictum axioma intelligendum sit, non declaratur. Nam mutatio terminus est valde transcendens et æquivocus, nec eas tantum mutationes complectitur quas enumerat Philosophus in Postprædic. cap. 4., sed longe plures.

Denominatio duplex.

Mutatio est multiplex.

Etenim, ut passio sumitur; nunc *large,* ut etiam extrinsecam comprehendit, quo sensu videri, intelligi, teneri, tangi passiones

dicuntur; nunc *stricte* pro sola intrinseca, sive perfectiva ut intelligere, videre, sanari, sive corruptiva ut ægrotare in animali, calefieri in aqua, comburi in ligno; nunc *pressius et strictius* pro sola passione corruptiva : ita et mutatio, quæ realiter eadem est cum actione et passione. Deinde mutatio alia est *propria,* cujus tria principia per se assignat Arist. 1. Phys. a textu 58. ad 68. nempe subjectum, terminum a quo et terminum ad quem sibi invicem succedentes in illud subjectum, ita ut sub termino a quo sit prius, prius, inquam , tempore, seu existentia ac duratione et immediate post sub termino ad quem : ideoque mutatio omnis, proprie et adæquate sumpta, est in tempore, includitque intrinsece successionem terminorum in eodem subjecto. Quod expresse asserit et ex ipsa nominis etymologia probat Aristoteles lib. 5. Phys. text. 7. *Quoniam,* inquit, *omnis transmutatio est ex quodam in quiddam; manifestat autem et nomen* μεταβολὴ μετὰ ἄλλο γὰρ τι, *post aliud enim aliquid, et aliud quidem prius significat, aliud autem posterius.* Ideoque vulgo *transitus* dicitur, quod, ut in motu locali omnium notissimo, mobile ab uno loco quem deserit, transit ad alium; sic in omni mutatione subjectum ab uno termino ad alium quasi transiens, illum deserit et hunc acquirit. Tales sunt generatio, corruptio, alteratio et cæteræ hujusmodi mutationes naturales. Altera est *impropria,* qua aliquid dicitur aliter se habere, etiamsi antea non præextiterit sub alio modo. Talis est creatio, quæ proprie mutatio non est, ut docet et probat S. Thomas 1. parte quæst. 45. art. 2. ad 2. Et lib. 2. contra Gentes cap. 37. *Creatio,* inquit, *mutatio dici non potest, nisi secundum metaphoram, prout creatum consideratur habere esse post non esse. Quod autem nullo modo est, non se habet aliquo modo, ut possit concludi, quod quando incipit esse, alio modo se habeat nunc quam prius.* Utraque præterea est, vel *intrinseca,* qua forma aut aliquid intrinsecum mobili acquiritur vel deperditur, ut generatio substantiæ, alteratio ad calorem, aut ad frigus; vel *extrinseca,* cujus, scilicet, terminus est extrinsecus rei, quæ mutari dicitur, ut motus localis et aliæ de quibus postea. Quæ divisiones ad transitum et ad denominationem transferri possunt, ita ut transitus alius sit proprius, alius improprius, alius intrinsecus, alius extrinsecus.

Propria

Aristoteles.

Impropria.

Intrinseca.

Extrinseca.

4. De qua mutatione propositio intelligenda sit non satis exprimitur. Nam si intelligatur tantum de mutatione proprie sumpta, falsa erit propositio; ut patet in creatione angeli, aut cujusvis

Quo sensu axioma sit falsum.

alterius rei. Si solum de *intrinseca* intelligatur, erit adhuc falsa; ut patet in motu locali, qui dat novam denominationem, etiamsi non sit, nisi mutatio extrinseca, et per eam non mutetur aliquid quod insit rei, quemadmodum in substantia, quantitate et qualitate, ut ex Philosopho 8. Phys. text. 59. ostendimus supra cap. 54. Si vero intelligatur universe et indistincte de mutatione qualibet, ut simpliciter concedatur, nunquam inde efficient adversarii admittendas esse quasdam formas intrinsecas, sive modales, sive morales, a rebus, quibus insunt et quas denominant a parte rei distinctas. Esset enim in hujusmodi argumento fallacia consequentis, perinde ac in istis. Est animal; ergo homo. Est corpus; ergo lapis.

Tertius modus quo proponitur est Ochami.

5. Tertio. Guillelmus Ocham, qui eadem propositione non raro utitur, eam varie enunciat et modo has, modo illas ei adhibet exceptiones et modificationes. Nam in 1. Sentent. dist. 1. q. 5. littera D. ita habet. *Impossibile est transire a contradictorio in contradictorium, sine mutatione, vel locali, vel temporis, si est tempus in actu, ac quæ esset, si tempus coexisteret utrique termino contradictionis, vel acquisitiva vel deperditiva alicujus inhærentis, aut productiva vel destructiva alicujus per se existentis.* Et distinctione. 17. q. 1. littera P. *Potest,* inquit, *esse transitus de contradictorio in contradictorium; vel propter mutationem alterius extremi, vel in neutro extremorum, sed in tertio, ut cum ad preces Sancti anima, quæ est in purgatorio sit digna admitti in cœlo; vel propter solam transitionem temporis,* ut si lex sit, quod fur prima hora a furto sit dignus carcere, aut morte, post eam non sit amplius dignus, nec capiendus et in 3. dist. 1. q. 1. littera. C. *Impossibile est,* inquit, *transire de contradictorio in contradictorium, sine destructione vel acquisitione alicujus transitivi absoluti.*

Responsio ex eodem auctore.

6. Verum idem auctor sub finem libri secundi Sentent. q. 25. diserte ait prædictum axioma pati exceptionem. Quærens enim possit ne Deus aliquem dignum vita æterna, sine ullo suo demerito reprobare. *Respondeo,* inquit, *quod sic. Quia non includit contradictionem quod sic fiat. Si dicas quod tunc erit transitus de contradictorio in contradictorium sine aliqua mutatione; respondeo quod hoc est possibile aliquando, quoniam illa regula habet instantiam, sicut sæpe dictum est.*

Quartus modus proponendi est Gabrielis.

7. Quarto. Eamdem propositionem cum iisdem fere exceptionibus longe clarius et distinctius habet Gabriel in 1. distinctione 30. q. 4. concl. 4. et in 3. dist. 1. q. 1. ubi ait. *Quod contradictoria non*

possunt successive de eodem verificari, nisi propter mutationem localem, transitionem temporis, aut productionem, aut destructionem alicujus. Eamdem etiam sic refert Gabriel Vasquez. 3. part. disp. 18. cap. 1. num. 5., omissa solum particula *successive*, quæ tamen omittenda non est et ex ea putat probari efficaciter modum unionis hypostaticæ admittendum esse. Sed talem modum ex hac propositione nullo modo sequi ostendemus capite sequenti.

8. At quoniam, sine ulla mutatione intrinseca, quam, credo, intelligunt *per productionem, aut desitionem alicujus entitatis,* de eodem quædam verificantur contradictoria, ad quod non sufficit sola vel temporis, vel loci mutatio; propterea propositio restrictior est, quam par sit, eique deesse aliquid videtur. Sol enim diem faciens, aerem illuminare vere dicitur. Deo autem illud idem lumen aeris se solo postea conservante, sol dicitur non illuminare, nec diem facere, absque eo quod quicquam illi, vel aeri pereat, vel adveniat. Ad hæc autem contradictoria verificanda sola temporis variatio non sufficit, cum, ea posita, sol lumen continue conservare potuerit, deque eo tunc conservatio luminis vere negari non possit. Vel si nullo existente tempore, sol lunam illuminaret, verum esset dicere solem illuminare lunam. Deo autem postea se solo illud lumen lunæ conservante, mutata denominatione, vere diceretur non amplius illuminare lunam. Itaque ad hujus denominationis novitatem et veritatem, præter varietatem temporis, aliqua alia mutatio per se requiritur; qua posita, ponatur talis novitas et mutatio denominationis, et, qua sublata, tollatur.

Etiam hoc tertio modo non probatur.

9. At quænam est hæc mutatio? Respondeo non aliam esse quam ipsam mutationem actionis, seu habitudinis et originis, tam activæ quam passivæ in utroque extremo, qua formaliter fit, ut quod ante erat agens a parte rei, non est amplius actu agens et quod erat dans esse alteri, vel habens aliud actu a se dependens, non habet amplius. Quæ est ipsa mutatio objectiva quam dicta formalis denominatio exprimit et a qua suam habet veritatem successivam? Uno verbo est mutatio quædam realis, præsertim in agentibus creatis, sed extrinseca, cujus meminit Aristoteles lib. 2. de Anima text. 45. qua agens *mutatur et transit de otio in actum,* vel de actu in otium, eaque definiri potest, *transitus activi de otio in actum, vel contra :* aut *mutatio qua aliquid formaliter fit de non agente agens, vel de agente non agens.*

Quid sit mutatio secundum actionem.

Et certe cum Philosophus 3. Phys. text. 18. 20. et sequentibus,

doceat eamdem formam et entitatem esse actum duorum, scilicet, activi et passivi seu mobilis, si, ut est actus intrinsecus mobilis prout mobile et facit illud transire ab uno termino intrinseco ad aliud, est mutatio intrinseca, cur non etiam quatenus est actus extrinsecus motivi, seu activi, illudque facit extrinsece transire de statu et conditione moventis, vel agentis potentia admovens actu, non dicetur etiam quædam ejus mutatio extrinseca?

10. Quod autem de hac extrinseca mutatione actionis dictum est, intellige etiam de passione, deque cæteris ultimis categoriis ubi, situ, quando et habere. Nam de mutatione ad ubi omnes facile concedunt, cum sit ipse motus localis, patetque etiam de situ. Dicimus enim mutare situm, cum sedens surgit; et si Avicennæ credimus, motus circularis cœli, est ad situm diversum, cum cœlum suo motu non mutet locum. Dicimus etiam esse in alio et alio tempore; et si staret cœlum, ejusque motus ac tempus cessaret, res, quæ nunc sunt in tempore, amitterent hunc extrinsecum essendi modum, qui dicuntur esse, contineri et mensurari a tempore. Postremo dicimus etiam communi loquendi usu, mutare vestem, calceos et similia. Igitur est aliqua in illis omnibus categoriis mutatio propria, secundum quam quælibet res mutari et alio ac alio modo, saltem extrinseco, se habere dicitur.

Dari mutationem ad postremas categorias.

Id autem satis aperte insinuavit Aristoteles 3. Physic. text. 4. cum præmissa divisione entis in decem categorias ait : *Non est autem motus præter res.* Quod licet nonnulli interpretentur, quod motus non est univoce communis omnibus mutationibus; alii quod nulla est specialis categoria motus : licet ipse exempli causa quatuor tantum famosas et omnibus notas mutationum species recenseat; tamen ad omnes categorias extendi potest, cum iterum hæc addat : *Commune his nihil est accipere, quod neque hoc, neque quantum, neque quale, neque aliorum prædicamentorum ullum sit. Quare neque motus, neque mutatio ullius erit, præter ea quæ dicta sunt, cum nihil sit præter ea, quæ dicta sunt,* id est, præter decem prædicamenta ante ab eo enumerata. Et clarissime textu sequenti : *quare motus et mutationis species tot sunt, quot entis,* etc.

Probatur primo ex Aristotele.

11. Idem etiam ex eo probari potest, quod quælibet categoria, ut suam habet propriam quidditatem, suumque esse proprium ab esse alterius, non solum specie, sed etiam genere, ac se toto diversum; idemque ex principiis (id est, actu et potentia, seu

2. Argumentum.

ex materia forma et privatione), diversis compositum, ut probat Philosophus 12. Metaphys. textu 20. et sequentibus; ita suum habet proprium fieri, suumque proprium factum esse. Ergo et suum mutari proprium.

Præterea quælibet categoria est extra aliam et quælibet alteri advenit, et quæ sunt accidentium substantiæ insunt et de ea prædicantur, non solum per modum formæ et actus in ea quiescentis ac permanentis, sed etiam per modum formæ advenientis et facientis illam transire de quodam esse ad quoddam non esse, vel contra : ergo per modum mutationis cujusdam. Neque enim dicimus tantum, hominem esse vestitum, agere, aut pati, esse hic vel illic, sedere aut stare ; sed ex non vestito vestitum, non agente agentem, non patiente patientem, non sedente sedentem, ex non stante stantem fieri, vel etiam ex uno loco in alium transire. Igitur in qualibet categoria admittendæ sunt propriæ mutationes objectivæ a parte rei, licet non omnes a parte rei distinctæ, quibus prædictæ denominationes formales verificantur. Nam cum una categoria, atque adeo una denominatio se habeat per accidens ad aliam, etiam mutatio unius se habet per accidens ad mutationem alterius, nec ullo cujuslibet propositionis ac denominationis formalis termino alterius categoriæ mutatio exprimitur. Præterea, ut ait S. Thomas, 3. part. q. 16. art. 6. *Uumquodque dicitur esse factum illud, quod de novo incipit prædicari de ipso.* Et ad 2. *Fieri importat quod aliquid prædicetur de novo de altero.* Novem autem categoriarum accidentium plurima sæpe incipiunt de substantia prædicari de novo. Igitur aliquid mutationis ei afferunt. 3. Argumentum. D Thomas.

12. Atque prædictas mutationes omnes, credo, admittent et maxime modistæ, a quibus hoc solum dissentimus, quod quas mutationes volunt esse intrinsecas et a substantia, quantitate, qualitate et loco, a parte rei distinctas, quasque modos appellant, nos eas dicimus esse tantum extrinsecas et ratione solum ab aliis mutationibus earumque terminis differre; quod id sufficiat ad res prout sunt a parte rei constituendas; et quod ad verificandas, quas de illis formamus, denominationes varias, tot actus et formas intrinsecas multiplicare nihil necesse sit.

13. Objicies primo doctrinam hanc repugnare Aristoteli, ubique fere et maxime lib. 5. Phys. non nisi quatuor mutationum species numeranti, videlicet ad substantiam, ad quantitatem, ad Objectio prima.

qualitatem, et ad ubi : et eodem lib. t. 10. 11. et sequentibus ex professo probanti, neque ad relationem, neque ad actionem aut passionem, vel ad motum dari motum et mutationem.

Responsio 1. Respondeo primo Aristotelem illis locis non meminisse prædictarum mutationum, quia sunt extrinsecæ et secundariæ quædam mutationes, ab iis quas enumerat, non re, sed ratione tantum distinctæ, eæque metaphysicæ et prædicamentales magis quam physicæ, atque adeo imperfectæ, quemamodum et ipsa ultima prædicamenta sunt tantum entia metaphysica, nec distincta re a tribus primis; tum quia, quædam non ita late patent, ut quæ ad habere, seu ad res artefactas spectant et solius hominis propriæ sunt. Motus autem localis, licet extrinseci, meminit, quia notissimus est et maxime communis ac naturalis, eo quod locus naturalis habeat vim conservativam locati.

Responsio 2. **14.** Respondeo secundo hac objectione, vel maxime premi eos, qui actionem a termino et ubi, aut quando, seu durationem intrinsecam a subjecto, prædictasque mutationes ab aliis re distinguunt. Ii enim sunt qui mutationum species multiplicant, cum tot in quolibet subjecto sint mutationes diversæ, quot actus et formæ re distinctæ ei adveniunt. Iidemque coguntur dicere, contra Aristotelem supra, dari mutationem mutationis, non solum per accidens, sed per se semper et necessario, cum mutatio modi actionis ad mutationem termini, et modi ubi ad mutationem localem per se referantur. At vero juxta doctrinam nostram mobile non movetur proprie motu duplici, cum una tantum recipiatur in eo forma realis per quam et ipsum patitur ac movetur, et agens extrinsece tantum moveri, seu de otio in actum transire dicitur, quæ est mutatio valde impropria.

Objectio secunda. **15.** Objicies secundo. Si agens creatum, cum agit, mutatur extrinsece; Deus etiam, cum creat aliquid aut cessat ab agendo, extrinsece mutabitur.

Responsio. Neganda est sequela, duplici de causa. Prima quod vera mutatio tempore vel continuo vel discreto mensuretur, et id omne quod mutatur, duratione prius esse debeat sub termino a quo quam sub termino ad quem, ut sic ab uno ad alterum transeat. Deus autem ipsa æternitate, quæ simplex est et tota simul, mensuratur. Igitur non potest esse duratione prius sub uno termino quam sub alio : proindeque impossibile est ipsum mutari etiam extrinsece; cum omne tempus, omniaque præterita, præsentia et futura, quæ

Deus quia æternus non potest mutari.

sunt extra illum, ejus æternitati non transeant, sed ei sint præsentia, vel potius ipsa illis omnibus.

16. Altera causa est, quod Deus, neque per se et intrinsece, nec extrinsece, nec per accidens mutari possit, ut pluribus docet S. Thomas 2. contra Gentes cap 35. Non intrinsece et per se, quia est actus purus, nihilque recipit, omnisque ejus intellectio, volitio et actio interna eadem est cum illo. Neque extrinsece, aut per accidens, quia est infinitæ perfectionis, et quia nullum habet realem ordinem aut habitudinem ad ullam creaturam, et quia non agit propter ullum finem et bonum a se consequendum, sed solum bonitatis suæ aliis communicandæ gratia, ideoque ejus actio maxime liberalis est, inquit S. Thomas 1. p. quæst. 44. art. 4. *Et ejus potentia non ordinatur ad effectum ut ad finem, sed magis ipsa est finis sui effectus,* inquit eadem part. quæst. 25. art. 2. *Et potentiam attribuimus Deo ratione ejus quod permanet et quod est principium, non ratione ejus quod per operationem completur,* inquit quæst. 1. de Potentia art. 1. Et quæst. 7. art. 10. Ex eodem principio, quod Deus non perficitur agendo, non solum infert quod non mutatur extrinsece; sed etiam quod relatio causæ et agentis ad effectum in eo non est realis. Et solut. ad 4. ait, quod nomen *Dominus,* cum tria in suo intellectu includat, scilicet, potentiam coercendi subditos, ordinem qui talem potestatem consequitur et terminationem ordinis subditorum ad Dominum, Deus est tantum Dominus quoad primum et tertium. Et certe si unione hypostatica et per substantialem naturæ humanæ conjunctionem Verbum Dei non mutatur, nec perfectius redditur, multo minus, cum aliquid a se disjunctum efficiet, aut creabit.

Deus agendo ad extra non perficitur.

17. At vero omnis creatura, quia finita est; quia subest tempori saltem discreto (ut angelus variis cogitationum sibi succedentium motibus); et quia actione sua, sive immanente, sive transeunte, melior, aut deterior efficitur; et quia agendo et communicando esse alteri, majorem cum Deo habet similitudinem; denique quia realem habet ad aliam ordinem et relationem, propterea, cum exit de otio in actum, non solum ea quæ fit, sed etiam quæ facit aliquo modo mutatur et melior perfectiorve redditur.

CAPUT LVIII.

Expenduntur aliæ idem axioma proponendi formulæ.

Quartus modus proponendi idem axioma.

1. Joannes De Lugo disp. 11. de Incarnatione sect. 1. num. 2. ut probet dari modum unionis hypostaticæ a Verbo et humanitate a parte rei distinctum, hoc uno utitur argumento. *Repugnat dari denominationem realem novam absque forma aliqua nova. Sed denominatio humanitatis Verbo unitæ est realis et nova. Igitur aliquid novi poni debet; quod non est aliud quam modus, quo extrema uniantur.* Quod argumentum, id quod intendit, nullo modo probare et Majorem, qua constat, falsam esse, nec ab eo recte conceptam, ex sequentibus cognosci poterit.

Refellitur. 1. Argumentum.

2. Primo enim. Quid si rei alicui sola apponatur aut detrahatur materia, seu supernaturaliter, seu etiam naturaliter, ut cum homo nutritur, an non erit denominatio realis nova sine forma nova? Quid si homini pes aut manus abscindatur, aut oculus eruatur, an non erit denominatio realis et nova, sine acquisitione vel jactura ullius novæ formæ realis?

2. Argumentum.

3. Secundo. Forma illa nova ad denominationem novam requisita, vel simpliciter nova esse debet, ita ut antea non extiterit in rerum natura, vel saltem secundum quid, nempe subjecto, cui informatione et accessu sit nova, vel simul utroque modo nova. Non primum, ut patet in resurrectione Lazari, qui nova denominatione vivere et suscitatus dicitur, præexistente ejus anima. Dicere enim intervenisse tunc novum, vel actionis, vel unionis modum ab ejus anima et corpore distinctum, est petitio principii. Cum enim hoc utantur generali principio modistæ ad unionis, inhærentiæ, actionis et similes modos astruendos, iis, neque sensu, aut experientia notis, nec aliunde probatis, imo nullis, ut ostendimus supra, uti nequeunt, ad illud idem principium confirmandum. Si secundum; id quidem aliquando verum est, quando nimirum denominatio nova sumitur a forma intrinseca informante subjectum, quod ante non informabat; at id exprimi et propositio ad denominationem intrinsecam contrahi debuit, nec extendi ad omnem denominationem

realem. Multo minus nova denominatio realis requiret formam utroque modo novam.

4. Tertio. Denominationes a veste, a calceis, a loco proprio vel communi, ab arca, a vase, a carcere, a tempore et similibus petitæ sunt reales et novæ, nec tamen ab ulla forma reali ductæ, ut habet S. Thomas q. 7. de Potentia art. 10. ad 8. *Illud,* inquit, *a quo aliquid denominatur, non oportet quod sit semper forma secundum rei naturam; sed sufficit quod significetur per modum formæ, grammatice loquendo. Denominatur enim homo ab actione et ab indumento et ab aliis hujusmodi, quæ realiter non sunt formæ.* 3. Argumentum. D. Thomas.

5. Quarto. Denominatio cum alia sit formalis, alia objectiva. De formali quidem certum est eam non posse esse novam, sine nova forma reali, cum ipsa sit forma realis et operatio informans intellectum; at non propterea necesse est objectivam esse novam. Quot enim de Deo, v. g. formamus propositiones, tot sunt novæ denominationes formales, cum tamen nulla sit in Deo nova vel forma, vel denominatio objectiva : quod et de angelis et de aliis multis dici potest. 4. Argumentum.

6. Quinto. Argumentum propositum nullomodo evincit admittendum esse modum quemdam substantialem unionis, tam naturalis materiæ cum forma, quam supernaturalis et hypostaticæ humanitatis cum Verbo. Etenim per formam novam, vel intelligit modalem; vel realem, qualem omnes admittunt; vel universim aliquod ens, quodcumque illud sit. Si Primum; argumentum nullum est; cum sit petitio principii sumatque in Majori, quod ponitur in conclusione; et præterea propositio erit falsa. Si Secundum; nec etiam concludit quod intendit, necessarium scilicet esse modum; quia forma substantialis, v. g. adveniens, materiam immediate et per se informans, illi erit nova forma realis. Ergo realem et novam denominationem ei tribuet sine modo unionis; et hypostasis divina immediate juncta humanitati præexistenti, illi erit forma, seu substantia valde nova et infinite realis. Incarnatio enim est illud novum, quod creaturum Dominum super terram prædixerat Jeremias cap. 31. Opus adeo novum et singulare, ut illud *solum sub sole novum* appellet Damascenus serm. 1. de Nativit. Virginis. Si vero Tertium; neque ex eo unquam inferet dari ullum modum sive unionis, sive actionis. Committet enim fallaciam consequentis, perinde ac qui ex eo quod aliquid sit coloratum, infert esse album. 5. Argumentum. Jeremias. Damascenus.

6. Argumentum.

Sexto. Duorum, quæ idem auctor affert ibidem ad suæ propositionis confirmationem, nempe, *quod si omnia eodem modo prorsus se habent ac antea, res non aliter denominabuntur; et quod ab eo, quod res est vel non est, propositio dicitur vera vel falsa.* Primum quidem est verissimum. Si enim omnia eodem prorsus modo, hoc est, tam intrinsece quam extrinsece se habent, omnino denominationes prorsus eædam erunt quoad veritatem. Secundum item verum quidem est in propositionibus, enunciationibus et denominationibus speculativis, quarum veritas pendet ab objecto. De quibus solis loquitur Aristoteles in Postpræd. cap. de priori et lib. 9. Metaph. text. 21. At non in practicis, quæ faciunt objectum suum, qualis est hæc : *Hoc est Corpus meum,* in consecratione; et similes practicæ, quæ sunt causæ existentiæ et veritatis sui objecti. Sed ex illis duobus nihil prorsus, vel veritatis, vel confirmationis prædictæ propositioni Majori accedit. Et ut secundum absolute concedatur, inde non potest efficere admittendam esse ullam formam modalem.

Quintus modus proponendi idem axioma.

7. Itaque melius concepta videtur hæc propositio a Ludovico Mæratio tract. de Incarnat. disp. 13. sect. 2. his verbis : *Impossibile est contradictoria successive enuntiari vere de una eademque re, nisi fiat aliqua in rebus mutatio.* Nulla enim hoc modo designatur mutationis species, sed indefinite intelligitur aliqua, sive intrinseca, sive propria, sive impropria.

Ex eo etiam sic non recte asseritur modus unionis.

8. Verum ex ea adhuc sic accepta, non recte idem auctor colligit in humanitate Christi ponendum esse modum quemdam eam cum Verbo copulantem. Nam natura, sive humana, sive angelica, si præexistens assumeretur a Verbo, licet vere successive denominari posset, non unita Verbo et unita eidem, quæ sunt contradictoria absolute sumpta, hujusque successivæ denominationis veritas, ut bene probat, cum Gabriele Vasquez 3. parte disp. 18. cap. 1. præcise a sola loci aut temporis mutatione non pendeat, nec item a sola carentia subsistentiæ propriæ, sive sit modus a natura distinctus, sive non. Si enim esset unita Patri, aut S. Spiritui careret subsistentia propria, nec tamen diceretur unita Verbo; ac propria carere subsistentia, non est formaliter unitam esse alteri; hæcque carentia aliunde, quam ab unione oriri potest, ut patet in anima separata. Licet præterea ad prædictæ denominationis sucessivæ veritatem requiratur aliqua mutatio, non tamen quæ fiat in humanitate per ullum modum unionis, sed sufficit ipsa

mutatio hypostatica, qua humanitas, etiam si præexisteret assumptioni, fit subsistens in hypostasi et persona Verbi, cum ante non subsisteret in ea; vel ex non unita Verbo fit ei immediate et substantialiter unita et ex actu divisa ab eo fit actu indivisa ab eodem : uno verbo, est mutatio, qua fit Christus, cum antea non esset.

9. Neque quidquam efficit ratio, quam affert, nempe, *quod unio qua resultat Christus, cum sit prior toto illo composito qui Christus dicitur et in illo priori humanitas vere sit et denominetur unita, cum ante non esset, omnino assignanda est aliqua alia mutatio prior, eaque non alia quam receptio modi unionis hypostaticæ in ea.* Nihil, inquam, hæc ratio efficit. Argumentum.

Primo quia, *unione* qua ait resultare Christum, quamque vult eo priorem esse, intelligit vel absolutam, vel relativam, quas distinximus supra cap. 45. num. 6. et 7. cum Cajetano ad a. 7. et 10. quæst. 2. tertiæ partis. Si *absolutam,* falsum est ea resultare Christum, cum sit ipsemet Christus, ipsaque indivisio hypostatica Verbi divini et humanitatis, quæ uno verbo, Christitas, vel cum Altisidiorensi, Jesuitas dici posset et ad Christum se habet, ut humanitas ad hominem, compositio ad compositum, ut abstractum metaphysicum ad suum concretum. Falsum item est eam natura priorem esse Christo, totoque composito. Quemadmodum enim humanitas non est, nec dicitur prior homine, nec compositio absolute sumpta natura prior est composito; ita nec unio personalis absolute sumpta, prior est natura ipso Christo. Si intelligit *relativam,* quæ est ipsa relatio a qua humanitas denominatur unita Verbo, hæc etiam non est simpliciter natura prior Christo. Tum quia non est prior ipsa humanitate cui inest. Humanitas autem non est simpliciter natura prior Christo, cum ad illum se habeat, ut pars ad totum. Pars enim, licet uno modo, nempe, ordine *generationis et potentiæ* sit prior toto; tamen ordine *actus, perfectionis et intentionis* est posterior. Tum quia, cum sit accidens et relatio categorica, qua humanitas denominatur unita Verbo, ab illa Christus nullo modo pendet. Igitur non est natura prior Christo, sed potius posterior, sequiturque ipsam substantialem compositionem et constitutionem Christi ex humanitate et Verbo divino. Non probatur primo.

10. Secundo. Esto. Sit absolute prior, cum ejusmodi *prioritas* sit solum *naturæ,* vel *rationis,* non propterea ponenda est alia

mutatio prior, ut humanitas vere denominetur unita Verbo. Sufficeret enim mutatio concomitans et quæ tempore, seu existentia simul esset cum nova illa relatione et denominatione objectiva.

Esse in priori naturæ non recte dicitur.

Mitto quod modus iste loquendi, *in illo priori naturæ*, a plerisque recentioribus sæpe variisque in locis usurpatus, non modo Aristoteli, Divo Thomæ, aliisque antiquioribus theologis et melioribus philosophis incognitus est; sed est plane falsus, improprius et abusivus. Nam licet, quia tempus priori et posteriori constat, res quæ in eo sunt, tanquam in mensura, recte dicantur esse in priori vel posteriori temporis; hæc tamen loquendi ratio prioritati naturæ, seu rei, quæ vel natura, vel ratione, vel situ, vel dignitate prior est, nullo modo aptari potest. Etenim ut tempus ipsum non recte dicitur esse in se, vel in suo priori, aut posteriori; ita nec res, quæ natura et causalitate prior alia est, recte dicitur esse in priori naturæ; aut quæ posterior est, esse in posteriori naturæ. Deinde prius natura, non est prius *in quo*, sed prius *a quo*. Ergo per hanc prioritatem præcise res, nec a se, nec in se est, sed solum alia ab ea est, ideoque non in illa, sed ab illa et extra illam dici debet. Tunc enim solum causa est actu prior natura suo effectu, quando et quamdiu habet illum a se pendentem et hic tamdiu natura posterior. Præterea modus ille et loquendi et essendi in alio non continetur inter undecim modos essendi in alio, quos ex Aristotele et peripateticis enumeravimus supra cap. 42. num. 10. Igitur non est legitimus. Sed et quæ ex eo texuntur argumenta, triplici, ut minimum, laborant vitio, videlicet æquivocationis, fallaciæ dictionis et consequentis, ut pluribus alibi declaravimus.

11. Tertio. Valeat ille loquendi modus et necessaria item sit mutatio aliqua realis prior ad verificandam illam denominationem uniti, unde sequitur mutationem illam fieri a modo unionis distincto ab extremis? Fit enim, ut supra dictum est, ejusmodi mutatio hypostatica per ipsamet extrema sibi invicem copulata, ipsumque Verbum divinum per se et immediate unitum humanitati facit eam alio modo se habere, quam ante et transire de non unita ad unitam, de non subsistente in persona Verbi ad subsistentem in ea.

Quarto. Si valeret hæc argumentandi ratio, evinceret in composito naturali, v. g. in homine, quatuor aut quinque esse modos unionis animæ cum corpore. Cum enim anima prius natura uniatur

corpori ut forma quam ut anima, et ut anima prius quam ut sensitiva, et ut sensitiva prius natura quam ut rationalis : priori aliquo modo unionis conjungetur corpori ut forma, deinde alio ut anima, alio ut sensitiva, alio ut rationalis et sic de aliis.

Sextus modus proponendi idem axioma.

12. Legi eamdem propositionem in quodam, his verbis : *Nulla potest contingere nova denominatio contradictoria opposita priori, sine mutatione facta novæ entitatis alicui intrinsecæ, vel productione, vel definitione præexistentis.* Verum illo sensu iisque terminis longe deterior est quam ullis aliis supradictis. Primo. Quia sic multipliciter nugatoria est et bis terve idem dicit. Cum enim contradictio sit species oppositionis, qui dicit contradictionem dicit oppositionem. Itaque denominatio contradictoria opposita priori, perinde est ac qui dixerit *nullus homo animal est lapis.* Deinde vox (*nova*) ter frustra repetitur; bis expresse, tertio implicite. Qui enim dicit mutationem, dicit novitatem; et nova denominatio, mutatio et productio novæ entitatis aut desitio, termini sunt synonymi apud eos, qui hanc faciunt propositionem.

Non probatur.

1.

Secundo. Quia nova hæc denominatio male appellatur *contradictoria* et opposita priori. Quia contradictio, ex Philosopho lib. 1. de Repreh. c. 4. et 4. Met. t. 9. est oppositio, qua idem de eodem, secundum idem, ad idem, eodem modo, eodemque tempore affirmatur et negatur. At hic est quidem denominatio, seu affirmatio et negatio ejusdem de eodem, at non eodem, sed diverso tempore. Ergo male vocatur contradictoria.

2.

Tertio. Quia illis concepta verbis, est falsa. Cum, ut dictum est, ad novam denominationem non requiratur mutatio intrinseca, sed sufficiat extrinseca, qua unum alteri extrinsece advenit, ut locus locato, locatum loco, vinum dolio, dolium vino, quorum alterum alteri extrinsecum est.

3.

Aristoteles ut axioma conceperit.

13. Denique videtur hæc eadem propositio tradita ab Aristotele 8. Phys. text. 9. sed limitata et contracta ad relata, his verbis : *Necesse est in iis, quæ sunt ad aliquid, hoc accidere, ut si non erat duplum, nunc duplum est, mutari, si non utrumque, alterum.* Verum, cum *mutationis* nomen, more suo, sumat proprie et præterea propositionem suam restringat ad solam denominationem relativam, non videtur esse omnino eadem cum superioribus. Deinde, quia ex ea nititur probare, ante quemlibet motum semper fuisse alium, proindeque et mundum et motum et tempus esse æterna, quod est contra fidem ut ab eo ponitur, omnino falsa esse debet.

Rationes Aristotelis pro æternitate mundi.

Quodque dicitur ab Aristotele errante et oppugnante duo certissima nostræ fidei dogmata, nempe *mundum cum tempore cœpisse :* et *eum esse factum a Deo libere, non autem necessario;* non potest non esse falsum et repudiandum. Ita enim argumentatur text. 7. et 8. Ante hanc mutationem, quæ prima dicitur, motivum et mobile, vel erant propinqua sibi invicem, vel non erant. Si primum necessario erat motus. Quæcumque enim possunt agere et pati, movere et moveri, si propinqua sint, semper illud movet et hoc movetur. Si vero non erant propinqua; ergo motu aliquo prius sibi invicem applicari debuerunt, quam illud moveret et hoc moveretur illo motu, qui primus dicitur. Igitur hic non fuit primus. Postea addit hanc aliam rationem. *In iis quæ fiunt et sunt ad aliquid necesse est mutari, si non utrumque, saltem alterum.* Motivum autem et mobile, movens et motum sunt relata. Igitur si cœperunt esse relata, vel utraque, vel eorum alterum est mutatum, proindeque fuit aliqua mutatio prior ea, quæ prima dicitur.

Responsio ad illas rationes.

At FALSUM est motivum et mobile (dato quod hoc existeret), si erant propinqua, debuisse hoc moveri et illud movere; quia Deus est agens liberum; et falsum item, si cœperunt esse ad aliquid, debuisse utrumque, vel saltem alterum moveri simpliciter, motu realiter alio quam eo qui primus fuerit.

Itaque, si admittenda est Aristotelis propositio, debet intelligi de mutatione latissime sumpta, ut comprehendit propriam et impropriam, tam intrinsecam quam extrinsecam, per se et per accidens et de relatione, prout ordinarie fit in rerum natura, non autem in casu extraordinario, quo Deus lumen ad præsentiam solis, se solo, conservaret, aliisque similibus. Nam scientiæ scientiarumque axiomata sunt de rebus necessariis et per se, non autem de iis quæ raro et per accidens eveniunt. Neque dubito quin

D. Thomas.

ita illam propositionem usurparit S. Thomas, cum 3. parte q. 2. art. 8. dicit : *Quod omnis relatio, quæ incipit esse in tempore, ex aliqua mutatione causatur. Mutatio autem consistit in actione et passione.* Nam 1. part. q. 45. art. 2. ad 2. expresse docet creationem non esse mutationem, nisi secundum nostrum intelligendi modum et motum ab actione et passione subtrahi posse, eoque subtracto, nihil remanere nisi relationem. Idemque repetit articulo sequenti.

CAPUT LIX.

Solvitur argumentum pro modis ex prædicto axiomate ductum.

1. Sed jam tempus est respondendi objectioni initio capitis 27. propositæ. Cui, juxta ea quæ dicta sunt de axiomate quo innititur, duplex responsio fieri potest. 1. Responsio.

2. Prima, concessa simpliciter Majore, intellecta tamen de mutatione universe, ut comprehendit propriam et impropriam, intrinsecam et extrinsecam (vere enim omnibus in rerum natura, tam intrinsece quam extrinsece, seu omnino iisdem manentibus, eadem affirmari, vel negari necesse est,) negat Minorem. Cum enim sol de agente fit non agens, de actu transit in otium vel contra, intervenit semper mutatio aliqua saltem extrinseca, non solum temporis, sed etiam originis et habitudinis tam activæ quam passivæ, unius ad alterum, ut supra explicatum est. Nam cum non illuminat, non est amplius id *a quo*, nec *id unde* respectu luminis et aeris, quæ vicissim non amplius patiuntur a sole : idemque lumen non est amplius actus solis agentis, nec aeris patientis a sole, amittitque, ut loquitur Aristoteles, esse *actum hujus in hoc* et esse *actum hujus ab hoc*, qui sunt veri et reales essendi modi et reales habitudines ac origines tam activæ quam passivæ, quibus sol, lumen, et aer constituuntur in ratione causæ et effectus, agentis et patientis, et quibus a parte rei extrinsece alio modo sese habent ad invicem. Ut enim corpus locatum alio modo reali se habet ad locum, et locus ad illud, cum est intra illum, quam cum est extra eumdem, utroque in rerum natura manente; cum enim est extra, caret illa continentia quasi passiva, hic vero continentia activa, seu informativa locati : sic res, quæ agit ad eam quam agit et efficit, alio modo reali originis, se habet, et hæc vicissim ad illam, quam cum non agit, neque hæc amplius pendet ab illa.

2. Secunda responsio, quæ est Ochami supra, et Gregorii 2. Responsio.

Ariminensis apud Gabrielem et aliorum, omissa distinctione mutationis quæ supra declarata est, negat simpliciter Majorem, et contra eam affert Gregorius instantiam condonationis externæ peccatorum a Deo, sine ullius gratiæ infusione, et sine ullo actu interno, quo peccator ad Deum convertatur, atque adeo sine ulla mutatione, per solam non imputationem, fiet aliquis de peccatore non peccator.

Prima instantia non probatur.

Sed hæc instantia valde dubia est et plerisque videtur impossibilis, ac nominatim Divo Thomæ 1. 2. quæst. 113. a. 2. ubi ait : *Quod non posset intelligi remissio culpæ, si non adesset infusio gratiæ.* Et ad 2. *Post peccatum non potest homo esse sine culpa, nisi gratiam habeat.* Idque probat hac ratione quod peccatum non imputari, et Deum nobis pacari procedit ex divina dilectione, cujus effectus, qui per peccatum tollitur, est gratia, qua homo fit dignus vita æterna.

Deinde, ut hypothesis illa vera et possibilis esset, adhuc mutatio talis denominationis non esset sine mutatione aliqua saltem temporis, ut notat Gabriel in 3. dist. 1. quæst. 1. Quemadmodum enim magistratu aliquo v. g. consulatu annuo existente, qui consul est, elapso anno, consul esse desinit, et designatus successor ex non consule fit consul, nulla alia facta mutatione physica quam temporis, physica, inquam, quia hanc temporis mutationem sequitur, vel comitatur moralis, qua fit consul, non per ullam entitatem moralem intrinsecam a parte rei ab eo distinctam, ut volunt aliqui, sed per solam relationem, ut infra dicetur. Ita in casu proposito, fieret aliqua mutatio non solum temporis, sed etiam aliqua moralis, qua peccator non eodem modo se haberet ad Deum et gloriam æternam condonatis peccatis per non imputationem, quam non condonatis.

Instantia secunda

3. Aliam instantiam opponit Ocham sub finem lib. 2. Sententiarum, si nimirum, nullo existente tempore, Deus crearet angelum : *Tunc enim,* inquit, *quando creatur angelus, verum est dicere : angelus creatur; et post, non est amplius verum dicere; quia creatio dicit causam creantem et effectum creatum connotando negationem immediate præcedentem.* Sed hæc etiam instantia non probatur, quia in illo casu quem ponit, creationis angeli, nullum est *tunc,* nullum *quando,* nullum *prius,* nullum *posterius* temporis, atque adeo nullus transitus a contradictorio in contradictorium. Præterea falsum est creationem connotare ne-

non probatur.

gationem rei immediate præcedentem ejus existentiam. Nam cum definitur productio rei ex nihilo, illud *ex* nullam dicit successionem, nullum ordinem prioris et posterioris inter nihil et rei existentiam, sed solam negationem et exclusionem concursus causæ materialis erga rem creatam. Ex quo fit, ut toto illo tempore, quo res creata, v. g. angelus existit, vere et proprie creetur.

Instantia tertia et melior.

4. Sed longe facilior et accommodatior videtur instantia, eaque clara et quotidiana in rebus omnibus tam naturalibus quam supernaturalibus, cum res transit a motu ad quietem, seu a denominatione, qua dicebatur moveri, ad novam contradictoriam qua quiescere et non moveri dicitur. Cum enim est motus et quandiu est in ea, verum est dicere quod movetur; cum vero forma acquisita quiescit in illa, verum est dicere, quod amplius non movetur. Ergo acquisivit novam denominationem nulla nova facta, sed potius sublata mutatione. Dicere enim ipsam mutationis cessationem, mutationem quamdam esse, est dicere quietem esse motum, non album esse album, cœcitatem esse visum, et contradictoria non modo simul vera, sed esse idem.

Responsio.

5. Neque dixeris, post motum a termino re distinctum, ipsum produci terminum et recipi in subjecto; quæ receptio quædam est mutatio, qua subjectum formaliter mutatur. Tum quia terminus, ut ante dictum est, a motu, non re sed ratione tantum differt; tum quia motum immediate, non alius motus, sed quies sequitur; tum quia admittenda erit altera actio productiva termini distincta a productione motus; tum quia, si ipsa sola receptio termini est motus, ut vere est, quid opus est alia antecedente mutatione? Tum quia, si est alia mutatio, quis ejus terminus erit?

Refellitur.

Altera responsio.

Dicere vero termini quietem, seu conservationem ejusque durationem esse modum quemdam fluentem, ab ejus prima productione distinctum, est, non modo discedere a communi Philosophorum doctrina, sed etiam revocare sententiam Heracliti et dicere omnia esse in perpetuo motu, et nihil quiescere; est negare primum physicæ principium, *natura est principium motus et quietis*. Nihil enim absolute quiescet, sed omnia in perpetuo erunt fluxu et motu durationis et existentiæ continue fluentis. Denique, si quis recurrat ad temporis mutationem, dicatque tempus productionis primæ aliud esse a tempore quietis et conservationis rei, eodem et nos cum illo confugiemus dicemusque tempus, quo

Rejicitur.

Tertia responsio.

lumen a sole pendet, diversum esse ab eo, quo ab eodem non amplius pendet.

Admittitur. **6.** Et si urgeat hanc temporis successionem et mutationem per accidens se habere ad successionem motus et quietis seu productionis primæ et conservationis, atque adeo ad veritatem et varietatem denominationum prædictarum, id negandum erit. Tum quia, supposito naturali rerum omnium ordine, omnia sunt in tempore, omniumque rerum naturalium substantia, motus, quies, actio et passio tempore mensurantur; tum quia in exemplis propositis expresse ac diserte nunc, ante et post, prius et posterius, atque adeo tempus includitur. Igitur ad illarum denominationum veritatem successio et mutatio temporis non se habet mere per accidens; tum quia ad motum ejusque unitatem temporis unitatem requirit Philosophus 5. Phys. text. 3. et 7. et lib. 7. text. 5. Unde etiam lib. 1. de Interpret. cap. 3. verbum quod agere et pati, atque adeo mutari, significat, definiens, ait quod est *vox consignificans tempus.*

7. Porro quoniam mutationis moralis mentio paulo ante facta est, et eam ex prædicto axiomate nonnulli fieri volunt per formam et entitatem, non quidem physicam, sed, ut loquuntur, moralem, eamque a parte rei, ab eo cui inest re distinctam, defenduntque plurima ejusmodi entia moralia in rerum natura esse, moralem ejusmodi formam, æque ac modalem, nullam esse, nec ex superiori axiomate recte colligi, quasi corollarium quoddam paucis hoc loco demonstrandum est.

Quid sint entia moralia **8.** Ac in primis ejusmodi entia moralia aliud nihil esse videntur, quam ipsæ personæ et actiones humanæ, rerumque externarum entitates, prout subsunt potestati, dispositioni et ordinationi rationis ac voluntatis humanæ, et prout ordinantur ad varios humanæ societatis usus, et hominum, vel inter se, vel etiam cum Deo et angelis commercium; proindeque entia moralia naturalibus nihil aliud addunt quam habitudines et relationes quasdam ipsis inexistentes, et ratione tantum ab eis distinctas, quæ non a solo termino et fundamento, sed insuper ab hominum ordinatione, consensu et instituto pendent.

declaratur. Nam cum res omnes, sive natura, sive arte factæ, sint hominis gratia, *sumus enim, et nos illarum omnium finis* 2. Phys. text. 24. et 1. Polit. cap. 5. et expressius Psalmo 8. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus* (id est hominis) *oves et boves,* etc., eique

Deus rationem, hoc est, illis omnibus utendi et convertendi in usus suos, ad bonum et finem consequendum, facultatem et potestatem concesserit; hinc fit ut homo, innata vi rationis et voluntatis, illa omnia et se suaque diversimode componere, ordinare et ad humanos ac morales usus, tam erga se quam erga alios applicare possit; quemadmodum et easdem res naturales ad varia artium opera diversimode componit; aut quemadmodum Deus sapientia et potentia sua naturalem inter eas, quibus constat mundus, ordinem constituit et conservat. Ita homo per voluntatem et rationem, prædictum moralem in rebus ordinem constituere et se, suos actus et res externas quæ sunt in ejus potestate, imperio, subjectione, petitione, voto, promissione, donatione, aliisque contractibus ad alios referre, inclinare et ordinare potest.

9. Quod autem illa omnia moralia entia aliud nihil quam relationes sint, probatur. Primo, quia unius ordo ad alterum relatio quædam est: unde S. Thomas quæst. 7. de Potent. art. 10. *Relatio realis,* inquit, *consistit in ordine unius rei ad aliam, et in illis tantum mutua relatio realis invenitur, in quibus ex utraque parte est eadem ratio ordinis unius ad alterum.* Superioritas autem, dominium, servitus, obligatio ex contractu, possessio rerum, earumque pretium, pecuniæ valor, significatio dictionum aliorumque signorum et similia ex hominum voluntate nata, dicunt ordinem ad aliud et subjectum cui insunt, ex sua ratione propria et essentiali ad aliud referunt. Superior enim, v. g. qua superior, respicit inferiorem, rex regnum, dominus servum, magister discipulum. Probatur 1.

Secundo. Quia dicuntur ad convertentiam, ut patet. Rex enim est regni rex et regnum regis regnum dicitur.

Tertio. Sublato uno extremo, tollitur aliud. Nullo enim existente discipulo, regno, subdito, magister, rex, aut superior nullus erit: idemque existimandum de obligatione, valore, merito et similibus.

10. Quarto. Pecuniam, seu nummum esse mensuram pretii et valoris rerum, quæ in usum veniunt, diserte habet Aristoteles lib. 4. eth. cap. 1. et S. Thom. q. 7. de Potent. art. 10. et Sanctus Augustinus lib. 5. de Trinitate cap. 16. *Sicut nummus,* inquit, *cum dicitur pretium, relative dicitur, nec tamen mutatus est, cum cœpit esse pretium, neque cum dicitur pignus et si qua sunt similia: si nummus potest nulla sui mutatione dici relative,* Aristoteles. D. Thomas. D. Augustinus.

neque cum incipit dici, neque cum desinit, aliquid in ejus natura vel forma, qua nummus est, mutationis fiat, quanto facilius in illa incommutabili Dei substantia debemus accipere, ut dicatur relative ad creaturam, etc.

Igitur ejusmodi entia moralia formaliter aliud nihil sunt, quam habitudines et relationes quædam morales rebus inexistentes ex hominum aut etiam Dei voluntate et instituto.

Ad quod genus relationum pertinent.

Quæ quidem relationes pertinent, partim ad genus relationum activi et passivi, ut dominium, superioritas, servitus, etc., partim ad relationes mensuræ et mensurabilis, ut pecuniæ valor, rei pretium, meritum, præmium etc. eædemque fiunt et producuntur, non aliarum more relationum, quæ sunt in natura solo fundamento et termino positis, sed ad eas præterea concurrunt actus rationis et voluntatis deliberatæ unam rem ad aliam ordinantis, aliasque pro arbitrio conditiones apponentis, imo etiam concurrente nota aliqua externa et signo sensibili testificante illam hominum ordinationem, voluntatem et consensum, atque adeo ex mutatione aliqua extrinseca ipsis rebus adveniunt. Neque item ab eis recedunt ac pereunt, sine aliqua mutatione extrinseca, etiam cum pereunt per non usum, omissionem, vel oblivionem. Cum enim agri, aut rei alicujus dominium, ac proprietas præscriptione amittitur, aut observandæ legis obligatio cessat per diuturnam ejus non observationem, intervenit aliqua saltem temporis fluentis mutatio, vel etiam præcessit illa actio voluntatis ac consensus hominum, quo statuerunt, vel sola tanto tempore rei negligentia et non usu perire domino jus ad illam.

Non sunt denominationes extrinsecæ.

11. Ex his constat, quæ dicuntur entia moralia, non esse meras denominationes extrinsecas, sicut esse visum, cognitum, amatum, etc., quia licet effective a causa extrinseca, nempe a ratione et consensu hominum, rebus adveniant, non propterea sunt denominationes extrinsecæ; alioqui omnes relationes naturales, imo omnia accidentia absoluta in omnibus creaturis existentia essent denominationes extrinsecæ, cum illis insint a Deo, causa efficiente extrinseca. Deinde omnis relatio, ex parte fundamenti rei cui inest intrinseca est, et ex parte termini tantum extrinseca. Igitur idem existimandum de relationibus moralibus, ut esse regem, superiorem, dominum, præceptorem, ducem et similibus.

Nec formæ inhærentes a re distinctæ.

12. Constat præterea eadem entia moralia non esse formas quasdam a rebus, quibus insunt, a parte rei distinctas. Tum quia

nova est hæc philosophia, eaque nec auctoritate, nec ratione sufficienti subnixa. Neque enim ex illo axiomate, de quo actum est hisce capitibus et quo inniti dicitur, ulla ratione recte inferri potest, ut constat ex dictis. Tum propter innumeras, quas secum trahunt illæ formæ, difficultates de earum productione, conservatione, definitione, unione, separatione, divisibilitate vel indivisibilitate et cæteris earum accidentibus. Tum quia nulla in categoria sedent, ac locum invenire possunt. Tum quia nulla est earum necessitas, ut patet ex dictis. Non enim ordo a rebus ordinatis, nec relatio a relatis, nisi ratione sui fundamenti a parte rei, differunt. Denique omnia fere, quibus usi sumus, argumenta contra formas modales, has etiam morales expugnant.

13. Objicies primo ex entibus moralibus quædam, præsertim quæ sunt in personis, sunt et communi usu loquendi dicuntur qualitates, dignitates, potestates, officia, etc. Immo si Avicennæ credimus, nomen *potentiæ* ad naturales et innatas, ab humanis et moralibus illis potestatibus similitudine quadam traductum est, ita ut principium actionis naturalis *potentia* dicatur, quia ab eo movetur aliud; quemadmodum principes et superiores suo imperio sunt principia moralia motus subditorum. Igitur entia moralia non sunt relationes. Objectio.

14. Respondeo vere quidem nonnulla entia moralia, qualitates, potentias et potestates vocari, licet formaliter includant relationem; quia, ut ait Aristoteles in Prædic. capite de qualitate sub finem : *Si contingit idem ipsum et quale et ad aliquid esse, nihil est inconveniens in utrisque hoc generibus enumerare.* Quod dixit solvens objectionem, quam ipse sibi ita fecerat. *At non decet conturbari, ne quis nos dicat de qualitate propositum facientes, multa eorum quæ sunt ad aliquid connumerasse. Habitus enim et dispositiones eorum quæ ad aliquid sunt esse dicebamus.* Igitur quædam entia moralia, licet sint relationes, tamen qualitates et potentiæ dicuntur; quia realiter idem sunt cum illis et fundantur in potentiis, tam innatis et naturalibus, ut in intellectu et voluntate dominium et superioritas (utriusque enim omnisque juris incapax est, qui rationis tam re quam spe expers est) quam in acquisitis, ut doctoratus in scientia, esse ducem in arte militari, esse judicem in peritia juris et alia ejusmodi. Responsio.

15. Deinde ejusmodi relatorum nonnulla sunt secundum dici Hæc autem ex D. Thoma q. 7. de Potentia, art. 10. ad 11. sunt; Quæ dicantur relata secundum dici.

quando nomina sunt imposita ad significandas qualitates, vel aliquid hujusmodi principaliter, ad quæ tamen consequuntur relationes, ut sensus et scientia. Imo vero omnis potentia creata, tam activa quam passiva, tam innata quam acquisita (quam divisionem habet Aristoteles 9. Metaphys. text. 10. et text. 3. ubi ait omnes artes et factivas scientias esse potentias; principia enim sunt transmutativa in alio, prout aliud est), vel formaliter, vel consequenter relationem includit, ut patet. Tum ex utriusque definitione libro citato Metaphys. text. 2. *Activa enim est principium transmutationis in alio, prout aliud est; passiva principium transmutationis ab alio, prout aliud est.* Tum ex lib. 3. Phys. text. 3. ubi, inter ea quæ sunt ad aliquid, numerat : *Activum et passivum, atque omnino motivum et mobile. Motivum enim motivum mobilis est et mobile a motivo est mobile.* Tum etiam ex eo quod a subjecto in quo est, sine ulla intrinseca ejus in substantia, quantitate, aut qualitate mutatione abesse potest, per solam alterius extremi mutationem. Qui enim baculum flectere aut frangere poterat, is immutatus id non poterit, si tantum baculus durior rigidiorve fiat, et scintilla ignis, quæ siccum pulucrem tormentarium accendere poterat, eumdem, si humidus fiat, inflammare non poterit et sic in aliis.

Potentiæ aliæ sunt innatæ, aliæ acquisitæ.

2. Objectio.

16. Objicies secundo; relationem non esse activam. Superioritas autem et potestas, sive ecclesiastica, sive politica, est activa et motiva aliorum. Igitur non pertinet ad relationem.

Responsio.

Respondeo; relationem, qua relatio est, activam non esse; alioqui omnis relatio, atque adeo dupli et tripli, ac similes proportiones, activæ essent; sed solum quasdam esse activas, non solum moraliter, sed etiam physice. Unde commune axioma, *Actionem fieri a proportione majoris inæqualitatis,* et Philosophus, ut dictum est, lib. 3. Phys. text. 3. et lib. 5. Metaphys. text. 20. inter species relatorum enumerat ea, quæ sunt activi ad passivum, motivi ad mobile. Vide Alensem text. 3. lib. 9. Metaph. ubi exponit id Aristotelis. *Omnes artes et scientiæ factivæ, potentiæ sunt.* Activæ autem sunt illæ relationes, non per se, sed ratione sui fundamenti; quemadmodum et quædam ratione fundamenti, intentionis et remissionis sunt capaces. Igitur rationi, id est naturali ac indefinitæ regendi, possidendi et utendi rebus creatis potestati hominis, si lex, consensus, vel ordinatio Dei aut hominum accesserit, facit ut relationes superioritatis, dominii et similes

Relationes quomodo activæ.

ei adveniant, quibus radicalis et indeterminata regendi ac possidendi potestas, quæ cuique a natura vel ab habitu inest, ad certas res, vel personas, vel actiones contrahitur et limitatur propter commune societatis humanæ bonum et ad meliorem hominum gubernationem, ut habet Sanctus Thomas 2. 2. q. 66. art. 2.

17. Objicies tertio; per intellectionem et volitionem res acquirere tantum esse cognitum et volitum, quæ sunt solum denominationes extrinsecæ. Igitur entia moralia non sunt relationes rebus intrinsece inexistentes. Distinguo antecedens cum S. Thoma 2. 2. quæst. 83. art. 1.; a ratione quidem speculativa res habere tantum quod sint cognitæ; a practica autem et factiva habere etiam quod sint. Quemadmodum enim creaturæ a Deo, qui est agens per intellectum, habent non tantum ab eo esse cognitas et volitas, quod est illis extrinsecum, sed etiam suum proprium et intrinsecum esse; ita et res, tam artefactæ quam morales ab hominis arte et prudentia, non tantum habent extrinsecum esse cognitum et volitum ab eo, sed etiam quod sint in se, quales sunt. Idea enim non tantum est forma et ratio rei in anima, sed etiam principium effectivum illius. Nam, ut ait Philosophus lib. 7. Metaphys. text. 23. *Domus et sanitas, quæ sunt in materia, fiunt ex domo et sanitate, quæ sunt in anima et absque materia.* Et lib. 2. Phys. text. 21. inter causas efficientes medicum et consultorem nominat. Objectio 3. Responsio.

CAPUT LX.

Proponuntur et solvuntur reliqua argumenta adversariorum, pro distinctione reali, seu modali, hypostasis a natura.

1. Communibus pro modis in universum, atque adeo pro subsistentia modali argumentis huc usque propositis ac dissolutis, nonnulla propria et quæ solam hypostasim spectant, hoc uno capite nobis expedienda sunt.

Ac primo occurrunt quæ sunt Cajetani, numero sex ad 3. part. q. 4. art. 2.; quorum tria omnino nostra sunt. Primum, Argumenta Cajetani.

quod hypostasis et persona in Deo tota sit quid positivum. Secundum, quod per aliquid negativum nihil sit in categoria substantiæ, nihilque negatione realiter et substantialiter perficiatur. Tertium, quod pronomina hic, ille, iste, etc., sicut et nomina propria, Petrus, Paulus, etc., omnium confessione formaliter significent substantiam. Hæc enim valent tantum contra Scotum, probantque quod defendimus, nullam negationem esse de ratione intrinseca hypostasis. Cum igitur tria hæc pro nobis pugnent, supersunt tantum alia tria nobis dissolvenda. Quod ex hactenus constitutis nullo negotio fiet.

1. Argumentum Cajetani.

2. Primum est, quod si Verbum deponeret humanitatem, hæc esset substantia et persona, alia a persona Dei. At non esset alia positive, nisi per aliquam realitatem ei advenientem, constitutivam personæ propriæ, tanquam ultimum ac purum ejus terminum a parte rei ab ea distinctum. Igitur, etc.

Responsio.

Respondeo, concessa sequela Majoris, negandam esse Minorem, cum D. Thom. in 3. dist. 6. q. 1. art. 2. ubi ait, quod hoc ipso quod Verbum deponeret humanitatem, illa esset homo, id est, persona humana. Sola enim divisione ac separatione a Verbo fieret tota quædam substantia, alia scilicet totalitate quam Verbi Divini in quo erat (nam Cajetanus ipse ibidem S. Thomæ dictum in 3. dist. 5. q. 3. art. 3. ad 3. refert et approbat, quod sicut in continuis sola divisio ac separatio dat totalitatem divisis; ita et in substantiis, præsertim homogeneis) proindeque hypostasis ac persona propria, cum ad hoc nihil ei deesset, præter totalitatem substantiæ, in pluribus explicatum est supra cap. 23. num. 11. cap. 30. num. 4.

2. Argumentum Cajetani.

3. Secundum. Sicut homogenea in rebus naturalibus sola divisione acquirunt aliquod esse, seu actum existentiæ ab eis re diversum; cum enim antea essent potentia tantum, divisione fiunt actu : ita eadem divisione acquirunt hypostasim realem, modumque positivum ab eis re diversum.

Responsio.

Respondeo quod, cum forma hujus argumenti possit esse diversa, si comparatio facta a Cajetano sit unica propositio Major, ea omnino concedenda est; eo nimirum sensu, quod quemadmodum divisione totius homogenei nulla acquiritur aut producitur nova forma existentiæ realis in partibus divisis ab eis re distincta, sed solum quæ res et existentiæ antea partes tantum erant, unumque totum actu et potentia tantum multa tota, ipsa divisione

fiunt actu multa tota : ita nec ullus producitur, nec acquiritur modus subsistentiæ. Quæ autem subjicitur Minor neganda erit. Si vero argumentum sit enthymema, cujus integrum antecedens sit sola prima pars comparationis hoc modo : In homogeneis per separationem in utraque parte producitur existentia, a qualibet re distincta; negandum erit antecedens. Et certe magnam omnino ejus philosophi, aut theologi fidem esse oportet, qui crediderit, aquæ guttula e mari digito hausta, aut aeris particula a reliquo aeris elemento divisa, divisione ipsa simul et corrumpi totam aeris et aquæ existentiam, et quatuor alias produci, quarum duæ per totam aquæ et aeris immensitatem sint diffusæ. Tot et tantas mutationes veras et reales, cui, et quibus argumentis persuaserit Cajetanus, et quomodo, et a quibus causis novæ illæ et subsistentiæ et existentiæ (nam etiam novas existentias realiter distinctas a subsistentiis illis vult produci) efficiantur, ut explicare possit, non video.

3. Argumentum Cajetani.

4. Tertium. Quod, posito reali subsistentiæ modo et forma a natura particulari re distincta, omnia, quæ de persona dicuntur, quæque Incarnationis mysterium spectant, melius consonent, omnesque de iis difficultates melius explicentur. 1. Quod persona sit quodammodo eadem, et quodammodo diversa a natura singulari. 2. Quod natura possit esse sine sua hypostasi, non vero contra. 3. Quod terminus cum terminato non faciat compositionem. 4. Quod non fingatur nova substantia ultra materiam, formam et compositum. 5. Quod melius explicetur dictum S. Thomæ, quod si Verbum assumpsisset angelum, vel hominem præexistentem, corrumperetur aliquid. 6. Quod melius explicetur doctrina Ecclesiæ, quod Verbum assumpsit naturam et non personam. Igitur admittendus est modus aliquis subsistentiæ a natura reipsa distinctus.

Responsio.

Negandum est antecedens. Quod enim per indistinctionem realem solamque distinctionem rationis hypostasis a natura, propositæ omnes in argumento difficultates, ipsumque mysterium Incarnationis longe melius explicentur, magisque secundum Scripturam sacram, et Conciliorum, Sanctorum Patrum, nec non S. Thomæ, omniumque doctorum scholasticorum doctrinam, manifestum est ex iis, quæ superius dicta sunt.

Argumentum Suaris primum.

5. Nunc sequuntur argumenta Suaris tomo 1. suæ Metaph. disput. 34. sect. 2., quorum primum est, quod, etsi Aristoteles, aliique philosophi antiqui ignorarint distinctionem a parte rei subsistentiæ

a natura, mirum tamen est quosdam doctores catholicos, Durandum et Henricum eam negare, et asserere ratione tantum distingui; cum supposito mysterio Incarnationis id nullo modo defendi possit. Quod repetit numero 19. et sect. 3. num. 9. ubi ait intelligibile non esse ut angelica natura maneat et non ejus personalitas, si ab ea, non nisi ratione differt.

Responsio. Respondeo mirandum potius esse, quomodo ipse et plerique recentiores theologi contra Sanctorum Patrum et tot doctorum theologorum doctrinam, tam certam et solidam, tamque inter eos communem, ut ostendimus in toto fere hoc opere, asserant re distingui : et negandum, omnino defendi non posse subsistentiam sola ratione distingui a natura, supposito Incarnationis mysterio. Id enim falsum esse satis evidenter et efficaciter ostensum est supra cap. 23. et sequentibus. Imo cap. 37. contendimus, supposito Incarnationis mysterio, defendi non posse hypostasim re, aut modaliter differre a natura.

2. Argumentum. Secundum. Antiquos Patres dicere, errasse hæreticos contra mysteria Trinitatis et Incarnationis, quod non distinxerint inter naturam et suppositum. Responsum est plenissime supra cap. 32.

3. Argumentum. Tertium quod habet num. 10. Mysterium Trinitatis intelligi non poterit, si ratio formalis suppositi in negatione consistit. Neque enim Personæ Divinæ constituuntur negationibus. Respondeo hoc argumentum non pugnare contra nos, sed contra Scoti sententiam, ut monuinus ante.

4. Argumentum. **6.** Quartum ibidem. Persona in Divinis addit naturæ aliquid positivum ratione distinctum a natura. Igitur in creatura addet aliquid positivum re distinctum, propter imperfectionem creaturæ.

Responsio. Concesso antecedente, negatur consequentia. Hac enim, si valeret, probaret Suarez contra se, existentiam in rebus creatis re distingui ab essentia. Igitur satis discriminis est inter subsistentiam creatam et increatam, quod illa sit finita, dependens, creata ex nihilo; hæc infinita, independens, increata. Deinde quod illa non sit de conceptu intrinseco naturæ creatæ; hæc vero sit de conceptu essentiæ Divinæ, ut ibidem agnoscit Suarez. Tandem illa sit separabilis a natura; hæc non sit.

5. Argumentum. Quintum habetur num. 11. et 16. Incarnatio erit impossibilis, si subsistentia est negatio. Hoc argumentum est contra Scotum, et ne quidem adversus illum recte concludit, ut ostensum est supra cap. 18. num. 12.

Sextum num. 18. Verificari non poterit quod Concilia et SS. Patres docent Verbum assumpsisse naturam humanam, non personam. Negandum est assumptum, et videndum est cap. 31. supra. 6. Argumentum.

Septimum ibidem. Verbum in Incarnatione æque desinet esse persona, ac humanitas, si hæc, sola unione cum Verbo, amittat suam propriam personalitatem. Igitur, etc. Neganda est sequela, propter disparitatem sæpius a nobis supra ex S. Thoma allatam. Unione enim cum alia substantia, præsertim Divina, humanitas et quælibet substantia creata, amittit totalitatem substantiæ, quia finita est, et juncta alteri habet rationem partis; non autem persona divina, propter contrariam rationem, quia est infinita, ac proinde nullius societate perfectior magisque tota redditur. 7. Argumentum. Responsio.

Octavum num. 18. Additio non tollit complementum, sed ablatio : imo additione res fit plusquam completa. Igitur per solam unionem non tollitur ab humanitate Christi personalitas creata. Distinguo antecedens : Si tollere complementum sit additione rem reddi imperfectam, aut minus perfectam, quam antea, concedo anteced. Si vero sit rem esse, æque, vel eodem modo totam ac completam, quo antea erat, nego anteced. Totalitas enim rei, non solum detractione, sed vel sola additione tolli potest, ut fusissime probatum est, supra cap. 23. 8. Argumentum. Responsio.

7. Nonum habetur sect. 3. num. 9. 10. et 11. ubi postquam nonnullis ex prædictis argumentis probare conatus est subsistentiam in Angelis re distingui a natura, addit id etiam probari a priori; quia essentia substantiæ creatæ, ut sic, non consistit in actuali modo essendi per se, sed in aptitudine, id est, ut sit talis natura, cui debeatur esse per se, talisque modus essendi. Igitur ille modus semper est quid positivum additum essentiæ ab ea re distinctum. Quod confirmatur ab actuali inhærentia accidentis, quam vult esse modum a parte rei ab ipso accidente diversum. 9. Argumentum.

Respondeo 1. Concessa prima parte antecedentis, nempe, quod essentia substantiæ creatæ non consistit in actuali modo essendi per se, negandam esse secundam, nempe consistere in aptitudinali. Essentia enim et conceptus proprius cujuslibet naturæ etiam individuæ, præscindit ab esse per se, vel esse in alio, estque indifferens ad utrumque essendi modum, ut pluribus declaratum est supra cap. 21. Igitur, nec actualem, nec aptitudinalem modum essendi per se, natura in suo conceptu includit. Responsio prima.

Respondeo 2. Ut detur totum anteced, negatur consequentia, Responsio secunda.

saltem quoad illam partem, qua infert subsistentiam fore aliquid a natura re distinctum. Illud enim reale et positivum quod persona addit naturæ, modus ejus est, ab ea, non re, sed ratione tantum distinctus, cum aliud nihil sit quam ipsa naturæ totalitas, integritas, et perseitas opposita modo essendi in alio per modum partis. Igitur hæc ratio, nec est a priori, nec a posteriori. Et ad confirmationem negatur similiter inhærentiam actualem accidentis esse modum ab illo re diversum, cum, ut supradictum est, omnis actus immediate et per se uniatur suæ potentiæ.

1. Argumentum Gabrielis Vasquez.

8. Succedunt argumenta Gabrielis Vasquez in tertiam partem disp. 31. cap. 1. quorum primum habetur num 5.; quia sequeretur naturam humanam in Christo esse suppositum humanum, si subsistentia non est modus a parte rei a natura distinctus, quo careat : alioquin unita Verbo haberet omnia quæ haberet separata.

Responsio.

Respondeo negando sequelam antecedentis. Et ad ejus probationem dicendum, quod ut humanitas Christi non sit persona humana, non est necesse deesse ei aliquid eorum quæ haberet separata, sed sufficit ut ei unitæ adsit aliquid quod ei separatæ et in propria persona existenti non adesset, ut pluribus exposuimus supra cap. 28 num. 12.

2. Argumentum Vasquez.

Secundum quod habetur ibid. tale est. Natura humana in Christo diverso modo significatur, alioque modo se habet cum terminatur a persona divina, quam si existeret per se : hic autem diversus se habendi modus, aliunde provenire nequit, quam quod ipsi naturæ humanæ in Verbo existenti desit aliquid quod haberet, si esset per se.

Responsio.

Respondeo eodem modo quo prius, nempe, concessa Majore; negatur Minor. Humanitas enim in Christo se habet modo diverso quam se haberet separata, propter solam unionem et additionem divinitatis ad illam, ut pluribus sæpius declaratum est.

3. Argumentum.

Tertium, quod habetur ibid. cap. 2. num. 10. illud ipsum est, quod retulimus et solvimus sup. cap. 17. quodque decies, ut minimum, à S. Thoma propositum et solutum esse ostendimus.

4. Argumentum.

9. Quartum. Anima rationalis separata non est persona, cum tamen nulli alteri substantiæ sit unita. Igitur sola negatio communicationis actualis non complet suppositum.

Concedo totum argumentum, quod utcunque valet contra Scotum dicentem negationem communicationis cum alio esse de ratione suppositi, quod non dicimus. Imò eo argumento usi sumus sup. cap. 11. ad probandum rationem hypostasis et personæ consistere

in totalitate substantiæ. Ideo enim anima separata non est hypostasis, nec persona; quia natura sua est substantia imperfecta, ut pote pars essentialis hominis.

Quintum habetur ibid. Suppositum et persona idem est quod substantia prima. Hæc autem compleri et constitui non potest per solam negationem, sed per aliquid pertinens ad genus suum, quod aliquid non potest esse aliud quam modus quidam substantialis ad genus substantiæ pertinens. Respondeo argumentum bonum esse contra Scotum, propter rationem paulo ante dictam. Itaque, concessa Majore et Minore, dicimus hypostasim et substantiam primam compleri per modum, non qualem modistæ volunt, sed per totalitatem substantiæ, quæ est modus ratione tantum distinctus ab ipsa natura et substantia prima. Præscindit enim a totalitate et ab hypostasi, ut ostensum est sup. cap. 49. num 1. 5. Argumentum. Responsio.

10. Sextum, quod habetur num. 12. Terminare est actus realis. Nullus autem actus realis negationi tribui potest. Igitur cum personalitas sit terminus et complementum naturæ non potest esse negatio. Respondeo argumentum bonum esse contra Scotum. Quomodo autem hypostasis et personalitas sit terminus positivus et complementum ultimum naturæ exposuimus sup. cap. 13. Præterquam quod terminare naturam assumptam, ut sic, nullam, ut ait Cajetanus 3. part. q. 3. art. 1. ad 3., causalitatem dicit ad naturam assumptam; *alioqui tota Trinitas,* inquit, *esset terminus assumptionis, quia indivisa est causalitas Trinitatis ad extra.* 6. Argumentum. Responsio.

11. Septimum habetur cap. 6. num. 32. *Quemadmodum,* inquit, *accidentia a subjecto separata habent modum aliquem positivum, quem appellamus per se, distinctum ab eo quem habent cum inhærent subjecto; ita natura habet modum per se quando est in supposito, quo caret quando est in alieno.* Respondeo negando utramque partem similitudinis, si, per *modum* quem habent vel accidentia separata, vel natura subsistens, intelligat formam et entitatem quamdam a parte rei diversam. Nam si per *modum* intelligatur utrumque alio modo esse et existere in uno statu quam in alio, concedimus alio modo se habere accidentia separata quam unita subjecto. Cum enim sunt in subjecto ipsum informant, eique uniuntur et cum eo constituunt aliquod totum saltem accidentale; non autem separata. Idemque dicimus de natura in proprio supposito comparata ad seipsam, ut est in alieno. 7. Argumentum. Responsio.

12. Supersunt adhuc duo, quorum unum est de Raconis in Argumentum Raconis.

sua Metaphysica, sect. 3. quæst 3. *Hæc,* inquit, *propositio, « Petrus est sua humanitas, » videtur inepta, imo proprie loquendo est falsa : at vera esset, si suppositum Petri nihil adderet supra naturam ejus singularem. Nam ejus falsitas sumi debet ex aliquo quod recipit, quod est in Petro non in sua humanitate. Igitur necesse est suppositum addere aliquid super naturam singularem.*

Responsio. Ut TOTUM hoc argumentum concedatur, nihil contra nos concludit, quia non probat illud quod suppositum addit naturæ, ab ea debere esse re distinctum; nihilominus concessa Majore, quamvis propositio, *Petrus est sua humanitas,* in sensu reali et identico sit vera, non in sensu formali; quia nullum abstractum de suo concreto in sensu formali recte enuntiatur. Neganda est sequela Minoris, vel perspicuitatis causa distinguenda. Si enim suppositum Petri nihil omnino sive re, sive ratione distinctum ejus naturæ superaddit, vera est sequela; falsa autem si superaddit aliquid ab ea, vel sola ratione diversum. Quemadmodum enim paternitas addita naturæ Divinæ, facit ut verum sit dicere Deum, non autem essentiam divinam, generare, a qua tamen ratione tantum differt; ita Petrus suppositum, suæ humanitati superaddens totalitatem ab ea ratione tantum distinctam, non solum excludit rationem partis, quam humanitas dicit in abstracto, utpote concepta per modum formæ, sed etiam facit ut verum non sit in sensu formali dicere, Petrus est humanitas. Nam ut admonet S. Thomas. S. Thomas 1. p. q. 39. art. 4. et 5. in propositionibus et locutionum proprietatibus, non solum attendenda est res significata, sed etiam modus significandi. Recte enim dicitur, Deus generat Deum, non autem Deitas Deitatem; licet Deus et Deitas re idem sint, quia scilicet modo significandi differunt, ut concretum et abstractum.

Argumentum De Lugo. **13.** Ultimum argumentum est Joannis De Lugo disp. 12. de Incarnatione sect. 2. num. 13. *Inter duo entia in actu omnino completa,* inquit, *non potest fieri unio præsertim substantialis, sed necesse est, ut utrumque, vel saltem unum sit cum aliquo incomplemento.* Igitur cum in Incarnatione nullum sit ex parte Verbi divini incomplementum substantiale, debet esse ex parte humanitatis; hoc autem incomplementum non est aliud quam carentia modi subsistentiæ distinctæ modaliter, quæ per talem unionem suppletur. Antecedens autem probat, tum quia per unionem substantialem resultat unum per se; unum autem per se non potest

esse ex duobus entibus completis. Tum quia alioqui quodlibet cuilibet substantialiter uniri posset, ut angelus angelo, vel homini aut leoni et sic de aliis.

Distinguo antecedens. Inter duo entia completa, utroque manente actu in suo complemento suaque totalitate, non potest fieri unio substantialis; verum est antecedens. Ex duobus vero, quæ antea erant tota et completa, desinente totalitate ac complemento vel utriusque, vel saltem unius, non potest fieri unum substantiale; negatur antecedens. Responsio.

14. Ad primam ejus confirmationem eodem modo respondetur. Ex duobus, scilicet, entibus completis, utroque in suo complemento remanente, nullum quidem fieri unum per se. At ex duobus, aut etiam decem vel pluribus completis, sed mutua unione sese perficientibus, atque adeo quam habebant totalitatem et complementum suum deponentibus et in ordinem partium redactis, non fit per se unum; negatur, ut patet in omnibus totis et suppositis homogeneis. Adde quod incomplementum substantiale requisitum ad unionem substantialem et per se aliquorum, non est carentia formæ aut modi ab eis re distincti, sed est ipsa sola limitatio ac finitas entitatis cujuslibet substantiæ creatæ, eam reddens capacem augmenti substantialis per unionem, sive naturalem cum alia substantia ejusdem naturæ, ut cum aqua aquæ jungitur, sive supernaturalem cum substantia divina, ut in Incarnatione Verbi. Responsio. Ad 1. Confirm. Quomodo ex entibus completis fiat unum per se.

15. Ad secundam confirmationem negatur ex entium completorum unione, eo quo dictum est modo, sequi quidlibet cuilibet substantialiter et hypostaticè naturaliter uniri posse. Ea enim ex entibus completis naturaliter uniuntur ad unum aliquod substantiale constituendum, quæ sunt homogenea et ejusdem speciei, ut patet inductione. Utrum autem angelus et homo, et alia naturæ diversæ supernaturaliter jungi possint, quæstio est alterius loci; et sive id sit possibile, sive non, nihil inde concludi potest pro modali subsistentia a parte rei a natura distincta, neque contra hypostasis a natura indistinctionem realem, de qua hactenus satis superque disputavimus. Responsio. Ad 2. Confirm.

CAPUT LXI.

De proprietatibus hypostasis et personæ.

Tres hypostasis proprietates.

1. Quas proprietates Philosophus substantiæ primæ tribuit in Prædicamentis cap. de substantia, eæ omnes hypostasi et supposito præsertim creato conveniunt. Est enim substantia prima. Præter eas autem sunt tres aliæ a nobis hic exponendæ. Prima *habere,* seu *esse habens;* secunda *esse seu existere;* tertia *agere,* aut etiam *pati.*

2. Putarit autem non nemo primum locum deberi secundæ, hoc est, ipsi *esse, seu existere per se.* At non ita est, quia habere esse, seu existere per se, pars quædam est ipsius habere, ut mox constabit. Deinde cum hypostasis sit habens non solum existentiam, sed etiam essentiam et partes essentiæ, si sit composita; (Petrus enim v. g. est habens non tantum existentiam, sed etiam naturam humanam, ejusque partes, corpus et animam); prius est hypostasim habere essentiam et naturam quam existentiam; quia illa est de intrinseco et essentiali ejus conceptu, hæc non est, ut ostendimus supra cap. 38.

1. Proprietas est habere.

3. Prima ergo hypostasis proprietas est *habere,* seu *esse habens.* Quæ simul declaratur et probatur; quia ejus maxime est habere et esse habens, quod cum habeat et in eo sint alia omnia, ipsum a nullo habetur, nec est in alio. Hypostases autem tales sunt. Sunt enim substantiæ primæ totæ et integræ, de quibus Philosophus in Prædicam. supra ait, quod *alia omnia, aut de subjectis primis dicuntur substantiis, aut in subjectis eis insunt,* id est, de iis essentialiter prædicantur, aut denominative, et accidentaliter iis insunt et prædicantur ut aliarum omnium categoriarum entia. Igitur hypostasis vere est habens alia omnia. Eadem autem a nullo habetur; tum quia ideo est et dicitur substantia prima, quod nulli alteri insit, et a nulla priore habeatur. Tum quia haberi, idem est ac esse in aliquo, et *haberi seu esse in aliquo* ex Philosopho 5. Metaphys. text. 29. *similiter et consequenter, sicut habere, dicitur,* id est, tot modis dicitur quot habere.

Aristoteles.

Hypostasis autem et suppositum non est in aliquo. Tum quia est substantia prima. Igitur non est in alio, nec ut in subjecto, nec ut de subjecto, et ut pars de toto. Neque enim totum est in, aut de toto alio. Tum quia est ens per se et in se. Ergo non per aliud, nec in alio; ergo non habetur ab alio. Tum quia ex D. Thoma sup. cap. 27. *cum sint diversi habendi modi, in omnibus, quod est principalius, habere dicitur; quod autem minus principale, haberi.* Suppositum autem in unoquoque id est quod est dignissimum et principalissimum.

Exponitur modus loquendi S. Thomæ.

4. Itaque cum passim ait S. Thomas *hypostasim et personam subsistere in natura; aut hypostasim Verbi divini in Christo, subsistere in duabus naturis, divina et humana,* non est sensus quod hypostasis et persona vere et proprie sint in natura et in aliquo, cum contra natura ipsa sit in hypostasi et supposito. Sed hypostasim subsistere in natura aliqua est esse suppositum et hypostasim talis naturæ, v. g. humanæ, vel angelicæ, vel divinæ: ideoque hypostasim Verbi post Incarnationem subsistere in duabus naturis, divina et humana, aliud nihil est quam esse hypostasim et personam utriusque naturæ, cum ante Incarnationem unius tantum naturæ divinæ hypostasis esset. Ita se ipse explicat 1. p. quæst. 31. art. 1. ad 4.

2. Proprietas est esse.

5. Secunda proprietas hypostasis est *esse, seu existere,* et quidem *per se.* Ita docet S. Thomas 3. parte q. 17. art. 2. ubi hæc habet: *Esse pertinet et ad naturam et ad hypostasim: ad hypostasim quidem sicut ad id quod habet esse; ad naturam autem sicut ad id quo aliquid habet esse. Natura enim significatur per modum formæ, quæ dicitur ens, ex eo quod ea aliquid est, sicut albedine est aliquid album, et humanitate aliquis homo.*

Probatur primo. Quia hypostasis essentialiter est substantia tota, integra et perfecta. Totius autem est esse et existere simpliciter, ut ostendimus supra cap. 12. num. 9.

Secundo. Quia illud est et recte dicitur existere simpliciter, quod ita existit ut sit per se et non in alio: suppositum autem est ejusmodi. Licet enim existentia, sive realiter ab essentia distinguatur, sive non, illam immediate afficiat, cum tamen utraque a supposito habeatur, et respectu illius sint id quo, propterea suppositum est id quod proprie et simpliciter existit. Unde quemadmodum accidentia, licet sua existant existentia, quia tamen eorum et essentia et existentia propria est in alio, nempe in

D. Thomas. 1. part. q. 90. art. 2.

subjecto a quo habentur, non dicuntur simpliciter existere, aut habere esse, sed inesse et inexistere alteri : ita et essentia et existentia, quia sunt in supposito, non dicuntur simpliciter existere, ut quod, sed solùm secundùm quid, id est, ut quo.

6. Adverte porro quod essentia et existentia diversimode habentur a supposito. Essentia enim seu natura habetur ab eo tanquam aliquid essentiale, et de ejus conceptu intrinseco, existentia vero non. Ea enim non magis est de conceptu et de ratione intrinseca hypostasis et suppositi, quam de conceptu essentiæ. Suppositum tamen interdum definitur per existentiam, cum dicitur esse id quod per se ac solum et separatum existit, quod, ut diximus supra cap. 14., suppositum existens solum et separatum ab aliis nobis notius sit hypostasi et supposito non existente.

3. Proprietas est agere.

7. Tertia proprietas suppositi est *agere* ac etiam *pati*. Primo. Quia agere et fieri proprie est totius et non partis, entis perfecti et non imperfecti, ut ostendimus supra cap. 12. Suppositum autem est totum et perfectum. Secundo. Quia, ut res se habet ad esse, ita ad operari : esse autem et existere proprie est suppositi, ut ante dictum est. Igitur, etc. Tertio. Quia licet partes, ut pes, manus, lingua, oculus, et potentiæ, ut intellectus, voluntas, visus vere agant, et vulgo dicatur intellectus intelligere, voluntas velle, pes ambulare, lingua loqui, etc.; tamen cum omnis actio suo principio ascribenda sit, et si plura habeat, ei quod ejus est magis causa et principium potius tribuenda sit, quam ei quod est minus, prædictæ autem omnes tam partes quam facultates sint solum principium *quo* suæ actionis, suppositum vero principium quod, eædemque omnes et partes et facultates id quod sunt, valent et habent (si tamen proprie, cum de supposito agitur, aliquid habere dici possunt) sint suppositi, et illius magis quam sui ipsius. Si enim servus magis est domini quam sui ipsius, multo magis partes sunt totius et accidentia subjecti, quam sui ipsius. Propterea supposito per illa agenti eorum actio multo magis tri-

Aristoteles.

buenda est quam ipsismet. Unde recte Philosophus 1. de Anima sect. 64. c. 5. *Dicere*, inquit, *irasci animam, simile est ac si quis dicat eam texere vel ædificare. Melius enim forte est non dicere animam misereri aut cogitare, sed hominem anima.* Et

S. Thomas.

S. Thomas 2. 2. q. 58. art. 2. *Actiones*, inquit, *sunt suppositorum et totorum, non autem proprie loquendo partium, et formarum seu potentiarum. Non enim proprie dicitur, quod manus*

percutiat, sed homo per manum; neque proprie dicitur quod calor calefaciat, sed ignis per calorem; secundum tamen similitudinem quamdam hæc dicuntur.

8. Denique commune est philosophorum axioma, quod *actiones sunt suppositorum*. De quo hic tria notanda sunt. Primum desumptum esse ex Philosopho 1. Ethic. capite 7. et libro 2. Polit. cap. 6. et 1. Metaphys. cap. 1. Secundum est Philosophum non habere nomen suppositi, sed singularis. *Actiones*, inquit, *ac generationes omnes circa singulare sunt*, sed singulare ibidem est prorsus quod suppositum. Tertium, per *generationes* non activas tantum, sed etiam passivas intelligit, quasi dicat suppositi esse non tantum agere, sed etiam pati; non tantum facere, sed fieri, creari, nasci, generari, mori, etc. Etenim generatio non est materiæ, ut patet, neque formæ, nisi per accidens, quatenus est et fit in aliquo; sed proprie est compositi, ut ex professo ostendit Aristoteles lib. 7. Metaphys. text. 26. 27. et 32. Ubi S. Thomas lect. 7. *Formæ*, inquit, *non proprie habent esse, sed magis sunt quibus aliqua habent esse. Unde si fieri est via in esse, illa tantum per se fiunt, quæ per formas habent esse; formæ autem incipiunt esse eo modo quo sunt in illis factis, quæ per formas esse habent.* Et Alensis in citatum text. 26. *Ratio Philosophi*, inquit, *fundatur super duas propositiones. Prima, omne quod fit, ex aliquo fit. Secunda est, illud ex quo fit, quod fit, est pars rei factæ. Est enim de essentia generati et facti, ut per aliquid sui possit fieri et esse, et per aliquid sit : illud est materia, hoc forma. Cum igitur forma non sit ex aliquo quod pars illius sit, materia autem nullo modo ex aliquo, neutra proprie fit, sed solum compositum.*

Actiones sunt suppositorum.

Aristoteles.

Alensis.

Itaque, ut ait Sanctus Thomas loco citato, *proprius loquendi modus est, ut dicamus compositum ex materia generari in talem formam. Formæ enim proprie non fiunt, sed educuntur de potentia materiæ, inquantum materia, quæ est in potentia ad formam fit actu sub forma, quod est facere compositum.* Solum autem suppositum est compositum. Igitur ejus est fieri, creari, generari.

D. Thomas.

9. Et hinc est quod etiam in divinis, non bene dicatur essentiam divinam generari aut generare, spirari aut spirare, sed solum, *Deus generat aut generatur, spirat aut spiratur;* quia Deus hypostasim et personam significat, non autem essentia aut natura divina.

Signum autem, quod utroque modo, id est, tam active quam passive, actiones suppositorum sint, illud est non obscurum quod inter personas actionum et passionum dignitas et indignitas ex ipsa personæ, a qua manant et ad quas terminantur, dignitate vel indignitate æstimentur. Unde cum persona Christi infinitæ fuerit dignitatis, quas per humanitatem sibi unitam exercuit operationes, licet quoad speciem et entitatem finiti essent valoris et perfectionis; tamen cum essent a supposito divino infinite digno, propterea infiniti et meriti et satisfactionis et valoris ac dignitatis fuerunt. Persona enim, sua actione in gratiam alterius facta, non hanc tantum, sed seipsam etiam quodammodo illi tribuit et impendit.

Cur ex personæ dignitate crescat actionis dignitas.

Objectio. **10.** Dicet aliquis : etiam substantiæ naturales imperfectæ, ut plantæ, vermes, serpentes, aliæque ejusmodi, quæ dicuntur insecta, in partes dissectæ vivunt, sentiunt et moventur; et anima rationalis separata, licet non sit hypostasis, nec persona, intelligit, amat etiam Deum, quæ sunt actiones præstantissimæ. Igitur non est proprium hypostasis et suppositi agere.

Responsio. Respondeo substantias illas partiales et imperfectas et materiales, de quibus in objectione mentio facta est, vel esse veras hypostases, quia aliquo modo dici possunt tota quædam ideoque agere, vel, si non sunt, quod est probabilius, quia imperfecte naturam et essentiam ejus, cujus erant partes, retinent, (totalitas enim et naturæ et substantiæ requiritur ad completam rationem hypostasis) agere tantum imperfecte et non diu. Anima autem rationalis, quæ separata a corpore, ex probabiliori sententia, non est hypostasis, quia essentialiter est pars, agit quidem et aliquid naturaliter cognoscit et amat, at id facit per species, vel in corpore acceptas, cum esset in supposito humano, vel a Deo datas, quod ei non est ita naturale. Et præterea quemadmodum separata a corpore, ad totum et suppositum, cujus est pars, inclinationem naturalem habet; ita et quas in illo statu exercet actiones ad idem totum et suppositum, licet non existens, quodammodo pertinent.

Itaque supposito proprie et per se agere aut pati esse dicitur, quia omnia, quæ in eo sunt, agendi vel patiendi principia, illius sunt, ipsum vero non est alterius, et est id quod agit, aut patitur : partes vero ac potentiæ, seu ipsa agendi aut patiendi principia, quia sunt id quo respectu supposito et se suamque vim agendi et actionem debent ipsi supposito, propterea improprie agunt et patiuntur.

CAPUT LXII.

Inferuntur quædam corollaria theologica ex prædictis proprietatibus.

1. Primum est. *Humanitatem Christi, quia est in Verbo, ut in persona et supposito, ad ipsum pertinere et ejus esse singulari quodam jure, quo non est Patris aut Spiritus Sancti.* Ad hos enim tantum pertinet, ut creatura ad creatorem et effectus ad suam causam efficientem et finalem, ad Verbum autem divinum non illo solum modo, sed etiam propter ineffabilem cum eo unionem hypostaticam, ut aliquid ejus et quædam natura illi propria, quæque, ut cum Aureolo in 3. dist. 1. q. 2. et 4. loquar, ipsum *quiddificet, non impressione, sed sola additione sui et unione cum eo.* Ita Cyrillus in anathematismo 11. a Concilii Ephesini Patribus ad Nestorium misso : *Si quis ipsam Domini carnem vivificam ipsiusque Verbi, quod ex Patre est, propriam esse negaverit; neque rursum vere vivificam, eo quod Verbi, quod omnia vivificat, facta sit propria, confessus fuerit : anathema sit.* Estque hæc communis omnium Sanctorum Patrum fides et doctrina, ut scribit Theodorus Abucara disp. 4. his verbis. *Cum dicimus æternum Dei Filium factum esse hominem, hoc dicimus quod Athanasius et Cyrillus Alexandrini archiepiscopi et omnes Sancti Patres dixerunt, cum fabricavit sibi ex purissima Virgine Maria animatam et ratiocinantem ac intelligentem carnem humanam, etiam humanam intelligentem animam propriam suæ hypostasis fecit, sicuti cujusdam caro et anima, cujusdam hypostasis sive personæ propria est. Sicut igitur quidam, qui corpus et animam habet, homo est, ad eumdem modum æternus filius, fabricatus sibi corpus humanum et animam humanam et ambo propria sibi faciens, factus est vere homo.* Recte igitur S. Thomas Opuscul. 3. cap. 6. a nobis relato supra cap. 27. ait : *Quod humana natura in Christo est quædam filii Dei natura, ejusque corpus, anima, manus, pedes, caput, oculi et cæteræ partes Filii Dei propriæ sunt.*

1. Corollarium. Humanitatem assumptam Verbi propriam esse.

Cyrillus.

Abucara.

D. Thomas.

Rationibus probatur.

Ratio est, quia suppositi proprie est habere et possidere, et omne quod in eo est illius proprie est et non alterius, ut dictum est capite præcedenti. Deinde si intellectus et voluntas ac omnes facultates et habitus in quolibet homine existentes ejus sunt, cur non et humanitas assumpta a Verbo, eique longe arctius et intimius unita, illius propria erit?

Humanitas est magis Verbi quam sui ipsius.

2. Unde sequitur quod ipsamet humanitas assumpta, tota quanta est, Filii Dei magis est quam sui ipsius, et omnes item ejus partes magis sunt Verbi Divini quam ipsiusmet humanitatis. Ratio est, quia omnis pars totius magis est quam sui ipsius, *et quælibet pars, id quod est est totius,* inquit S. Thomas 2. 2. q. 64. art. 5. Humanitas autem assumpta omnesque ejus partes sunt in persona Verbi, quasi partes in toto, cum omnis hypostasis et omne suppositum totum quoddam sit, respectu eorum omnium quæ sunt in eo. Deinde suppositi est habere et possidere omnia quæ sunt in eo, ex capite præcedenti. Igitur humanitas assumpta ejusque partes omnes proprie habentur et possidentur a Verbo divino.

2. Corollarium. Actiones passionesque Christi esse Verbi magis quam humanitatis.

3. Secundum, quod ex præcedenti sequitur, est. *Omnes actiones, quas per assumptam humanitatem ejusque partes ac facultates Christus exercuit et quas nunc exercet, omnes item passiones, quas per eadem sustinuit, Filii Dei actiones et passiones proprie fuisse et esse, ejusque magis quam ipsiusmet humanitatis aut partium et facultatum per quas illas obivit.*

Primo. Quia illarum omnium actionum principia, ut ante dictum est, magis sunt personæ Filii Dei quam ipsiusmet humanitatis. Igitur et actiones ab illis promanantes aut passiones in eis receptæ magis erunt Filii Dei.

Secundo. Quia commune est philosophorum axioma ex lib. 1. Metaphys. cap. 1. desumptum, quod actiones sunt suppositorum, ut probatum est capite præcedenti. Suppositum autem humanitatis Christi omniumque ejus partium et facultatum est Verbum divinum. Igitur, etc.

Actio magis tribuitur agenti primario quam instrumento.

Tertio. Quia, ut ait S. Thomas 3. part. q. 13. art. 3, cujusvis instrumenti actio principali agenti magis quam instrumento tribuitur, et maxime si sit instrumentum ei conjunctum. Humanitas autem assumpta, ut habet ibidem et communiter docent Sancti Patres, est organum et instrumentum divinitatis, et quidem ei arctius et intimius conjunctum quam intellectus et voluntas animæ, aut membra corporis eidem. Igitur humanitatis actiones Verbi divini magis sunt,

quam actiones intellectus et voluntatis cujusvis animæ. Nam, ut ait S. Thomas q. de unione Verbi art. 5. ad 5. *Suppositum æternum in Christo agebat virtute humanæ naturæ, sicut anima videt virtute oculi, et agens utitur virtute sui instrumenti.*

Vindicatur a calumnia cardinalis Berullæus.

4. Ex quibus duobus corollariis intelliges, quam ignare et imprudenter non ita pridem scriptor quidam anonymus erroris ad monothelismum accedentis insimularit Eminentissimum Cardinalem Berullæum Congregationis Oratorii Jesu in Galliis auctorem, quod scripsisset *Christi humanitatis vitam, statum, motus et actiones ejus proprie non esse, sed suppositi divini.* Id enim est ipsissima Sanctorum PP. et D. Thomæ doctrina, ab omnibus, credo, theologis scholasticis recepta, eaque orthodoxa, et in omni rigore tam theologico quam philosophico verissima. Nam, ut patet ex antedictis, solum suppositum est habens, et ut ait S. Thomas 3. part. q. 2. art. 3., *tantum hypostasis est, cui attribuuntur operationes et proprietates naturæ.* Quam animadversionem, non solum veritatis defensionem, sed etiam gratitudinis et amicitiæ monumentum quoddam esse velim. Huic enim felicis memoriæ magnique nominis ac majoris pietatis viro olim condiscipulo debeo, quod in Societate Jesu Dei bonitate et patientia annum jam 42. ago, quam ille cum pluribus annis ardenter expetisset, propter stomachi debilitatem et infirmas corporis vires, Deo ad aliud singulare piumque opus ipsum destinante, non est consecutus.

5. Quin potius reprehensione dignus scriptor ille anonymus videtur, quod dixerit *prædictas humanitatis operationes non posse esse proprias divinitati.* Licet enim eo sensu illius proprie non sint, quod a divinitate sola exerceantur; verissime tamen ei propriæ sunt per assumptam humanitatem, quæ et ipsa et quicquid ejus est magis est suppositi Verbi divini quam sui ipsius, ut ante dictum est : idque expressis verbis passim habent SS. Patres. Nam Cyrillus Commentario ad reginas de recta in Jesum Christum fide : *Quæ in carnem conveniunt,* inquit, *cujusmodi sunt esurire, sitire, itineris labore frangi, aliaque similia pati, ea omnia una cum carne sibi ascivit propriaque fecit.* Et in defensione anathematismi undecimi contra Theodoretum idem probat auctoritate Athanasii in sermone de Sancta Trinitate.

Cyrillus.

Et Theodorus Abucara Episcopus Cariæ disp. 5. *Quæcumque sustinuit et passa est caro æterni Filii, et anima ejus humana, ipse æternus Filius Dei sustinuisse et passus esse dicitur, et ipsi vere*

Theodorus Abucara.

acciderunt, et ipsi attribuuntur, sicuti quæcumque patitur caro cujusdam et anima, cuidam accidunt et ipsi vere attribuuntur. Et postea. *Si mors apte dicitur æterni Filii, ut explicatum est, non pertingente passione in divinitatem; quæ sunt citra mortem humana, multo magis convenit ut de eo dicantur, nulla passione divinitatem ejus attingente.* Nam, ut scribit idem auctor disputatione 7. *Sicut non dicitur mens tua, aut pes, aut manus moveri; tu enim es, qui mentem tuam, et membra, ac potentias moves, et moderaris sicut vis: sic Deus Verbum ipse erat, qui propriam mentem humanam et sensus et naturales habitus ac potentias movebat et gubernabat, ut volebat.* Et aliquanto post. *Quod diximus simpliciter moveri secundum proprietatem cujusque partis, naturæ est : quomodo autem quis moveatur, personæ est. Sic in Christo intellige. Sicut dicitur faber lignarius fecisse propria manu sedile, et dicimus item manum fabri lignarii fecisse sedile; sic dicimus Deum Verbum vicisse carne; et rursus dicimus carnem vicisse, id est, naturam humanitatis.*

3. Corollarium. B. Virginem esse Deiparam.

6. Tertium, quod adhuc ex prædictis sequitur, est. *Deum Verbum vere esse et recte dici natum ex B. Virgine, passum, mortuum et sepultum, ipsamque B. Virginem vere esse ac recte appellari Matrem Dei.* Si enim, ut dictum est, actiones et passiones sunt suppositorum; ergo et nasci, generari, pati, mori, sepeliri. Suppositum autem Christi est Verbum divinum et persona Filii Dei. Igitur Deus vere natus, mortuus, et sepultus est; licet passus tantum sit secundum humanitatem.

Deinde, quemadmodum mater, non pedis, manus, aut cujusvis alterius partis, sed solum totius hominis mater dicitur; nec manus, pes, aut caput, imo, nec anima, aut corpus recte genita dicuntur, sed totus homo, quia scilicet fieri, nasci, generari sunt proprie rei perfectæ et totius per se subsistentis ac suppositi : ita B. Virgo humanitatem Christi genuisse non rectè dicitur, quia in Christo se habet, ut pars in toto; sed hominem seu habentem humanitatem. Quod habens humanitatem in Christo, cum non sit aliud quam suppositum divinum et ipse Dei Filius, claret eam vere et proprie dici genuisse Deum ipsumque Dei Filium, atque adeo vere et proprie esse *Matrem Dei;* licet ab ea ratione humanitatis tantum genitus sit. Præterea, quæ sunt in eodem supposito, propter hanc suppositi identitatem, de se invicem in concreto prædicari possunt. At natura divina et humana et quæ ei accidunt in Christo sunt in uno supposito Verbi divini. Igitur Deus a B. Virgine genitus dici potest.

7. Quarto ex prædictis sequitur. *Actiones, quas per humanitatem propriam sibique hypostatice conjunctam, Verbum exercuit, licet entitatis finitæ fuerint, infiniti tamen fuisse valoris, meriti, satisfactionis et dignitatis.* Ratio est quia cujusvis actionis dignitas ex dignitate personæ operantis maxime pensanda est. Unde quo dignior est persona, eo, cæteris paribus, digniores sunt ejus actiones plurisque fiunt. Omnes autem Christi actiones, quas per humanitatem exercuit, procedebant a Persona Divina infinite digna. Igitur infinitæ erant dignitatis, adeo ut omnes omnium angelorum et hominum actiones collective sumptæ valore, merito, dignitate, vel uni actioni Christi æquiparari non possint. 4.Corollarium. Actiones Christi fuisse valoris infiniti.

8. Quintum est Christum *absolute peccare non potuisse.* Ratio est quia peccare seu male agere proprie non est, nisi suppositi. Ejus enim est bene vel male agere, cujus est agere. At impossibile est suppositum Christi, ut pote divinum, peccare, cum peccare sit averti a Deo. Impossibile autem est Deum, vel seipsum, vel naturam ullam rationalem, præsertim hypostatice sibi unitam, a se avertere. 5.Corollarium. Christum non potuisse peccare.

Deinde, si Christus peccaret, vel ratione naturæ divinæ, vel ratione humanæ quam assumpsit. Neutro modo peccare potest. Non primo, ut patet, quia natura divina est ipsa essentialis bonitas et regula omnis honestatis. Ergo ea carere et ab ea recedere non potest. Nec secundo modo, quia cum humanitas in Christo et ad divinum ejus suppositum se habeat, quasi pars ad totum, si peccaret, suppositum divinum peccaret : tum quia, ut bene agere, sic peccare non tam est oculi, manus, aut alterius partis quam totius hominis et suppositi : tum quia omnis pars, ut id quod est, magis est totius quam sui ipsius; ita quod bene vel male agit totius et suppositi magis est quam ejus ipsius. Itaque licet Christi humanitas ejusque intellectus et voluntas, præcise et absolute, ut quædam creaturæ, atque adeo naturæ finitæ et ex nihilo factæ defectibiles essent, nec minus possent esse causa et principium peccati, quam aliorum hominum naturæ et voluntates ; tamen propter unionem hypostaticam cum Verbo divino et propter visionem Dei et amorem beatificum et propter efficacia divinæ gratiæ auxilia, eis, ob dictam unionem hypostaticam, debita, fuere omnino et absolute impeccabiles.

9. Neque propterea ulla ex parte læsa aut imminuta est humanitatis Christi in agendo libertas : quia ejus et unio hypostatica cum Verbo divino, et visio beatifica, et perpetua efficacis gratiæ auxilia modum agendi liberum voluntatis illius nihil immutabant. Agebat Impeccabilitas Christi nihil ejus libertatem læsit.

enim Christus per voluntatem humanam, non cum determinatione ad unum, seque ipse voluntate humana ad libere volendum determinabat, eo modo quo sese determinant aliorum hominum voluntates. Eademque voluntate, ita semper et infallibiliter bene agebat, ut, cum ageret, hoc quod agebat, spectato ejus operandi modo, posset non agere, vel simpliciter, vel hoc aut illo modo, et loco, et tempore, vel ea actionis intentione, aut remissione, duratione, aliisque ejusmodi circumstantiis, atque adeo liberrime volebat et operabatur.

6. Corollarium. Honor et adoratio sunt rei subsistentis.

10. Sexto. Ex illo eodem principio quod actiones, non solum active sed etiam terminative, suppositorum sunt, perspicuum est quam vere et recte a S. Thoma 3. part. q. 25. art. 1 in corpore dictum sit, quod honor et adoratio proprie est rei subsistentis ac personæ. *Proprie* (inquit) *honor exhibetur toti rei subsistenti. Non enim dicimus quod manus hominis honoretur, sed quod homo honoretur. Et si quandoque contingat quod dicatur honorari manus, vel pes alicujus, hoc non dicitur ea ratione quod hujusmodi partes secundum se honorentur, sed quia in istis partibus honoratur totum : per quem etiam modum aliquis homo potest honorari in aliquo exteriori, puta in veste, aut in imagine, aut in nuntio.* Hæc ille.

Ratio igitur hujus rei est, quia actiones et passiones sunt suppositorum, ut dictum est. Igitur ut honorare, quod est agere, est personæ; ita et honorari, quod est quoddam pati, erit personæ ac suppositi rationalis. Soli enim naturæ seu supposito rationali debetur honor. Præterea honor est reverentia alicui exhibita propter quamdam ejus excellentiam, inquit S. Thomas ibid. vel, ut ait Philosophus lib. 1. Rhetor. capite quinto. *Est existimationis benefactivæ indicium.* Ergo ejus proprie est honor, cujus est excellentia benefactiva, propter quam reverentia alicui exhibetur : hæc autem proprie est suppositi et personæ. Suppositi enim est habere omnia quæ sunt in eo, ut ostensum est cap. præced. Igitur ejus proprie est coli, adorari, et honore affici.

11. Neque propterea inferre licet, quod si suppositum unum est, unus, id est, unius tantum speciei et rationis, honor ei exhiberi potest; atque adeo Christus, cum una sit persona unaque hypostasis naturæ divinæ et humanæ, unius tantum speciei honore unaque adoratione coli poterit. Potest enim duplici, scilicet latria et dulia, seu hyperdulia.

Christus latria et Dulia adorari potest.

Quod licet nonnullis mirum, vel etiam falsum, ac Conciliis et SS. Patribus repugnans videatur, non repugnat tamen idque veris-

simum est. Nam, ut præclare ratiocinatur S. Thomas ibid. et art. 2. in eo qui honoratur, duo possumus considerare, scilicet, eum, cui honor exhibetur, estque ipsa hypostasis et persona honorata; et ratio, seu causa ob quam dignus est honore et honoratur, quæ est ipsa excellentia in eo existens, quæque potest esse aliquid non subsistens. Ex quo fit, ut licet honor qui exhibetur, ex parte supposití et ejus qui honoratur, sit unus; tamen ex parte causæ, propter quam honoratur, potest esse multiplex, propter diversas excellentias et causas honoris in eo existentes. V. g. qui virtute, scientia, prælatione præditus est, is propter virtutem uno honore, alio propter scientiam, alio propter prælationem affici potest, licet sit una et eadem persona. Cum igitur in Christo, qui est una persona Verbi divini, sit duplex excellentia, una divina, cui debetur honor latriæ; altera creata, nempe, ipsa ejus humanitas omni cœlestium donorum genere cumulata, cui, ut sic, debetur tantum adoratio duliæ, propterea persona Christi utroque genere adorationis adorari potest. *Neque hoc,* inquit S. Thomas, *est inconveniens, quia ipsi Deo Patri debetur honor latriæ propter deitatem, et honor duliæ propter dominium, quo gubernat creaturam. Unde super illud Psalmi* 7. *Domine Deus meus in te speravi, dicit Glossa : Domine omnium per potentiam, cui debetur dulia : Deus omnium per creationem, cui debetur latria.* Concilia autem et Patres cum negant Christum adorandum duplici adoratione, et anathema dicunt ei qui dixerit, Christum duabus adorationibus adorandum, prohibent tantum adorationem Christi secundum supposita duplicem, seu ad duas personas terminatam, ut volebat Nestorius; non autem adorationem specie duplicem ad unum et idem suppositum unam que Christi personam terminatam, ut recte observavit S. Thomas ibid. art. 1. in Corpore.

S. Thomas.

Exponitur mens Conciliorum.

12. Quod si quis objiciat humanitatem Christi, licet sit quid creatum, tamen, propter unionem cum persona Verbi, latria adorandam esse ut passim affirmant Sancti Patres; respondendum erit : Primo quod caro, seu humanitas Christi non est proprie id quod in Christo honoratur, sed ipsemet Christus, homo Deus, vel persona Christi habens humanitatem.

Objectio.

Responsio.

Secundo. Ut concedatur simpliciter humanitatem adorari, dicendum est duobus modis id fieri posse. Primo ita ut ipsa, vel aliqua ejus perfectio et excellentia creata sit causa et ratio adorationis. Secundo, ut non ipsa, nec ulla ejus perfectio creata, sed ipsa

persona et natura divina, cui unita est, sit ratio adorationis. Primo modo adoranda tantum est dulia, ut patet ex antedictis; secundo latria colenda est. Nam quemadmodum honorare, osculari et adorare vestem regiam aliud nihil est quam vestitum regem adorare; ita adorare Christi carnem et humanitatem, quia Verbo divino unita est et ut subsistit in eo, aliud nihil est quam adorare Verbum ipsum et personam Verbi, ut res est et excellentia quædam divina.

13. Ex quibus patet quod ipsa persona Christi interdum simul est et id quod adoratur et ratio adorationis, nimirum, cum latria colitur; interdum est solum id quod adoratur et non ratio adorationis, cum nimirum propter humanitatem et alias perfectiones creatas ei inexistentes colitur et honoratur, qui cultus est duliæ tantum. Sed quocumque cultu et honore afficiatur, ille semper est rei subsistentis et semper ad personam Christi propriissime terminatur.

CAPUT LXIII.

Quotuplex sit hypostasis et quæ simplices sint, quæve compositæ et quomodo.

Hypostases aliæ increatæ, aliæ creatæ.

1. Hypostases aliæ sunt increatæ, aliæ creatæ. Illæ omnes sunt personæ; hæ partim hypostases tantum, partim personæ. Illæ in una et eadem simplici essentia divina sunt numero tres, ut fides docet; hæ innumeræ, quarum quælibet suam habet essentiam re et actu ab alia distinctam. Illæ sunt relativæ; hæ absolutæ. Illæ sunt omnino simplices, imo simplicissimæ; hæ vero quales sint, simplicesne, an compositæ nobis nunc dicendum est. Nam de divinis et an inter eas sit aliqua absoluta alibi tractabimus.

2. In cujus quæstionis enodatione valde laborant modistæ ipsique inter se digladiantur. Cum enim velint subsistentiam esse formam et modum aliquem a parte rei a natura diversum, eam informantem, quando ab iis quæritur, *simplexne, an compositus sit talis modus?* varie respondent. Cajetanus enim 3. parte, quæst. 6. ad art. 3. vult simplicem esse et prorsus indivisibilem, tam in

Opinio Cajetani.

substantiis immaterialibus, quam in corporalibus. Negat enim materiam primam in homine habere modum proprium subsistentiæ, eo quod in suo esse et subsistere pendeat ab ipso esse et subsistere animæ rationalis.

3. Alii vero apud Suarem tom. 2. suæ Metaphys. disp. 34. sect. 5. num. 9. volunt esse vel simplicem, vel compositum, juxta conditionem naturæ cujus est subsistentia; ita ut in angelis subsistentiæ modus sit simplex, in substantiis materialibus sit compositus. Sed jam quibus ex partibus sit compositus dissentiunt inter se. Nam Suarez supra num. 7. et 8. et sequentibus : Hurtadus tom. 2. suæ Philosophiæ disp. 2. de Materia 1. sect. 7. num. 74. et 85. De Raconis in sua Metaphys. sect. 3. q. 3. art. 4. memb. 2. volunt esse compositum ex partibus, tam essentialibus, materiæ et formæ correspondentibus, iisque alio unionis modulo conjunctis, quam ex integrantibus, aliis item continuativarum unionum modulis sibi invicem connexis. Sententia secunda.

4. Sed Gabriel Vasquez 1. parte, disp. 125. num. 17. et disp. 174. num. 15. et 3. parte, disp. 32. cap. 2. et 3. num. 2. cum videret, id quod verum est, dicere solummodo subsistentiam partialem, novum prorsus esse loquendi modum, eumque philosophis ac theologis hactenus inauditum; et præterea suppositum, cum dividitur, perire et ea in quæ dividitur, vel omnino non esse supposita, ut corpus et anima separata, vel esse alia quam quod erat ante, ut cum aqua in multa dividitur : aliunde autem subsistentiam existimet esse modum quemdam, ubi partes essentiales materiæ et formæ correspondentes a subsistentia rejecit, integrantes retinet. 3. Sententia est Gabrielis Vasquez.

5. Sed in his explicandis earumque compositione assignanda valde laborat, duoque dicit parum probabilia, nec satis cum suo illo subsistentiæ modo cohærentia. Unum illas partes subsistentiæ esse heterogeneas. Verum, quæ sit illa heterogeneitas partium et qualis heterogeneitas in substantiis homogeneis reperiri possit, res est, meo judicio, inexplicabilis. Alterum est, modum illum, etsi habeat partes integrantes, esse nihilominus indivisibilem. Sed quî fieri potest, ut quod partes habet, in eas dissolvi ac dividi nequeat saltem divina virtute? et præsertim si integrantes sunt, cum partium ea sit natura, ut sint ea, in quæ totum dividitur 5. Metaphys. text. 30. Propterea De Lugo disp. 12. de Incarnat. num. 42. et 55. cum Vasquesio subsistentias partiales materiæ et formæ cor- De Lugo.

respondentes negans et solas integrantes, ac secundum extensionem defendens, in eas subsistentiam materialem dividi posse asserit, num. 55. easque vult in toto ipso existentes, non modo dici posse subsistentias partiales, sed etiam facta divisione per illas easdem, partes aquæ, v. g. separatas subsistere, nec produci novas. Verum dicere subsistentias partiales, est implicantia in adjecto, idemque ac totum partiale, vel homo irrationalis, ut ostendetur. Quare cum, ex constituta a nobis de hypostasis quidditate doctrina, propositæ quæstionis solutio nobis sit facillima;

Quomodo subsistentiæ sunt aliæ simplices, aliæ compositæ.

6. Dico 1. Quod cum hypostasis et subsistentia sit substantia prima, tota et integra, omnisque substantia sit, vel simplex, ut angelica, vel composita ex partibus, tam essentialibus quam integrantibus, ut omnes naturales substantiæ, evidentissimum est ex hypostasibus et personis creatis, alias esse simplices, ut sunt angelicæ, alias compositas, ut reliquæ omnes. Itaque subsistentia hominis et est et simpliciter ac sine addito dici potest composita ex anima et corpore, quidquid dicat Joannes de Lugo de Incarnatione disp. 10. num. 9. Quod autem angeli sint hypostases et personæ simplices, id non repugnat definitioni hypostasis, qua dicitur esse substantia prima, tota et integra. Illud enim *totum et integrum* intelligendum esse jam admonuimus, ut solum dicit aliquid perfectum in ratione entis et substantiæ, quodque non est pars; sive hæc perfectio et totalitas substantialis sit composita ex partibus, ut est in substantiis materialibus; sive non sit, ut in angelis.

Non dantur subsistentiæ partiales.

7. Dico 2. Quod compositio, quæ est in qualibet hypostasi et subsistentia naturali, non est ex subsistentiis partialibus, ut putant auctores supra citati.

1. Argumentum.

Probatur 1. Quia implicat dari hypostasim et subsistentiam partialem. Nam hypostasis in sua ratione formali totalitatem et perfectionem substantialem includit. Pars autem ex sua ratione intrinseca opponitur rationi totius. Igitur et repugnat conceptui intrinseco subsistentiæ; et dicere subsistentiam partialem est dicere totum esse partem, quod est pugnantia loqui.

2. Argumentum.

Secundo. Sicut circulus ex semicirculis quidem, vel segmentis curvis, non autem ex circulis, nec gladius ex gladiis, nec calceus ex calceis, ac universim nullum totum ex totis, sed ex partibus constat, adeo ut, quæ ante compositionem tota erant, cum in compositionem veniunt, tota esse desinunt; ita hypostasis composita, et quodlibet suppositum naturale, ex partibus quidem sub-

stantialibus, ut homo ex anima et corpore, pede, manu, capite, non tamen ex subsistentiis partialibus constat.

Tertio. In totis et suppositis homogeneis, ut in aqua, aere, lapide, quæ partes integrantes ante compositionem erant hypostases, quia erant substantiæ totæ et integræ; cum in ipsa compositione desinant esse substantiæ totæ et integræ, desinunt esse subsistentiæ. Quod autem non est, non potest aliud componere. Igitur. 3. Argumentum.

Quarto. Quemadmodum nemo dixerit personam componi ex personis; ita nec hypostasim aut suppositum ex hypostasibus aut suppositis. Compositio igitur quæ est in hypostasibus naturalibus, non alia est quam quæ est in substantia earum. Et ideo dicuntur compositæ, quia substantia, quam in suo conceptu includunt, est composita et non simplex, ut docet D. Thomas q. 9. de Potentia art. 3. ad 4. 4. Argumentum.

8. Dico 3. Modum subsistentiæ, si datur, non posse esse simplicem in omnibus suppositis materialibus, ut Cajetanus vult. 1. Quia spiritualis erit et totus in toto, et totus in qualibet parte cujuslibet substantiæ materialis, quod dici non potest. A quo enim produceretur? Non ab ipsis substantiis materialibus, quia agerent ultra vires. 2. Quia reliquæ omnes et formæ et modi, si qui sunt, in substantiis materialibus existentes, sola anima rationali excepta, divisibiles sunt. Modus subsistentiæ non est simplex.

9. Dico 4. Subsistentiæ modum non posse esse compositum ex partibus, ut volunt citati auctores. 1. Quia tam absurdum est tamque inauditum est in una subsistentia totali plures esse partiales, quam in una persona totali plures esse partiales personas. 2. Quia implicat contradictionem, eo quod subsistentia partialis seu partis conceptus, conceptum proprium subsistentiæ destruat, ut ante dictum est, et recte notat D. Thomas in 3. dist. 5. quæst. 1. art. 3. ad 3. et quæst. 3. art. 3. in corpore, et ad 2. *Ratio partis,* inquit, *contrariatur rationi personæ, ideoque anima separata non potest dici persona, quod quamvis non sit pars, habet tamen naturam, ut sit pars.* Hæc ille. Subsistentia igitur partialis conceptum proprium subsistentiæ evertit duplici ex capite. Uno quod hypostasis et subsistentia dicant rationem totius, ut pluribus supra ostensum est. Altero, quia omnis pars est in alio, nempe in toto, et alteri suæ comparti est vel actu unita et communicata, vel saltem natura sua communicabilis, ut anima rationalis separata. Nec compositus ex partibus. 1. 2.

Hypostasis vero et suppositum natura sua est incommunicabile alteri. Igitur impossibile est partem esse hypostasim et subsistentiam. 3. *Tertio* hæc conclusio probatur iis omnibus argumentis, quibus supra cap. 49. num. 10. ostendimus sola divisione non posse produci novos modos subsistentiæ, præsertim 3. et 4. quæ evincunt partiales subsistentias a nemine produci posse.

Solvitur Hurtadi prima ratio.

10. Neque vero rationes Hurtadi loco supra citato quicquam in contrarium evincunt. Nam ad *primam,* quam habet §. 100. quod creari, ex D. Thoma et communi theologorum consensu, est rerum subsistentium; materia autem et forma præsertim rationalis creantur; igitur eæ habent subsistentiam partialem propriam : respondetur, cum D. Thoma 1. part. quæst. 45. art. 4. materiam et formam non creari proprie, sed concreari. *Creari enim,* inquit, *est quoddam fieri. Fieri autem ordinatur ad esse rei. Unde illis proprie convenit fieri et creari, quibus convenit esse. Quod quidem convenit proprie subsistentibus, sive sint simplicia, sicut substantiæ separatæ, sive sint composita, sicut substantiæ materiales. Illi enim proprie convenit esse quod habet esse, et quod est subsistens in suo esse. Formæ autem et accidentia, et alia hujusmodi non dicuntur entia, quasi ipsa sint, sed quia eis aliquid est, etc.* Deinde actiones et generationes suppositorum sunt, non solum passive, sed etiam active et terminative.

2. Ratio Hurtadi.

11. Secunda autem ratio, quam habet §. 101. his verbis : *Creatio est productio entis ex nihilo seu ex nulla causa intrinseca; sed subsistentia est modus existendi independenter a causa intrinseca. Ergo materia habet propriam subsistentiam;* longe deterior est præcedente. Peccat enim et in forma et in materia. In forma, quia constat sex diversis terminis, ut patet resolventi singulas propositiones. In materia autem peccat dupliciter. Primo, quia Major, ut eam explicat, est falsa, cum creatio sit productio entis ex nihilo et ex nulla causa materiali, non autem ex nulla causa intrinseca. Hoc enim ipse addit de suo, ut contra Thomistas defendat materiam non pendere, nec causari a forma. Secundo, quia Minor est falsa, tum quia subsistentia non est forma aut modus, ut ipse existimat; tum quia subsistentia non dicit independentiam existendi a causa intrinseca, cum ex rei veritate, omnis substantia naturalis composita pendeat essentialiter a materia et forma, tanquam a causis suis intrinsecis; et substantia vere sit de conceptu essentiali cujusque hypostasis et subsistentiæ naturalis. Aliud enim

Solvitur.

nihil est quam substantia naturalis tota, seu per se et incommunicabilis. Igitur subsistentia naturalis pendet a causis intrinsecis. Falsa item est ex illius principiis. Nam forma, cui tribuit propriam subsistentiam partialem, pendet a materia tanquam a causa intrinseca. Igitur et partialis ejus subsistentia ab eadem materia, vel saltem ab ipsa forma, e cujus potentia educitur, tanquam a causa intrinseca pendet.

12. Tertia ratio Hurtadi §. 105. est ejusmodi. Quælibet pars integrans aquæ, v. g. est substantia completa essentialiter in ratione essentiæ constantis ex partibus essentialibus, nullaque dependet ab alia. Ergo, si quælibet integrans habet subsistentiam partialem; multo magis quælibet essentialis habebit subsistentiam propriam et partialem. 3. Ratio.

Concesso antecedente, negatur consequentia. Quia ut substantia aliqua sit hypostasis et suppositum, non satis est eam constare ex materia et forma, quæ sunt partes essentiales substantiæ naturalis, sed præterea requiritur, ut ejusmodi substantia ex materia et forma composita, nullius sit pars, sive essentialis, sive integralis, nec sit unita et communicata alteri. Subsistentia enim in propria sua ratione includit rationem totius et entis per se, ut sæpe dictum est. Solvitur.

Addendum quod modus loquendi, quo frequenter utitur de Mendoza, nempe quod materia vel forma vel partes *habent subsistentiam partialem,* est improprius; tum quia hypostasis et subsistentia non habetur, sed est habens omnia quæ sunt in ea; tum quia supponit subsistentiam esse formam, vel modum quemdam naturæ et subsistentiæ, quod non ita est.

13. Dico 5. Quod modales subsistentias partiales sive essentiales, sive integrantes modulis inter se unire et compingere est modis et modulis omnia replere. *Totque,* inquit Vasquez 3. part. disp. 32. cap. 4. num. 31. *multiplicare modos, et omnia modis et modorum modis peragere, in philosophia res valde ludicra videtur,* multo magis in theologia mysteriisque supernaturalibus. Nihil enim habet rationis et probabilitatis tanta modorum multitudo. Deinde modi subsistentiæ nullæ sunt partes, ex præcedenti assertione. Igitur nullis modulis uniri possunt. Nulli dantur moduli. 1. 2.

Ut essent aliquæ, cum ipsæ partes essentiales compositi naturalis et integrantes quantitatis nullis modis, sed seipsis copulentur, multo magis modi subsistentiæ partes, si quas habet. 3.

Si modus subsistentiæ habet modulos suas partes unientes, 4.

habebit et alios ipsum terminantes. Ex quo sequitur, quod non erit per se et essentialiter terminus naturæ, sed per modulos sibi superadditos. Igitur modum subsistentiæ, quem adstruunt, suis modulis destruunt.

5. Eam volunt esse naturam modorum, ut seipsis uniantur, multo magis cujusque modi partes, si quas habet, sibi invicem seipsis junctæ erunt.

CAPUT LXIV.

Utrum hypostasis seu persona Christi post Incarnationem sit composita.

1. Hanc quæstionem totidem verbis proponit D. Thomas 3. parte quæst. 2. art. 4. quem licet Cajetanus longo commentario prosecutus fuerit et circa eum multa dubia moverit, verum tamen ejus sensum, quem ait esse difficillimum et etiam totius quæstionis statum rectamque intelligentiam responsionis et doctrinæ S. Thomæ assecutus non videtur. Multa enim ei adversantia scribit ibidem, ut constabit ex iis quæ dicturi sumus. Dubitandi autem et quæstionem hanc instituendi ratio nascitur ex doctrina capitis præcedentis. In quo cum ostensum fuerit ex hypostasibus alias esse simplices, alias compositas ex pluribus partibus substantialibus; in Christo autem duæ sint naturæ, duæque substantiæ, divina et humana quæ adhuc composita est ex anima et corpore, et hoc, ex pluribus membris ac partibus in una hypostasi unaque persona, ut habet fides catholica, merito quæritur, an hæc Christi persona et hypostasis sit composita. Esse enim prima fronte videtur et quidem multo magis quam ulla hypostasis creata; cum plures magisque diversas quam ulla ex creatis naturas complectatur.

Cajetanus.

Ratio dubitandi.

1. Sententia affirmat.

2. Duæ sunt theologorum sententiæ. Prima est Cajetani supra, Medinæ ibidem, qui eam tribuit Victoriæ, aitque esse plurimorum thomistarum, sine scrupulo asserentium hypostasim Christi esse compositam vere et proprie ex natura divina et humana, imo, audent aliqui dicere, ex persona divina et persona humana : idem

sentiunt Suarez ibid. disp. 7. sect. 4. Becanus de Incarnatione c. 6. quæst. 3. Guillelmus Esthius in 3. dist. 6. §. 2. Joannes de Lugo de Incarnatione disp. 10. Ludovicus Mæratius tract. de Incarnatione disp. 12. Gabriel Vasquez ibid. disp. 16. cap. 2. ubi ait posteriorem sententiam summopere semper sibi displicuisse, ut pote communi Conciliorum et SS. Patrum loquendi modo repugnantem, quos plerique recentiores sequuntur.

2. Sententia negat.

Secunda sententia est S. Thomæ supra, Magistri sententiarum, Alensis, Alberti magni, Sancti Bonaventuræ, Durandi, Scoti, Gabrielis, Marsilii, Almaini et omnium antiquorum theologorum apud Gabrielem Vasquez supra, qui negant absolute personam Christi esse compositam, contenduntque id nullo modo esse asserendum. Quibus omnino adhærendum est.

3. Est enim, ut ait Scriptura, *in antiquis sapientia* Job. 12. decetque filios patrum disciplinam audire Proverb. 3. nec discipuli a magistris tam multis, tanti nominis, tantoque consensu, in unum conspirantibus debent discedere, nulla in contrarium vel ratione, vel graviori auctoritate ejusmodi discessionem suadente. Nam quod de Conciliis et Patribus juniores theologi opponunt, id perspicue ostendit eos, in illis legendis et in hac quæstione petractanda, hallucinatos esse, quod Christum et hypostasim seu personam Christi pro eodem acceperint.

Aliud Christus, aliud persona Christi.

Quæ longe diversa esse ex eo patet quod fide certum sit Christum vere et proprie esse compositum, ut mox dicetur, non autem hypostasim Christi. Deinde si Verbum divinum aliam naturam quam humanam, vel centum humanas naturas assumeret, esset semper unum et idem suppositum eademque persona, non tamen idem compositum. Unde S. Thomas non quæsivit, *an Christus esset compositus,* imo de Christo vix ullam ibi mentionem fecit, sed solum quærit, *an hypostasis vel persona Christi post Incarnationem sit composita.* Inepte enim et sine ratione quæreret an Christus post Incarnationem sit compositus, cum non fuisset ante Incarnationem. Hypostasis autem Christi, quæ alia non est quam æterna Filii Dei hypostasis, cum ante Incarnationem et esset et in una tantum natura divina subsisteret, post Incarnationem vero in duabus subsistat naturis, nempe divina et humana, propterea merito quærit an post Incarnationem sit composita. Hoc igitur præstantes viros et nobiles theologos primæ sententiæ defensores in errorem et non satis catholicum loquendi modum impulit, quod non distinxerint

Nota.

Christum ab hypostasi Christi. Quæ erroris causa diligenter notanda est. Ex hac enim distinctione totius quæstionis solutio pendet.

4. In qua ut clare et cum ordine procedamus, tollenda prius est æquivocatio nominis *Compositio* ejus distinctione et explicatione. Cum enim compositio sit plurium ac multorum unio, distinguendi sunt compositionum modi non solum ex unionum, sed etiam ex ipsa plurium seu pluralitatis varietate. Unde cum ex iis, quæ in unum coeunt, alia re, alia ratione tantum sint multa, propterea duplex in universum distinguenda est compositio. Una *realis et propria,* cum plura re diversa in unum coeunt; alia *rationis et impropria,* quando ratione tantum diversa uni realitati identificantur. Illa compositio rerum; hæc compositio rationum nominari potest. Præterea compositio realis, ut notant plerique ex prædictis theologis, alia est *in se seu absoluta,* quæ dicitur compositio rei *ad intra vel hujus ex his;* talis est compositio hominis ex anima rationali et corpore, continui ex suis partibus. Alia est *relativa,* qua res cum alia posita, seu alteri unita dicitur, quæ compositio *ad extra,* vel *ad hoc,* vel *cum hoc* aut *illo* dicitur; hoc modo anima rationalis in se simplex, composita tamen, hoc est, unita corpori in homine dicitur. Prior simplicitati, posterior separationi opponitur, ut diximus supra cap. 45. n. 6 et 7. Et cap. 58. num. 9. Unio enim et compositio idem sunt iisdemque opponuntur. Quibus præmissis

Compositio est

Realis

Vel rationis.

Absoluta.

Relativa.

5. Dico 1. *Compositione reali et absoluta et ad intra, Christum vere et proprie compositum esse.* Hæc assertio divina fide certa est. Primo, quia Christus non est simplex, cum sit Deus homo. Secundo, quia *sicut anima et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus,* inquit Athanasius in symbolo.

Christus est vere in se compositus.

Athanasius.

Tertio, quia ita docent Concilia et Patres, quæ Cajetanus, Medina, Suarez et Vasquez locis supra citatis pro se referunt. Non enim de hypostasi Christi, sed de Christo ipso loquuntur, vel de compositione relativa, de qua in quarta assertione, ut Concilium Constantinopolitanum secundum quod est Generale quintum actione 4. can. 4. *Sancta Ecclesia,* inquit, *unionem Verbi Dei ad carnem secundum compositionem confitetur.* Et can. 7. *Christus habet duas naturas ex quibus compositus.*

Concil. Constantinop. secundum.

Et Constantinopolitanum tertium quod est sextum Generale actione 4. in epistola Agathonis Papæ : *Christus est compositus ex duabus naturis.* Et Actione 11. in epistola Sophronii Hierosolymitani : *Reformidavit Nestorius dicere Christum esse subsistentiam composi-*

Constant. tertium.

tam. Nos vero, sensu vivido stantes supra petram pietatis, fatemur Christum esse compositum. Augustinus tract. 78. in Joan. et 13. de Trinitate cap. 17. et alibi sæpe asserit Christum constare ex Deo, anima et corpore. Leo 1. Epistola ad Julianum. *Salvator noster constat ex tribus substantiis, verbo, anima, carne.* Ita refert Medina. Idemque omnino dicunt Concilium Lateranense sub Martino 5, Dionysius Areopagita et alii, quorum verba refert Vasquez supra, Gregorius autem quem referunt, idem quod nos, sed contrarium plane quam illi velint, dicit eo loco quem citant.

Augustinus.

S. Leo.

6. Itaque ex his et similibus auctoritatibus, sicut ex eo quod Athanasius in Symbolo dicat, quod Christus est *perfectus Deus, perfectus homo,* et quod Episcopi in consecratione dicunt se credere Christum in duabus, et ex duabus naturis subsistere, male inferunt adversarii Ecclesiæ et catholicorum omnium sententiam esse, personam Christi esse compositam; cum de Christo solum, non de persona Christi loquantur Concilia et Sancti Patres quos ipsi referunt. Quibus adde Petrum Diaconum lib. de Incarnatione ad Fulgentium, et Episcopos Africæ cap. 3. *A SS. Patribus,* inquit, *adunatione ex divinitate et humanitate Christus Dominus noster compositus prædicatur.* Et Malchionem presbyterum Antiochenum, apud eumdem ibidem. *Ex simplicibus fit certe compositum, sicut in Christo* Jesu, *qui ex Deo Verbo et humano corpore, quod est ex semine David, unus factus est.*

Petrus Diaconus.

Malchio.

7. Dico 2. *Quod hæc Christi compositio est et debet intelligi, omnibus imperfectionibus, quæ in aliis, sive componentibus, sive compositis, vel substantiis, vel etiam hypostasibus reperiuntur, a Verbo divino exclusis.* Probatur hæc assertio, quia in aliis compositionibus componentia sunt partes. Omnis autem pars habet, non unam, sed multiplicem imperfectionem, quas retulimus supra cap. 12. num. 9. Deinde etiam tota creata et substantiæ compositæ plerasque imperfectiones habent, v. g. quod causentur a partibus et componentibus, et ab iis pendeant; quod perire possint, et corruptibilia sint a principiis, vel intrinsecis, vel extrinsecis; quod finita sint, iisque semper aliquid adjici possit, vel ejusdem naturæ, ut in homogeneis, vel diversæ, aut saltem divinitas per unionem hypostaticam.

Excludendæ imperfectiones.

8. Itaque in compositione de qua agimus, unum ex componentibus Christum, nempe, natura divina seu persona Verbi divini, nullo modo est pars, cum omnibus partis conditionibus et imperfectionibus careat. A nullo enim pendet, nullo indiget, et quia infinita

Verbum non est pars Christi.

est, nullius rei detractione minor, neque ullius additione major fieri potest. Unde Augustinus lib. 3. contra Maximinum cap. 16. expresse negat Deum esse partem personæ Christi; quoniam alias Deus non esset perfectus, sed crevisset ex additione humanitatis.

Quomodo humanitas sit pars Christi et non sit.

Alterum vero ex componentibus Christum, nempe humanitas, quia nonnullas partis imperfectiones habet (est enim finita et perfectibilis ab eo cui jungitur; est minor eo quod componit; est non sua, nec sui juris, sed ab alio habetur, agitur et movetur) propterea, ut sæpe diximus, quamdam in Christo rationem partis habet. Tamen quia est essentia et natura in sua specie perfecta, nec est pars alterius essentiæ et substantiæ; propterea in rigore non est, nec dicitur pars simpliciter.

9. Quod si quis de Sanctis Patribus aliquando reperiatur Verbum, aut divinitatem Christi partem nominasse, aut dixisse Christum ex natura divina et humana, velut ex partibus componi, is partem pro extremo componente sumpsit, vel solum, contra Eutychetem, significare voluit utramque naturam immutatam et inconfusam in Christo permansisse, nec unam in alteram, aut utramque in tertiam quamdam naturam conversam esse. Pars enim omnis naturam suam in toto retinet, nec alterius societate ac unione corrumpitur. In Christo igitur vera est et propria compositio realis et absoluta, sublatis omnibus imperfectionibus aliarum compositionum, quia in eo est realis, substantialis et hypostatica multorum unio ac conjunctio, omnium compositionum et unionum dignissima ac præstantissima, eademque, ut loquuntur Sancti Patres, incomprehensibilis et ineffabilis.

Compositio Christi non est in natura.

10. Dico 3. Hoc etiam differre compositionem hanc Christi ab aliis, quod aliæ uniones et compositiones substantiales simul sunt et in natura et in hypostasi, unamque essentiam et suppositum unum componunt, quod, ut cum S. Thoma loquar, substantificatur, id est, rationem substantiæ et suppositi accipit ab iis ex quibus componitur. Hæc vero compositio Christi non est in natura, quia non una tantum est in Christo natura, sed duæ, divina et humana; et Christus, vel, ut ita dicam, *Christitas*, aut ut loquitur Guillelmus Altissiodorensis lib. 3. sententiarum capitulo primo q. 8. *Jesuitas* nomina sunt non unius essentiæ et naturæ, sed unius hypostasis Verbi divini in duabus naturis subsistentis. Quæ tamen hypostasis tota est ex parte unius ex componentibus, nempe Verbi divini; quia est substantia et persona infinita et ad quam constituendam

in ratione personæ nihil confert natura humana, ut sæpe dictum est cum S. Thoma, qui quæstione de unione Verbi art. 1. ad 6. hæc habet. *Unio non dicitur fieri in persona divina, quasi ipsa persona divina constituatur ex duobus sibi invicem unitis. Hoc enim ejus summæ simplicitati repugnaret. Sed dicitur unio esse facta in persona, inquantum divina persona simplex subsistit in duabus naturis, scilicet, in divina et humana.* S. Thomas.

11. Dico 4. Hypostasim et personam Christi post incarnationem esse compositam compositione relativa, seu ut loquuntur compositione *ad extra*, vel *ad aliud*, vel *cum alio*. Hæc assertio est de fide et probatur iis omnibus Scripturæ, Conciliorum et SS. Patrum testimoniis, quibus contra Nestorium ostenditur in Christo non esse duas personas et naturas divinam et humanam in eo esse non divisas, sed vere et substantialiter unitas. Nam hypostasis Christi est ipsamet persona Verbi divini, ut non tantum localiter et per præsentiam intimam, sed ut etiam vere, realiter, substantialiter et hypostatice unita est alteri naturæ, nempe humanitati, et cum ea unum Christum constituit. Hæc autem est vera et maxime propria compositio relativa et cum alio. Igitur, ut utar verbis Concilii Constantinopolitani supra : *Sancta Ecclesia unionem Verbi divini ad carnem secundum compositionem confitetur.* Persona Christi est composita relative et ad aliud.

12. Hæc autem unio et compositio relativa Verbi et personæ divinæ cum humanitate in Christo intelligenda etiam est, seclusa omni imperfectione quæ est in aliis compositionibus relativis creaturarum. Hæ enim cum non modo finitæ sint, sed et singulæ per se exiguæ admodum perfectionis, ad invicem realiter ordinabiles sunt, seque mutuo vel perficiunt, vel inficiunt et immutant, maxime cum adinvicem uniuntur, vel intrinsece, ut materia et forma, vel extrinsece sive per continuationem, ut partes continui, sive per contactum aut virtutis aut quantitatis et secundum extremitates. Nam calidum ab altero calido sibi unito fovetur, a frigido læditur, et omne contentum a continente, locatum a loco, si naturalis est, conservatur, si violentus, læditur. At Deus cum sit extra omnem creaturarum ordinem, imo is, ad quem res omnes totusque creaturarum ordo, tanquam ad suum finem et bonum extrinsecum referuntur, ut ordo exercitus ad ducem, teste Philosopho 12. Metaphysicæ text. 52. et S. Thoma quæst. 1. de potentia, art. 2. ad 1. ab illis omnibus adeo est absolutus et independens, ut ad eas nullo modo ordinetur, nec ab ulla pendeat et tantam habet perfec- Seclusa omni imperfectione. Aristoteles. D. Thomas.

tionum omnium plenitudinem, ut nullius indigentiam habeat, nihil ab ulla creatura, vel boni recipere, vel mali pati possit. Propterea hypostasis Verbi divini ad humanitatem sibi unitam nulla, vel dependentia, vel relatione reali inclinatur, licet ipsa humanitas a Verbo summe imo infinite perficiatur et ad illud relationem realem habeat, ut docet S. Thomas 3. part. q. 2. art. 7.

Verbum non completur in ratione suppositi ab humanitate.

Ex quo intelliges nulla ratione concedendum Verbi divini suppositum adventu humanitatis perfici et compleri in ratione suppositi, aut unionem hypostaticam advenire ei, ut enti incompleto in ratione hujus suppositi. Tum quia, cum sit infinitum, nullo modo dici potest incompletum, vel in ratione entis et substantiæ, vel in ratione suppositi. Nihil enim ei addi potest secundum utramque rationem, quo magis perficiatur, nulliusque entis, etiam infiniti accessione majus et perfectius fieri potest, ut ex Augustino et Sancto Thoma dictum est supra cap. 24. num. 6. et 7. Ideoque, si suppositum Verbi divini naturas omnes Angelicas et humanas assumeret, non propterea diceretur compleri et perfici in ratione suppositi. Tum quia, cum suppositum sit, quod in quoque est perfectissimum, si quid ei adveniat, quo fiat perfectius in ratione substantiæ aut suppositi, fiet aliud suppositum, vel simpliciter, vel secundum quid, quod de increato Verbi supposito dici non potest. Tum quia si, ut ait Augustinus *tantus est solus Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus sanctus quantus est simul Pater et Filius et Spiritus sanctus;* multo magis tantum tamque perfectum erit Verbum solum, quam unitum humanitati aut cuilibet naturæ in eo subsistenti. Nam, ut habet ibidem Augustinus. *Cum minor majoribus adhærescit, sicut creatura creatori, illa fit major quam erat, non ille. In iis enim, quæ non mole magna sunt, hoc est majus esse, quod est melius esse. Melior autem fit spiritus alicujus creaturæ, cum adhæret creatori quam si non adhæreat.*

Augustinus. Lib. 6. de Trinit. cap. 8.

CAPUT LXV.

Personam et hypostasim Christi nec esse, nec dici debere in se absolute et ex aliquibus compositam.

1. Dico primo. *Hypostasim et personam Christi post Incarnationem nullo modo esse compositam compositione absoluta, in se et ad intra, seu ex his, ut loquuntur.* Ita antiqui omnes theologi præcedenti capite citati pro secunda sententia, præsertim D. Thomas, cujus hoc est corpus articuli 4. quæst. 2. tertiæ partis. Persona Christi non est in se composita.

Respondeo. *Dicendum quod persona sive hypostasis Christi dupliciter potest considerari. Uno modo secundum illud quod est in se et sic est omnino simplex, sicut et natura Verbi. Alio modo secundum rationem personæ vel hypostasis, ad quam pertinet subsistere in aliqua natura, et secundum hoc persona Christi subsistit in duabus naturis. Unde licet sit ibi unum subsistens, est tamen ibi alia et alia ratio subsistendi. Et sic dicitur persona composita, inquantum unum duobus subsistit.* Hæc ille. Quæ doctrina, quicquid dicant Cajetanus et Suarez suis commentariis, videtur mihi clarissima, ejusque prima pars (nam secunda ad sequentem assertionem pertinet) probatur D. Thomas. Probatur ex Patribus. 1. Argumentum.

2. Primo. Auctoritate Sanctorum Patrum, ut Gregorii homil. 38. in Evangelia. *Absit hoc,* inquit, *ab intellectibus nostris, ut personam Dei et hominis Redemptoris nostri* Jesu Christi *ex duabus personis credamus unitam. Ex duabus quippe atque in duabus hunc naturis existere, sed ex duabus personis compositum credi, ut nefas, vitamus.* Videant itaque adversarii quomodo Gregorium in illa homilia pro se citent, cum distinctione a nobis suprà posita perspicue utatur. Vetat enim et nefas esse ait dicere personam Dei et hominis, id est Christi, esse compositam, quod hac assertione contendimus; hunc tamen, id est Christum, affirmat ex duabus et in duabus naturis existere, quod capite præcedenti docuimus. Gregorius.

Idem docet Theodorus Abucara Episcopus Cariæ Opusc. 2. *Nos* Abucara.

orthodoxi, inquit, *cum Christum unam hypostasim compositam esse dicimus, non aliam hypostasim quam hypostasim æterni Filii intelligimus, quæ una est Trinitatis. Non enim patimur aliquam communem induci, sed declaramus modum hypostaticæ compositionis.* Et paulo post. *Æterni Filii Dei hypostasim ex deitate et humanitate non dicimus proprie compositam, sed metaphorice seu translate. Omne enim quod proprie compositum est, non erat prius quam copulata essent ea ex quibus compositum est.*

Anastasius Synaita.

Anastasius Synaita in ὁδηγῷ contra Acephalos c. 22. *Catholica Ecclesia docet duas naturas unitas; duas vero hypostases seu personas in illo profiteri, vel constituere nequaquam audet. Quin neque ex duabus hypostasibus, sive personis ipsum componi tradit. Nam hypostasis nihil est aliud quam propria secundum se ipsam persona.*

2. Argumentum.

3. Secundo. Probatur ratione D. Thomæ, quæ est ipsa ratio SS. Patrum. Hypostasis et persona Christi est ipsissima Verbi divini persona, et non alia; hæc autem in se et absolute simplicissima est. Igitur hypostasis Christi in se non est composita. Utraque propositio est de fide. Major quidem, quia si persona Christi esset alia a persona Verbi, Deus non esset factus homo, non esset natus ex Virgine, non esset passus, mortuus, et sepultus. Et præterea Personæ Divinæ, cum sint immutabiles et infinitæ, per conjunctionem cum humanitate aut quavis alia natura, immutari et aliæ fieri nequeunt. Minor item, quia Deus simplex est et immutabilis.

3. Argumentum.

4. Tertio. Si hypostasis Christi est composita, maxime ex Verbo divino et humanitate ab eo assumpta. Non ex primo, quia est ipsissima hypostasis Verbi, ipsumque Verbum divinum; idem autem non componit seipsum. Nec etiam est composita ex secundo, hoc est ex humanitate assumpta, tum propter eamdem rationem et simplicitatem hypostasis divinæ; tum quia licet, ut recte docet Divus Thomas, 3. parte quæst. 3. art. 1. ad tertium, natura humana unita Verbo illud constituat hominem, ut homo dicit formam et naturam ejus, tamen personam, nec ex toto, nec ex parte constituit, eo quod tota ratio hypostasis, quæ est in Christo, non ab alio sit quam a Verbo, cum sit ipsa Dei persona; tum quia humanitas Christi ad hypostasim Verbi divini longe minorem habet perfectionis proportionem, quam punctum ad lineam et accidens ad subjectum et suppositum creatum. At punctus lineam nec componit, nec facit majorem, neque ullum accidens, suppositum creatum, si simplex est, ut angelicum,

facit compositum; et si est compositum, ut humanum ex anima et corpore, neque illud in ratione vel substantiæ vel suppositi magis componit, quia ex accidentibus, seu ut loquitur Philosophus lib. 1. Physicorum text. 52., *ex non substantiis nec fit, nec constituitur substantia.* Igitur humanitas conjuncta Verbo divino non constituit, nec componit, nec substantificat, ut loquitur S. Thomas, personam Christi et Verbi divini post Incarnationem. Quomodo enim rem divinam res creata, humana et non divina componat?

Defenduntur comparationes allatæ.

5. Comparationem hanc secundam accidentis non probat Suarez, loco supra citato, sed immerito et sine ratione. Utraque enim est Divi Thomæ. Prior quidem in 3. sentent. dist. 6. quæst. 2. art. 3. ad 1. posterior opusc. 2. eo loco, quem retulimus supra cap. 26. quæ nihil habet improbatione dignum. Neque enim volumus dicere quod humanitas Christi sit accidens personæ Verbi, aut quod degeneret in naturam accidentis amittatque rationem substantiæ et naturæ humanæ, sed solum in hoc similitudinem et comparationem eamque valde propriam et accommodatam (*communem, subtilem et catholicam* appellat Bonaventura in 3. dist. 6. quæst. 3. in corpore) esse dicimus, quod sicut accidens nihil est substantiæ eamque nec constituit, nec componit in ratione substantiæ, etiamsi illi uniatur et adhæreat; sic nec humanitas, nec ulla alia substantia creata divinæ hypostasi unita, eam componit et constituit in ratione substantiæ et hypostasis, cum hæc propter suam infinitatem eadem omnino in se et æque simplex ac perfecta maneat, quando assumit sibique unit naturam aliquam creatam, ac cum est sola et nulli unita. Atque hoc eodem sensu D. Thomas 3. part. quæst. 17. art. 2. recte negat humanitatem Christi pertinere ad personalitatem Verbi seu ad ejus esse personale.

4. Argumentum.

6. Quarto. Si hypostasis et persona Christi esset composita, non esset verum quod fides docet, et Sancti Patres, ut Augustinus in Enchiridio cap. 36., humanam naturam in Christo in unitatem personæ unici Filii Dei singulariter esse assumptam, sed cum ea tertiam aliam personam componeret. Verum *Incarnatio ex Deo personam suam habet, non humanitas ex homine,* inquit Athanasius sermone de Sancta Deipara. Igitur falsum est quod ait Suarez tom. 2. suæ Metaphysicæ disp. 36. sect. 3. num. 12. juxta veram theologiam ex Christi humanitate et Verbo divino consurgere unam personam compositam.

Athanasius.

5. Argumentum.

7. Quinto. Si hypostasis Christi in se, et ex aliquibus est com-

posita, vel ex naturis divina et humana, vel ex divina persona et ex humana; neutrum dici potest. Non *primum*. Tum quia hypostasis Christi non esset eadem ac hypostasis Verbi, nec tota ex parte Verbi. Omne enim simplex differt a composito in se, et a componentibus ex quibus constat, ut patet inductione. Tum quia, cum composita differant pro diversitate componentium, si Verbum naturam aliam v. g. Angelicam assumeret, aliam cum ea constitueret hypostasim, et sic in triduo mortis Christi, ejus corpus et anima Verbo divino unita, fuerint duo supposita, non solum inter se, sed etiam ab eo quod humanitas in Christo componebat essentialiter diversa. Tum quia, ut numerum facit alium adjecta vel detracta unitas, essentiam aliam addita vel ablata differentia, et totum aliud pars ei apposita vel ab eo excisa; ita hypostasim aliam necessario facit adjecta vel detracta substantia quælibet illam intrinsece componens, ejusque constitutionem ingrediens. Unde qui personam Christi compositam esse asserunt, eos quaternitatem personarum in Sanctissima Trinitate ponere recte Sancti Patres inferunt.

Hypostasis Christi nec ex naturis

Neque etiam *secundum*. Tum propter easdem rationes; tum quia etiam in rebus creatis impossibile est hypostasim ex hypostasibus, vel personam ex personis constitui, ut ostendimus capite LXIII. Tum quia duæ hypostases vel personæ necessario sunt duæ substantiæ realiter distinctæ et discretæ. Unde sequitur Christum non unam, sed duas esse personas, quod est contra fidem. Ideoque recte Gregorius supra: *Absit hoc*, inquit, *ab intellectibus nostris, ut personam Dei et hominis Redemptoris nostri* Jesu-Christi *ex duabus personis credamus unitam*. Hoc eodem argumento utitur Theodorus Abucara disputatione 29. *Si Christus*, inquit, *hypostasis composita est, Christus opinione tua, neque hypostasis divina est, neque humana, sed media inter Deum et homines. At fugienda est impietas.*

Nec ex personis est composita.

Gregorius.

Abucara.

8. Quo argumento cum se valde premi sentiant adversarii, in omnem se versant partem, ut ejus vim declinent. Respondet enim Suarez *additionem factam Verbo in Christo esse ratione naturæ, non ratione personalitatis; additionem autem naturæ non sufficere ad constituendam aliam personam, ut patet in Divinis*. Sed contra. Incarnatio est unio in persona, non in natura. Igitur additio facta Verbo potius est ratione personalitatis quam ratione naturæ. Deinde per additionem *ratione naturæ* cum aliud nihil,

Responsio. Suaris.

Refellitur.

credo, velit quam naturam humanam esse additam Verbo, vel ita ei addita est, ut ingrediatur constitutionem personalitatis Christi, vel non ingrediatur; si primum, ergo additio est non solum ratione naturæ, sed etiam ratione personalitatis, eritque, ut volunt, persona composita proindeque diversa a simplici; si secundum, hoc ipsum est quod intendimus : hoc enim modo hypostasis Christi semper eadem et simplex erit.

Essentia divi non additur Personis.

Quod autem dicit, additionem naturæ in Divinis non constituere diversitatem personarum, non est ad rem, et confirmatio nulla est; quia essentia Divina Personis Divinis non additur, sed in illis intrinsece et essentialiter includitur, estque de ratione cujusque. At natura humana in Christo non est de ratione personæ Christi, quæ est ipsamet persona Verbi, nec illam intrinsece constituit, proindeque illi vere additur, ita tamen ut non magis constituat personam Christi, in ratione personæ, quam accidens additum substantiæ constituit illam in ratione substantiæ.

Responsio altera refellitur.

9. De Lugo vero supra num. 10. ait per unionem resultare personam, non simpliciter aliam, sed secundum quid tantum, nempe compositam. Quasi vero nullum compositum sit aliud simpliciter ab ullo ex suis componentibus, et homo sit tantum alius secundum quid ab anima et corpore. Deinde quid hac distinctione velit non satis capio. Si enim per personam aliam simpliciter intelligat aliam totaliter, aut præcipua ex parte, clarum est suppositum Christi, adventu humanitatis non fieri simpliciter aliud; cum humanitas, nec sit tota, nec pars præcipua Christi. Si vero per aliam personam simpliciter intelligat suppositum Christi, si ipsa humanitate in se componitur, post Incarnationem non fore ex parte realiter et essentialiter diversum a supposito Verbi ante Incarnationem, id falsum est, propter rationes ante allatas. Similiter, si per personam secundum quid aliam et compositam, intelligat aliam tantum secundum novam rationem subsistendi, scilicet in natura humana, cujus persona Verbi non erat hypostasis ante Incarnationem, atque adeo compositam compositione relativa, de qua sequenti conclusione, id verissimum est. At si per aliam secundum quid et per esse compositam intelligat absolute et in se compositam per aliquid, quod sit quasi ejus pars, non recte dicit. Sic enim Christi persona erit alia simpliciter a persona Verbi.

10. Exemplum autem, quod affert de albedine, quæ adveniens

Petro facit aliud, non simpliciter, sed secundum quid, nimirum Petrum album, nobis favet, non illi. Ut enim albedo adveniens Petro, quia non est substantia, nec ingreditur compositionem substantialem Petri, non facit aliud simpliciter; ita cum humanitas Christi, ex nostra sententia, non ingrediatur constitutionem personæ Christi, non faciet aliam simpliciter hypostasim, sed solum aliam secundum quid, hoc est, aliam secundum rationem subsistendi.

11. Quod idem auctor addit num. 15. productione vel corruptione albedinis in Petro, non posse dici ipsum produci aut corrumpi, quod albedo non constituat ejus personam; Verbum autem et personam Christi, genita et corrupta humanitate, recte dici generari et mori, acquirere et perdere esse, quod humanitas pertineat ad constitutionem personæ Christi, non recte dictum videtur. Par enim est utriusque ratio, id est, tam vere Petrus dicitur produci et corrumpi productione et corruptione albedinis subjective, scilicet, non terminative, (est distinctio Philosophi 5. Phys. text. 11.) quæ est corruptio et generatio secundum quid, quam persona Verbi, generatione et corruptione humanitatis, quæ, quia est substantia, corruptio simpliciter dicitur. Atque ut corrupta albedine, manet idem Petrus; ita genita et corrupta humanitate, remanet persona eadem Christi ac Verbi : quod, ut dictum est, ad ejus constitutionem non magis pertineat humanitas assumpta quam albedo ad rationem et constitutionem substantiæ ac personæ Petri. Præterea Verbum, seu persona Verbi ratione humanitatis, non tantum mori, aut generari; sed etiam nutriri, crescere, sitire, flere, crucifigi, etc., dicitur. Hæc autem accidentia ad constitutionem personæ Verbi non pertinent. Igitur non propterea verum est dicere personam Christi generari et corrumpi, quod humanitas ejusque esse pertineat ad constitutionem personæ Christi; sed quia actiones et passiones, sive substantiales, sive accidentales sunt suppositorum. Suppositum autem Christi est ipsa sola Verbi divini persona.

Cur Verbum pati, mori, crucifigi, dicatur.

Objectio prima.

12. Sed objiciunt : 1. Christus est compositus, ac per unionem hypostaticam resultat persona Christi. Igitur resultat persona composita. Respondeo 1. Nullam esse hanc consequentiam. Sunt in hoc syllogismo quinque diversi termini. 2. Concessa Majore, neganda Minor, vel, si mavis, ita distinguenda : si resultare personam Christi, est personam Christi incipere esse absolute, cum

Responsio. 1. 2.

ante non esset, falsa est Minor. Si vero sit personam Verbi incipere esse personam humanitatis, vel hanc incipere subsistere in persona Verbi, concedenda est Minor. Inde autem non sequitur personam Christi esse compositam, nisi relative, et secundum duplicem rationem subsistendi, ut dicetur sequenti assertione.

13. Objiciunt 2. Concilia et Sanctos Patres interdum disertis verbis asserere, non tantum Christum, sed etiam hypostasim et personam Christi esse compositam ex duabus naturis, ut Damascenus l. 3. de fide Orthodoxa cap. 3. et 4. *In Domino* Jesu-Christo, inquit, *duas naturas cognoscimus, unam autem hypostasim ex utraque compositam.* Respondeo revera Sanctos Patres interdum sic loqui, sed ejusmodi locutiones in bonum sensum interpretandas esse. Nihil enim aliud volunt, quam, quod verum est, et quod alibi sæpius dicunt, in uno Christo vel una hypostasi Christi esse duas naturas vere et realiter conjunctas, Christumque non esse Deum tantum, nec hominem tantum, sed Deum hominem. Ita seipse declarat Damascenus eodem libro cap. 5. his verbis: *Verum ratione compositionis, hoc est, hypostasis in duabus perfectis naturis, unam Filii Dei et incarnati personam confitemur.* Et paulo post. *Incolumes porro etiam post unionem duas naturas in una persona composita, hoc est, in uno Christo retineri dicamus.* Et Opusculo de natura composita contra Acephalos. *Unam ex divinitate atque humanitate compositam personam dicimus. Nam ipsa omni ævo antiquior Dei Verbi hypostasis, cum in sanctæ ac perpetuæ Virginis utero habitasset, in ipso carnem animatam ac ratione utentem condidit, carnique animatæ ac ratione præditæ hypostasis extitit, factusque est ex perfecta divinitate ac perfecta humanitate unus Christus, unus Filius Dei et hominis.* Quemadmodum igitur cum Sancti Patres dicunt Verbum assumpsisse hominem, per *hominem* intelligunt, non hypostasim aut personam humanam, sed naturam humanam integram, et non ejus partem tantum, ut exponunt Bonaventura in 3. dist. 6. quæst. 2. ad 2. et D. Thomas 3. parte quæst. 4. art. 3.; ita cum aiunt Christi hypostasim esse compositam, volunt tantum in una Christi hypostasi, quæ est ipsa æterna Filii Dei persona, duas esse naturas, divinam et humanam, integras et divisas.

Objectio secunda.

Responsio.

Damascenus.

14. Dico 2. *Hypostasim et personam Christi ante Incarnationem simplicem, post Incarnationem esse compositam compositione impropria, et rationis, id est, secundum diversas rationes*

Hypostasis Christi est secundum rationem composita.

subsistendi. Ita D. Thomas supra, et res clara est, quia persona secundum rationem hypostasis, est illa ipsa, ut subsistit in aliqua natura, seu, ut est hypostasis alicujus naturæ. Persona autem Verbi, quæ ante Incarnationem unius tantum naturæ, nempe divinæ, hypostasis erat, atque adeo secundum rationem hypostasis erat simplex, post Incarnationem est etiam hypostasis naturæ humanæ, quam assumpsit. Ergo post Incarnationem duplicem habet rationem subsistendi. Ergo est composita secundum rationem subsistentiæ, et ut loquitur S. Thomas, *licet sit unum subsistens, est tamen in eo alia et alia ratio subsistendi : diciturque persona composita inquantum unum subsistit in duobus,* seu, est hypostasis duarum naturarum. Idem habet quæst. de unione Verbi art 1. ad 6. supra. Igitur hypostasis Christi, quæ in se simplex est, dicitur composita; quemadmodum si paternitas, qua pater refertur ad filium unicum dicatur simplex, et eadem, natis ei aliis filiis, dicatur composita, quando per eam ad secundum, tertium, aut alios filios refertur, scilicet, propter diversos respectus; aut quemadmodum punctum, quo una tantum linea terminatur, dicitur simplex secundum illam rationem terminandi, si autem postea plures lineæ ad illud confluant, pluresque habeat rationes terminandi, dicitur compositum, non quidem in se, et ex his, id est, ex lineis, sed solum quia plures lineæ ad illud terminantur, pluresque habet rationes terminandi. Unde recte dixit S. Thomas supra solutione ad secundum, quod *compositio personæ ex naturis in Christo, non dicitur esse ratione partium, sed potius ratione numeri; sicut omne illud in quo duo conveniunt potest dici ex eis compositum.* Compositio igitur hypostasis in Christo secundum diversas rationes hypostasis, est solum compositio rationis. Et si Verbum divinum plures naturas assumeret, ejus hypostasis secundum rationem subsistendi esset magis composita.

In quibus falluntur Suarez et Vasquez.

15. Itaque et Suarez, et Vasquez supra, cum eos falli et valde errare dicunt, qui in compositione personæ Christi negant includi naturam humanam intrinsece, et ut terminum componentem, dicuntque personam Christi esse tantum compositam ex duplici respectu, et ratione subsistendi; altera prout terminat divinam naturam, altera quatenus terminat naturam humanam; non sunt audiendi. Hoc enim et sentit et manifeste dicit S. Thomas supra, et nos cum eo ita esse probavimus. Sed ipsimet errant, et hic ter quaterve falluntur : 1. Quod putent eam, quam diximus, non

esse doctrinam D. Thomæ. 2. Quod putent id esse negare compositionem realem in Christo, et repugnare Conciliis et Patribus. Nos enim cum Conciliis et Patribus compositionem realem et ad intra in Christo agnoscimus, et cum iisdem personam Christi esse in se compositam negamus. Cum iisdem præterea dicimus hypostasim Christi esse compositam relative et compositione ad aliud, seu cum alio, nempe cum humanitate, et in eadem cum D. Thoma compositionem secundum diversas rationes subsistendi agnoscimus, quæ, ut constat ex dictis, non pugnant. Falluntur 3. Christum a persona Christi nullo modo distinguentes. 4. Quod existiment personam Christi realiter esse compositam ex natura divina et humana.

16. Cajetanus similiter in suo Commentario supra citato multa peccat. 1. Quod non distinguat etiam Christum ab hypostasi Christi. 2. Quod imponat S. Thomæ, dicatque illum velle hypostasim Christi vere et realiter in se et compositione ad intra compositam esse, cum diserte id neget.

In quibus peccat Cajetanus.

3. Cum id infert, ex eo quod D. Thomas aliique theologi sæpe affirment *personam Christi subsistere in duabus naturis.* Id enim non est eam esse compositam ex duabus naturis et substantiis, sed solum illam æternam, unam, et in se simplicem Christi personam esse hypostasim, et personam duarum naturarum, nempe divinæ et humanæ, et habere plures rationes subsistendi.

4. Idem male colligit, ex eo quod D. Thomas 4. contra Gentes cap. 49. ad 6. dicat quod *natura humana est simplicior quam Verbum divinum, inquantum est hic homo.* Et quæst. de unione Verbi art. 1. ad 15. quod *natura humana est simplicior et formalior illo homine, qui est Verbum caro factum, et non Verbum secundum se.* Hoc enim ex illis loquendi modis nullo modo sequitur. Nam natura humana simplicior est quam Verbum, ut hic homo; quia natura humana dicit solam compositionem ex anima et corpore. Verbum autem, ut hic homo, et illam eamdem compositionem et præterea Verbum, seu ejus compositionem cum natura humana dicit. Humana igitur natura est simplicior homine, qui est Verbum caro factum, non quia persona Christi est composita ex humana natura et persona Verbi, sed propter rationem dictam.

5. Cum, ex eo quod D. Thomas dicat quod *licet Christus sit unum subsistens, in eo tamen est alia et alia ratio subsistendi, et quod subsistat in duabus naturis,* ait ex eo aperte sequi quam-

libet naturam ei esse rationem subsistendi. Humanitas enim nullo modo est ratio subsistendi Christo; sed sola natura et persona Verbi, in qua una persona subsistunt natura, et divina et humana.

Propositiones improbandæ.

17. Dico 3. *Plerasque adversariorum in hac quæstione locutiones indigere correctione, et minime tolerandas esse.* Ejusmodi sunt: *Persona Christi in se et ad intra realiter est composita ex persona Divina et humana.* Et hæ tres Cajetani 3. parte quæst. 3. sub finem sui Commentarii 1. *Persona Filii Dei est vere persona humana.* 2. *Persona Filii Dei facta est persona humana.* 3. *Persona Filii Dei constituitur per naturam humanam, inquantum est persona humana.* Et hæ quatuor Medinæ supra conclusione secunda. *Ex duabus naturis in Christo resultat una persona composita. Duæ naturæ constituunt personam Christi. Persona Christi vere et proprie est composita ex divinitate et humanitate. Christus est persona divina et humana.* Et hæc Gabrielis Vasquez: *Hypostasis Christi vere est composita ex persona Divina et humana, sicut persona Petri ex corpore et anima, album ex albedine et subjecto.* Hæ, inquam, propositiones correctione indigent, easque ac similes Sancti Patres et antiqui theologi merito refugerunt.

1. Argumentum.

Primo. Quia ex modo loquendi sapiunt Nestorianismum insinuantque in Christo duas esse personas, vel Christum esse purum hominem; quia hypostasis et persona humana simpliciter dicta est ea, quæ est propria naturæ humanæ, quæque est natura humana singularis, tota, per se, et separata ab omni alia, quod in Christo nefas est dicere, ut recte docet D. Thomas 3. p. q. 3. art. 1. ad tertium.

2. Argumentum.

18. Secundo. SS. Patres, ut se a Nestorio dissentire ostenderent, dicebant: *Verbum assumpsisse naturam humanam, et non assumpsisse personam humanam.* At qui dicit hypostasim Christi esse compositam ex persona divina et humana, dicit Verbum assumpsisse personam. Si enim assumpsit naturam, quia natura est in Christo, etiam assumpserit personam humanam, si verum est quod persona Christi est composita ex divina et humana, sicut persona Petri ex corpore et anima, album ex albedine et subjecto.

3. Argumentum.

19. Tertio. Licet Christus vere sit et recte dicatur Deus et homo, recte idem dicitur esse persona divina, non potest tamen recte dici *persona humana.* Deus enim idem est ac habens deitatem, et homo habens humanitatem. Habens autem deitatem in

Christo est Persona Divina, quæ est etiam habens humanitatem, non autem ulla persona humana. Igitur Christus Persona Divina dici potest, non autem persona humana. Unde D. Thomas 3. part. quæst. 15. art. 10. has propositiones : *Christus secundum quod homo est hypostasis, est per se, est suppositum, est res humanæ naturæ,* ait esse falsas et negandas, si homo accipiatur pro natura humana, cui debeatur personalitas ex principiis humanæ naturæ; cum humana in Christo natura non sit per se seorsim subsistens a divina natura, quod requirit ratio personæ.

20. Quarto. Quamvis recte dicatur quod Christus vel Persona Divina in Christo subsistat in natura humana, vere sit hypostasis ac persona humanæ naturæ; non tamen recte dicitur quod sit persona humana. Quia persona humana ex communi sentiendi et loquendi usu est illa, de cujus ratione et conceptu est natura humana, sicut persona angelica illa est quæ includit in suo conceptu naturam angelicam, et non aliam. Persona autem Christi, cum sit ipsa increata, æterna et relativa Filii Dei persona, et non alia, non includit intrinsece et essentialiter naturam humanam assumptam, neque constituitur per eam. Igitur non potest dici persona humana. Ergo nec Christi persona dici potest composita ex divina et humana. Ideoque recte Gregorius supra *ex duabus personis Christum compositum, ut nefas, putamus.* 4. Argumentum.

21. Denique Cajetanus in sua illa sententia suoque illo loquendi modo, cum sentiret aliquid desiderari posse, correctionem ei aliquam et modificationem adhibere volens, admonet non esse dicendum simpliciter quod hypostasis Christi est in se composita; sed dicendum eam esse compositam *compositione ineffabili,* ut loquuntur Sancti Patres. Sed hæc cautio, licet eam approbet Suarez supra, non medetur morbo; tum quia nulla omnino est in hypostasi et persona Christi, sive effabilis, sive ineffabilis compositio absoluta, et in se; tum quia Sancti Patres ac theologi, cum dicunt unionem seu compositionem Christi aut Verbi cum humanitate esse *ineffabilem,* vel de ipsa Christi compositione absoluta loquuntur, vel de *relativa* qua Verbum est unitum humanitati; non autem de ulla compositione absoluta hypostasis et personæ Christi, quam nunquam agnovere, quæque ineffabilis dici non potest, nisi forte hoc sensu, quod nec fanda, nec defendenda sit. Modificatio Cajetani non satisfacit.

CAPUT LXVI.

Possitne natura quælibet creata subsistere hypostasi et persona divina.

Alensis. Bonaventura. Henricus. Vasquez.

1. Ex eo quod Alensis 3. part. suæ Summæ quæst. 7. memb. 2. art. 5. Bonaventura, Henricus et nonnulli alii existimarint, gratiam sanctificantem naturæ humanæ ad ejus unionem hypostaticam cum Verbo, per modum dispositionis cujusdam, necessariam fuisse, putat Gabriel Vasquez 3. parte disp. 30. cap. 1. eos sensisse naturam gratiæ incapacem non esse assumptibilem hypostatice ab ulla persona divina. Quam sententiam nonnulli etiam tribuunt S. Thomæ 3. parte q. 4. art. 1. ubi et corpus articuli et solutionem ad 4. ita concludit : *Relinquitur quod sola natura humana est assumptibilis.*

Alii, ut idem Vasquez 3. parte disp. 33. c. 1., putant eum existimasse nullam naturam præexistentem, sive humanam, sive angelicam, posse assumi hypostatice ab ulla persona divina, idque docere 4. contra Gentes capite 43.

Sententia D. Thomæ.

2. At neutrum sensit S. Doctor. Non Primum, quia in 3. sentent. dist. 2. quæst. 1. art. 1. hæc habet. *De potentia Dei absoluta, Deus potest quamcumque vult creaturam assumere. Unde secundum hoc non est magis assumptibilis una creatura quam alia; loquendo autem de potentia ordinata, illam creaturam assumere potest quam congruit eum assumere ex ordine suæ sapientiæ.* Statimque postea in natura humana congruitatem ad assumptionem majorem fuisse, quam in aliis, probat ex triplici capite.

Quamlibet esse assumptibilem docuit S. Thomas.

3. Deinde vel ex ipso articuli titulo, tam ibid. tum 3. parte id manifeste patet. Cum enim in eo comparationem instituat naturæ humanæ cum qualibet alia natura creata, quæratque an humana natura fuerit magis assumptibilis a Filio Dei, quam quælibet alia, omnino supponit quamlibet aliam esse assumptibilem. Frustra enim et inepte comparationem quoad assumptibilitatem institueret inter naturam humanam et alias naturas, nisi etiam ipsæ essent a Verbo assumptibiles.

Quare cum ait solam naturam humanam esse assumptibilem, non de possibilitate absoluta, sed solum de congruitate assumptionis loquitur, ut patet legenti articulum. Certum enim est naturam angelicam esse assumptibilem. Ergo cum dicit solam humanam, non vult eam solam absolute esse talem; sed solum congruenter præ aliis, propter rationes congruitatis, quas ibidem exponit.

4. Secundum item est falsum. Nunquam enim Sancti Doctoris illo loco, aut usquam alibi, mens fuit absolute impossibile esse naturam præexistentem assumi a Deo; sed solum, quod omnes concedunt et est evidentissimum, id esse impossibile, quando, cum corruptione hypostasis præexistentis simul natura ipsa desinit et corrumpitur, ut patet ex ejus discursu.

Quo sensu putat S. Thomas naturam præexistentem non posse assumi.

5. Etenim cum loquatur S. Thomas eo loco de Incarnatione et naturæ humanæ assumptione, eo, quo facta est, modo, ut manifeste patet ex titulo et ex toto capitis contextu, ita ratiocinatur. Si natura humana quam Verbum assumpsit, præextitit assumptioni, fuerit tunc hypostasis et persona humana; vel igitur assumpta erit, hypostasi et persona illa, in qua erat, remanente, vel non remanente. Neutrum autem dici potest. Non Primum, quia duæ in Christo erunt hypostases, duæque personæ; quod est contra fidem. Neque Secundum, quia, cum hypostasis, individuum et singulare, ut ostendimus supra cap. 23. dupliciter corrumpi possit, vel destructa simul natura, ut cum ignis extinguitur et leo moritur; vel natura remanente, per solam conjunctionem cum altera substantia, ut cum gutta aquæ alteri jungitur (neutra enim est individua et tota aqua, quæ erat antea, sed fit alia, non ratione substantiæ, sed ratione totalitatis, cum ex tota fiat pars) neutro modo corrupta est hypostasis aut persona in ipsa Incarnatione quæ facta est.

Discursus S. Thomæ.

6. Non *primo modo,* quia alioquin natura humana non esset assumpta. Impossibile enim est quod hoc modo, tam secundum substantiam quam secundum hypostasim et totalitatem perit, assumi. Quod enim nullo modo est, a nullo assumi potest. Et hic est sensus horum verborum S. Thomæ. *Si vero hypostasis vel persona illa non remaneret in ea natura in qua assumenda a Verbo præexistitisset, hoc sine corruptione non fuisset. Nullum enim singulare desinit esse id quod est, nisi per corruptionem. Si igitur oportuisset illum hominem corrumpi qui unioni præextisset, et per consequens humanam naturam in eo existentem. Impossibile igitur fuit quod Verbum assumeret aliquem hominem in unitate personæ*

Corrupta natura, assumi non potuit homo.

præexistentem. Hæc ille. Ubi hæc verba (*et per consequens humanam naturam in eo existentem corrumpi*) primum corruptionis personæ modum manifeste exprimunt.

Nec item secundo modo corrupta est hypostasis naturæ assumptæ. Est enim contra fidem et derogat perfectioni Incarnationis Verbi Dei. Sequitur enim quod Filius Dei incarnatus non esset conceptus conceptione, neque natus nativitate humana, et quod beata Virgo non esset Mater Dei. Igitur assumpsisse naturam præexistentem, nec *decuit, nec conveniens fuit,* ut ibidem loquitur S. Thomas, et toto reliquo capite exponit. Itaque supposita veritate fidei et Incarnatione prout facta est, impossibile fuit assumi naturam præexistentem.

7. Atque hic est totus discursus S. Thomæ, quicquid dicat Vasquez, isque optimus et recte concludens. Ex quo patet eum non existimasse absolute esse impossibile naturam præexistentem assumi, sed solum impossibile esse assumi, quando natura simul cum hypostasi corrumpitur; vel assumptionem naturæ humanæ in Christo, supposita doctrina fidei, non potuisse esse ex natura præexistente.

8. Cur autem Verbum non assumpserit naturam humanam præexistentem, ut hoc obiter dicatur, causa multiplex est.

Rationes ob quas natura præexistens non est assumpta. Prima.

Prima, quam habet S. Thomas, ut Filius Dei secundum humanitatem per omnia in naturalibus, hoc est, a primo instanti conceptionis usque ad mortem, similis esset aliis hominibus, sicque magis probaret se verum esse hominem.

Secunda.

Secunda, ne nobis daretur occasio errandi circa Incarnationem. Potuissent enim facile tam angeli quam homines existimare humanitatem præexistentem, post assumptionem et corruptionem hypostasis suæ, esse adhuc nudam et puram personam humanam, ut erat antea; cum ejusmodi naturæ assumptio et corruptio hypostasis creatæ nullo sensu, vel intellectu naturaliter ab ullo cognosci et deprehendi potuerit.

Tertia.

Tertia, quia frustra videretur natura præexistens fuisse suppositum creatum. Quemadmodum enim qui quadratum facit non prius format duo triangula, quæ postea juncta quadratum efficiant. Nec qui ceram in globum format, illam prius fingit in cubum, quamvis id absolute posset, quod nimirum id frustra fieret, cum figura cubica, ratione licet tantum a quantitate distincta, adveniente sphærica necessario corrumpenda sit; ita assumptione naturæ præexistentis,

quia corrumpendum esset ejus suppositum proprium, propterea frustra præcessisse videretur.

Quarta.

QUARTA, quæ etiam est S. Thomæ in 3. dist. 2. q. 1., quod non deceat Deum assumendo creaturam ei auferre perfectionem aliquam præexistentem, et destruere rem in sua totalitate et perfectione propria jam constitutam.

Ferrariensis et Cajetani illatio non bona.

9. Ex QUIBUS obiter habes, neque Ferrariensem loco citato contra Gent., neque Cajetanum tertia parte qu. 4. art. 2. ex eo quod S. Thomas ibi, aut etiam alibi dicat, quod *si assumeretur natura præexistens necessario corrumperetur aliquid*, recte inferre hypostasim et personam, de mente S. Thomæ, esse quid positivum a parte rei a natura assumpta distinctum. Quia ex corruptione hypostasis primo modo potius inferendum fuit hypostasim re idem esse cum natura, quandoquidem simul cum ea corrumpitur : ex corruptione autem hypostasis secundo modo id etiam non sequi manifeste ostensum est supra cap. 23. ubi per solam additionem alterius substantiæ, hypostasim corrumpi posse probavimus.

Quælibet assumi potest.

10. His de S. Thomæ sententia præmissis, ut ad propositam quæstionem veniamus; DICO 1. *Omnem substantiam, tam rationalem quam rationis expertem, absolute posse subsistere Persona Divina, et a qualibet assumi hypostatice, sive præexistat assumptioni, sive non.*

Probatur. 4. rationibus.

PROBATUR 1. Quia non repugnat, nec ex parte Personæ Divinæ, nec ex parte substantiæ creatæ. Quæ enim rationis expers est, non minus est substantia unibilis Deo, quam angelica aut humana.

2. Quia sanguis Christi tam ejus venis et corpore contentus quam in passione effusus, hypostatice unitus erat Verbo Divino, sicut et ipsum corpus Christi in triduo mortis. Igitur substantia inanimata potest uniri Personæ Divinæ.

3. Quia materia prima, quæ erat sub forma sanguinis Beatissimæ Virginis, vere assumpta est a Verbo Divino, cum animata est anima Christi. Igitur substantia præexistens, sive completa, sive incompleta, assumi potest.

Ut intelligendus S. Thomas.

4. Quia communior est theologorum sententia, ut videre est apud Gabrielem Vasquez 3 part. q. 3. quam etiam ostendit esse S. Thomæ, qui, si quando reperiatur significare materiam vel præexistentem vel irrationalem assumi esse impossibile, id intelligit eo sensu, quem supra exposuimus : aut *impossibile* sumit, pro minus convenienti, eo

modo quo 3. parte q. 5. art. 2. cum ait *impossibile fuisse solvi unionem a carne Christi, quia in eo nullum fuit peccatum.*

In natura rationali major est congruitas.

11. Dico 2. *Quod, si sermo sit de possibilitate congruitatis, natura angelica et humana sunt magis assumptibiles quam aliæ.* Ita Sanctus Thomas supra. Ratio est, quia cæteris substantiis nobiliores sunt Deoque viciniores, et ad Dei imaginem et similitudinem factæ, ut ipsum operatione sua attingant, eique per intellectionem et amorem uniantur, et cum eo commercium habeant. Igitur ad unionem personalem cum eo majorem habent congruitatem, quam cæteræ creaturæ irrationales et insensibiles.

Quomodo major in natura humana.

12. Dico 3. *Si congruitas petatur ex necessitate et ratione peccati tam originalis quam actualis, in natura humana majorem fuisse congruitatem ad assumptionem hypostaticam, quam in natura angelica.* Ita S. Thomas supra. Ratio est, quia tota natura humana peccavit in Adam, et tota reparatione indigebat; et præterea cujusque hominis voluntas est mutabilis et convertibilis a peccato ad gratiam meritis Christi. Angeli autem non peccarunt omnes, nullumque in eis fuit peccatum originale, quod omnes contaminaret; et ut omnes peccassent, pœnitentiæ et remedii minus sunt capaces quod eorum voluntas, ubi semel aliquid naturaliter amplexata est, immobiliter ei adhæreat.

An accidens assumi possit hypostatice.

13. Quærunt hic etiam aliqui : *Possitne accidens assumi hypostatice a persona et hypostasi, sive creata, sive increata?* Quæ quæstio ex dictis facile a nobis solvi potest. Dupliciter enim intelligi potest accidens assumi hypostatice. Primo, ita ut sit hypostasis, vel tota, vel saltem ejus pars aliqua, possitque dici subsistere. Secundo modo, ut verum sit ipsum accidens uniri alicui supposito, illudque suppositum ab eo denominari, et per illud vel agere, vel pati.

Si assumi hypostatice sumatur primo modo, manifestum est quod accidens assumi hypostatice nullo modo potest; cum omnis hypostasis essentialiter sit substantia, vel saltem pars substantiæ, aut per modum partis in substantia. Quo modo solæ partes dicuntur subsistere in toto, et humanitas in Christo. At secundo modo omne accidens est in supposito, vel subjective, vel etiam denominative, cum omne accidens magis sit totius, quam partis cui inest, atque adeo sit magis suppositi, quam cujuslibet alterius. Et hoc sensu, accidens assumi posse, seu in idem suppositum posse concurrere plura accidentia, dixit Sanctus Thomas 3. parte q. 3. art. 1.

Responsio.

14. Utrum autem Persona Divina accidens aliquod separatum,

v. g. species sacramentales assumere possit, iisque immediate uniri, hic etiam a nonnullis quæritur. Cur id fieri non possit nihil obstare videtur; non quidem ita ut Deus uniatur accidenti per modum subjecti, sed aliquo alio modo nullam habente imperfectionem, ut infinitos habet nobis incognitos in divinæ suæ omnipotentiæ thesauris. Si enim potentias, virtutes, et alia accidentia humanitati Christi inexistentia assumpsit, ut ostendit S. Thomas 3. part. q. 7. ad 15. et de voluntate atque appetitu docet q. 18. art. 1. et 2., cur et accidentia separata assumere, sibique unire non possit? Non tamen propterea dicerentur illa accidentia Deo unita proprie subsistere in Deo; quia, ut ante dictum est, accidentia non sunt capacia subsistentiæ. Denique ad summum accidentibus solis et a subjecto separatis deest congruitas assumptionis, quia cum sint ex se meriti et demeriti, honoris, præmii, omnisque actionis vel passionis moralis incapacia, nulla occurrit ratio congrua propter quam a Deo assumerentur, nisi forte quod vellet Deus se in illis ab hominibus coli et adorari.

Accidentia separata assumi possunt.

15. Putant aliqui accidens sic assumptum a Persona Divina de ea in concreto prædicari non posse. Aureolus enim in 3. parte quæst. 2. art. 4. hæc habet : *Accidens, ut albedo, est unibile Verbo, non tamen ut denominet album. Quemadmodum anima rationalis in triduo erat unita Verbo, nec tamen denominabat Verbum animatum, quia ejusmodi formæ non dant suum effectum et suam denominationem formalem quidditativam, nisi per informationem : at non informarent Verbum, etc.*

Aureolus.

16. Nihilominus nihil obstare videtur quo minus accidens ita assumptum de Verbo in concreto prædicetur. Tum quia album v. g. ex suo conceptu, aliud nihil est quam habens albedinem, sive informantem, sive alio modo sibi unitam; tum quia cum homo dicatur vestitus a veste, quæ ei, nec inhæret, nec indivise unita est, cur etiam Verbum Divinum animatum ab anima rationali, vel album ab albedine assumptis, non dicetur?

CAPUT LXVII.

Utrum hypostasis et persona creata aliam naturam assumere possint et eadem duas aut plures naturas terminare.

1. Hanc quæstionem theologi communiter disputant art. 1. q. 3. part. 3. S. Thom. Quam etsi Medina ibidem gravem et difficilem esse dicat, tamen nihil est quod expediri tam facile possit ex ejusdem S. Thomæ nostrisque principiis, ut mox apparebit.

Auctorum sententiæ. 1. 2. 3.

Ac PARTEM affirmantem sequuntur Okam, Bassolis, Major, Almainus apud Gabrielem Vasquez de Incarnatione disputat. 25. cap. 2, et etiam Becanus de Incarnatione cap. 4. q. 5. Negativam Durandus, Cajetanus, Paludanus, aliique omnes thomistæ, apud eumdem qui illam sequitur et Medina supra et Suarez 3. part. disp. 13. §. 4. et Gammachæus 3. part. suæ Summæ Theologiæ q. 3. c. 6. Dubii autem sunt Scotus et Gabriel, qui utramque partem censent esse probabilem.

Negativa verior.

2. Verum negativa omnino tenenda est, eamque diserte docet S. Thomas loco supra citato ad secundum et probat ratione optima ac demonstrativa. Cujus vim et robur, cum nec Cajetanus, nec omnes prædicti auctores, ob desertam Sancti Doctoris de quidditate hypostasis sententiam, sint assequuti, in bona aliqua quærenda et assignanda valde, sed frustra, laborant; quas enim tres afferunt, eæ insufficientes sunt. Prima est Cajetani. Quod, si divina virtute hypostasis et persona creata potest terminare alteram naturam, poterit infinitas. Secunda est Durandi et Gabriel Vasquez, quod si hoc fieri potest divina virtute, poterit et naturaliter. Tertia est Suaris, quod subsistentia creata sit modus quidam a natura distinctus; modi autem ea sit natura, ut communicari alteri non possit. Quæ tres rationes ut dixi non videntur efficaces.

Tres rationes pro sententia negativa.

Rejiciuntur.

3. Prima quidem, quia, ut notat Vasquez, qui ex recentioribus contrariam sententiam defendunt, non habent pro absurdo (quod tamen per se videtur absurdissimum) unam hypostasim creatam

divina virtute posse terminare naturas infinitas. Deinde cum rerum creatarum capacitas sit finita, sicut quælibet materia prima non potest simul, etiam virtute divina, omnem quantitatem, omnesque vel infinitas qualitates recipere; ita nec hypostasis finita poterit, etiam divina virtute, naturas infinitas simul afficere et terminare.

Nec secunda, quia multa fieri possunt divina virtute, quæ non possunt naturaliter. Igitur illius rationis consequentia non est bona. Adde quod non est ratio a priori.

Neque tertia videtur melior, cum nullus detur talis modus subsistentiæ. Deinde, unde habet Suarez modum illum non posse divina virtute pluribus subjectis communicari, non secus ac quantitas, calor et similes qualitates? Dicere enim eam esse naturam modi, brevis quidem est facilisque, sed probanda responsio; cum nobis falsa, omnibus saltem sit obscura, et pari probabilitate quilibet id asserere possit de quantitate, albedine, calore et similibus, eam, scilicet, illorum esse naturam, ut nonnisi unum subjectum afficiant, proindeque alteri communicari non posse.

4. Ergo sola ratio illius sententiæ ea est, quam proponit S. Thomas supra ad secundum, his verbis : *Dicendum quod persona dicitur incommunicabilis inquantum non potest de pluribus suppositis prædicari, unde non est contra rationem personæ sic communicari ut subsistat in pluribus naturis. Quia etiam in personam creatam possunt plures naturæ concurrere accidentaliter; sicut in una persona unius hominis invenitur quantitas et qualitas. Hoc autem est proprium Divinæ Personæ propter ejus infinitatem ut fiat in ea concursus naturarum, non quidem accidentaliter, sed secundum substantiam.* Ratio S. Thomæ optima.

5. Hæc S. Thomas qui etiam ibidem solutione ad primum hæc habet : *Dicendum quod cum Persona Divina sit infinita, non potest ei fieri additio. Sicut in unione hominis ad Deum, quæ est per gratiam adoptionis, non additur aliquid Deo. Sed illud quod divinum est apponitur homini. Unde non Deus, sed homo perficitur.* S. Thomas.

Ratio igitur S. Thomæ nostræque sententiæ est, quod id sit proprium Divinæ Personæ, ut plures naturas substantiales assumere possit. Est autem id illi proprium, quia infinitas perfectionis substantialis ei propria est. Facit enim hæc infinitas in Persona Divina ut ejus totalitas atque adeo personalitas eadem semper maneat; nec ullius unquam naturæ adventu atque societate perire possit;

eo quod quicumque ad eam, quarumcumque et quotcumque naturarum creatarum concursus fiat, non evadat substantialiter perfectior; sed contra, illa una alias omnes, quæ in eam concurrunt, naturas sui communicatione reddat infinite substantialiter perfectiores, ideoque earum omnium extinguat subsistentias, sua prorsus illæsa et eadem omnino remanente, ut superius pluribus probatum est cap. 24. et 64.

Explicatur ratio S. Thomæ.

6. Quare *Si affirmatio est causa affirmationis, et negatio causa negationis erit,* id est, si proprium est Divinæ Personæ propter suam infinitatem, ut in ea fiat concursus plurium naturarum, absque eo quod ejus et totalitas et distinctio ab aliis Personis Divinis pereat; necesse est, ut propterea persona et hypostasis creata alias naturas assumere et terminare nequeat. Quia, cum sit finita ejusque ad alteram accessione et conjunctione cum ea fiat aliquid substantialiter melius et perfectius quam sit quælibet separata, neutra hypostasis manet, ideoque neutra alteram assumit (quod enim non est, nec assumit, nec assumitur) sed ex illis duabus naturis, si uniri possunt, constituitur tertia quædam hypostasis : ut patet in partibus totius homogenei, v. g. aquæ, terræ; vel etiam heterogenei, quæ divisæ, et ut sunt tota quædam, sunt hypostases propriæ. Cum primum autem uniuntur unumque aliud totum constituunt, amittunt rationes proprias suppositi et faciunt constituuntque quoddam aliud tertium et novum.

CAPUT LXVIII.

Possitne eadem natura creata subsistere pluribus hypostasibus et subsistentiis propriis.

1. Creata, inquam, natura. Nam de divina et increata, propter incomprehensibile Trinitatis mysterium, rem in dubium vocari fides catholica non permittit. Tribus autem modis intelligi potest substantiam eamdem creatam subsistere pluribus subsistentiis, vel pluribus propriis, vel pluribus alienis, vel uña propria et altera aliena : quos omnes modos sigillatim examinabimus.

Variæ sententiæ.

2. Ac Primum an pluribus propriis simul subsistere possit. Dubitat

Suarez, nullamque se videre repugnantiam, nullum inconveniens quo minus id divina virtute fieri possit. Posse vero omnino affirmant Hurtadus in sua Metaphys. disp. 11. et De Lugo de Incarnatione disp. 12. num 18. Cæteri omnes communiter negant. Cujus sententiæ veritas clarissima est in nostra, et eorum omnium doctrinâ qui negant subsistentiam re distingui a natura. Quî enim possent in una et eadem natura plures numero totalitates et integritates substantiæ simul consistere? Propterea quæstio hæc inter eos tantum recte institui potest, qui putant subsistentiam esse formam vel modum a natura re distinctum. Inter quos, qui partem affirmativam tuentur, non videntur loqui consequenter.

Est impossibile in nostra doctrina.

Et etiam in modistarum.

Primum argumentum.

Primo. Quia id contradictionem involvit. Simul enim erunt plura supposita, et non plura; simul plures modi subsistentiæ, et non erunt plures. Erunt plures, quia ita volunt qui partem affirmativam defendunt. Nullus eorum erit subsistentia, quia naturam illam nullus reddet incommunicabilem alteri supposito, seu modo subsistentiæ; nullus erit terminus ultimus et complementum naturæ, cum hæc a quolibet alio superveniente ulterius terminetur et perficiatur. Igitur eorum, vel nullus erit subsistentiæ modus, vel solus ultimus; sicque non erunt plura supposita.

Secundum.

Secundo. Cum suppositum sit habens et naturam et omnia quæ sunt in natura, idemque ab alio supposito non habeatur; quilibet modus constituet suppositum habens et naturam et omnes alios modos subsistentiæ in ea existentes, aliaque supposita. Igitur eorum nullus erit suppositum.

Tertium.

Tertio. Si in eadem natura simul esse possunt duæ subsistentiæ modales, cur non et decem? cur non et centum? et mille, divina saltem virtute? sicque erit miraculum longe mirabilius mysterio Trinitatis, in quo tres tantum sunt hypostases in una eademque natura divina.

Quartum.

Quarto. Quæ ab unione et prædicatione mutua suppositorum et ab impossibilitate agendi vel patiendi argumenta ducentur cap. 70. contra simultatem divini suppositi et creati in eadem natura; multo magis fieri possunt hic contra plura supposita creata in una eademque numero natura.

Objectiones duæ.

3. Duo objicit Hurtadus pro sua sententia. Primum, non implicare contradictionem omnesque in ea assignanda non modice sudare modico fructu, aut etiam nullo. Secundum, quod ex communi theologorum doctrina, eadem numero natura humana simul assumi

possit a Patre, Filio et Spiritu Sancto, atque adeo simul subsistere tribus personis increatis. Igitur totidem, vel etiam pluribus creatis, vel saltem una creata cum altera increata.

Responsio. ad 1.

Ad primum. Respondeo primo, juxta nostram sententiam de indistinctione reali subsistentiæ a natura, implicantiam esse manifestam. Tam enim impossibile est duas aut plures subsistentias proprias in una simul esse natura, quam impossibile eumdem numero hominem esse simul plures numero homines.

Respondeo secundo. Etiam juxta sententiam modistarum contradictiones manifestas assignatas esse in 1. et 2. argumento.

Responsio. ad 2.

Ad secundum. Concesso antecedente, neganda est consequentia, propter manifestam disparitatem sumptam ab infinitate hypostaseon divinarum et finitate creatarum, eamque ductam ex ipsa intima ratione et conceptu proprio hypostasis. Hæc enim est summa et maxime perfecta substantia, eaque tota et distincta ab alia. Divinæ autem, quia sunt infinitæ, nulliusque rei societate magis perfici possunt et unam habentes naturam divinam per identitatem, vel simul creatam per assumptionem, non possunt non semper esse tres substantiæ totæ, integræ, summe perfectæ et realiter ab invicem distinctæ, atque adeo tres hypostases et personæ. At hypostasis et substantia creata, quia est finita, cum omne finitum alteri finito, sive infinito conjunctum fiat melius et perfectius, alteri substantiæ juncta desinit esse hypostasis, ut manifeste patet in partibus totius homogenei, vel etiam heterogenei; quæ cum essent separatæ et tota quædam erant hypostases et supposita, cum vero uniuntur, fiunt partes desinuntque esse supposita.

CAPUT LXIX.

Possitne natura aliqua creata subsistere simul pluribus hypostasibus et personis divinis.

Prima sententia negat.

1. Hanc difficultatem communiter tractant theologi ad articulum 6. q. 3. 3. part. S. Thomæ, cujus est hïc titulus : *An plures personæ divinæ possint assumere unam numero naturam.* Scotus et Richardus apud Gabrielem Vasquez ibidem disp. 29. cap. 1.

negant id fieri posse, idemque cum illis sentit De Lugo disp. 12. num. 81. Contra vero, fieri posse affirmat S. Thomas loc. cit. Et communiter reliqui omnes theologi, de quibus plures refert Vasquez cap. 2. ubi etiam hanc sententiam sequitur, licet eam non nisi ex refutatione rationum contrariæ sententiæ confirmet, quas omittimus; tum quod apud eum facile legi possint; tum quod multa habeat de ea difficultate philosophica, qua quæritur : *An idem effectus possit esse a pluribus causis totalibus,* quæ nihil ad nos qui nec suppositi proprii rationem in negatione dependentiæ, nec assumptionem humanitatis a Verbo in ulla ejus a Verbo dependentia physica constituimus; tum quod præstet eamdem sententiam directe et positive confirmare.

Secunda affirmat et verius.

2. Ratio igitur nostræ sententiæ est, quod non repugnet, neque ex parte naturæ. Tum quia eamdem naturam assumi a pluribus personis divinis hypostatice nullius substantiæ aut naturæ conceptum proprium destruit. Tum quia, ut recte monet Sanctus Thomas, hac de re judicandum et statuendum potius est juxta conditionem personæ divinæ assumentis, quam juxta conditionem naturæ creatæ assumendæ. Tum quia ejusmodi assumptione, natura creata assumpta nihil confert ad hypostasim et personam divinam assumentem, quandoquidem, ut sæpius a nobis dictum et probatum est, natura creata assumpta, tota ratio personæ teneat se ex parte personæ assumentis, in Christo tota est ex parte Verbi Divini.

Non repugnat ex parte naturæ.

3. Neque item repugnat ex parte Personarum Divinarum : vel enim quatenus hypostases, aut quatenus divinæ, aut quatenus alienæ et non propriæ ipsi naturæ assumptæ. Non ex duobus prioribus capitibus, alioqui ne quidem possent simul consistere in eadem natura divina. Igitur non sese invicem excludunt a consortio ejusdem naturæ, sive divinæ, sive creatæ. In eadem enim natura semper erunt substantiæ, totæ, completæ, infinitæ et ab invicem discretæ : et semper tres : et illis tribus simul non magis perficietur natura assumpta quam una.

Nec ex parte Personarum Divinarum.

4. Neque repugnat ex tertio capite, quatenus *alienæ*. Quia si, ut propriæ, sese compatiuntur, multo magis quando erunt alienæ. Deinde, si esse hypostasim alienam, impedit ne tres divinæ eamdem naturam simul assumant, impediet etiam ne hæc, vel ab una persona divina assumi possit. Præterea, personam Filii v. g. esse hypostasim alienam naturæ humanæ in Christo, suo in conceptu non dicit eamdem naturam non posse assumi simul a Patre et Spi-

Nec ut alienæ sunt.

ritu Sancto. Denique, si divina virtute eidem naturæ creatæ simul inesse possunt plures modales subsistentiæ propriæ, ut vult De Lugo, multo magis alienæ, cum proprium communitati et consortio alterius magis repugnet quam alienum.

Duæ objectiones.

5. At duo objicit De Lugo. Primum, sicut repugnat naturam terminari simul in se et in alio; ita et terminari simul pluribus alienis personis et suppositis. Secundum, subsistentia est terminus naturæ; terminari autem est sisti, nec progredi ulterius. Igitur si natura creata subsistat et terminetur una subsistentia divina, terminari non poterit aliena.

Responsio ad 1.

6. Ad primum. Neganda est comparatio, propter manifestam disparitatem. Subsistere enim subsistentia propria et in se, vel formaliter, vel consequenter, dicit non subsistere in ullo alio, et quod subsistit in alio includit negationem subsistentiæ propriæ. At subsistere in alio, nec formaliter, nec consequenter, necessario dicit exclusionem alterius subsistentiæ alienæ. Quemadmodum qui liber suique juris est, quandiu liber est, alterius non est, nec servus ullius esse potest : qui vero servus est, non unius tantum, sed plurium simul dominorum servus esse et ad plures dominos pertinere potest.

Responsio prima ad 2.

7. Ad secundum. Respondeo primo, definitionem, qua subsistentia definitur *terminus naturæ,* et subsistere, esse *sisti in se, nec ulterius progredi,* esse definitionem subsistentiæ propriæ, non alienæ, quatenus aliena est, ut patet. Nam quod subsistit in alio proprie non subsistit, ut dictum est cap. 28. num. 4.

Responsio secunda.

Respondeo secundo, per hæc verba, *esse terminum et sisti,* in definitione subsistentiæ posita, non significari, quod putat De Lugo, scilicet, naturam ita sisti subsistentia propria, ut nulli alteri communicetur; alioqui natura divina subsistens per paternitatem, propriam ejus subsistentiam, non posset communicari Filio et Spiritui Sancto. Multo minus subsistere subsistentia aliena est naturam illam non posse communicari; imo quod subsistit in alio, ei in quo subsistit, necessario uniri et communicari debet. Subsistere igitur, seu esse terminum naturæ hoc loco, idem est ac esse substantiam, totam, completam, nec perfectione substantiali ulterius progredi, id est, non plus habere perfectionis substantialis, quod semper verissimum esset, eadem natura creata a pluribus personis divinis simul assumpta, cum tres personæ simul non sint una sola perfectiores. Vel denique illud *sisti et terminari, ac*

ulterius non progredi non de natura, sed de ipso supposito creato intelligendum est. Hoc enim nulli alteri supposito communicari potest, licet Divinum propter suam infinitatem naturæ creatæ communicari possit. Atque hoc argumentum a De Lugo minime proponi debuit, cum sit demonstrativum contra id quod defendit, posse plures subsistentias modales in eadem natura simul esse divina virtute. Cum enim quælibet, ex ejus sententia, sit terminus naturæ, quæ secunda adveniet, et naturam et primam subsistentiam extendet, facietque ulterius progredi in perfectione substantiali. Igitur prior non fuit, vel non erit amplius terminus, idemque dicitur de secunda et de aliis consequentibus.

Retorquetur argumentum.

8. Porro recte admonet S. Doctor ibidem solutione ad primum, quod in eo casu verum esset dicere, quod tres Personæ Divinæ essent unus homo, nempe propter unitatem ejusdem naturæ humanæ a tribus personis assumptæ, sicut nunc verum est dicere, quod tres Personæ Divinæ sunt unus Deus, propter unam naturam divinam. Nam *Ly unus homo* importat unitatem, non suppositi aut personæ, sed solum naturæ humanæ, cum, ut ait q. 9. de Potentia art. 6. in corpore, nomina substantiva primo substantiam significantia trahant numerum a forma significata, sicut adjectiva a suppositis, eo quod substantiæ individuentur et multiplicentur per subjectum.

Neque item, ex hoc quod esset unus homo propter unitatem naturæ, argui posset quod esset unus simpliciter, id est, quod non essent tres personæ, vel tres habentes eamdem humanitatem; quia homines simpliciter plures, inquit, *possunt esse unus quantum ad aliquid, ut unus populus.* Igitur sicut divina natura habet unitatem naturalem cum singulis personis divinis; ita natura humana ab illis tribus assumpta, haberet unitatem cum singulis per assumptionem, ut habet solutione ad secundum.

CAPUT LXX.

Possitne natura aliqua subsistere simul hypostasi creata et increata.

1. **1.** De hac difficultate singularis est opinio Petri Hurtadi in sua Metaphysica disp. 11. § 7. existimantis eamdem numero naturam posse divina virtute subsistere simul subsistentia divina et sua propria, quam putat esse formam realem ab ipsa natura re distinctam. Communis tamen theologorum omnium sententia est, id fieri non posse. Quare

2. Sententia affirmans est nova. **2.** Dico sententiam Hurtadi *novam*, *falsam, et impossibilem esse.* Quod sit nova et singularis probatur, quia a nemine hactenus in lucem edita est; et licet referat Suarem indicantem eam esse probabilem, et dicentem eam defensam a quibusdam viris doctis et gravibus, tamen nihil omnino habere probabilitatis manifeste constabit ex iis, quæ mox dicentur, nemoque hactenus præter illum eam commisit litteris.

Esse impossibilem 1. Argumentum. **3.** Quod sit falsa et impossibilis, probatur. Primo, quia simul esse totum et non esse; esse per se et non esse per se; esse in alio et non esse in alio sunt contradictoria. At eadem numero humanitas, v. g. quatenus subsistentiam propriam habebit, erit tota per se, sola et separata, et non in alio (hæc enim sunt de ratione subsistentiæ propriæ, vel eam necessario consequuntur); quatenus vero subsistet subsistentia aliena, v. g. Verbi Divini, erit non tota, nec per se, nec sola ac separata, sed unita alteri sibi additæ. Igitur implicat contradictionem.

2. Argumentum. **4.** Secundo, esse simul terminum rei et non esse, esse ultimum et non esse ultimum implicat. At subsistentia propria cum aliena existens, erit terminus naturæ ultimus (hæc enim est ejus ratio propria) et non erit, quia non terminabit naturam cui inest, nec impediet, quominus alteri uniatur et ulterius extendatur.

3. Argumentum. **5.** Tertio, quia sicut non potest eadem linea secundum eamdem partem affici puncto terminante ac dividente, et simul altero con-

tinuante illam, cum linea; nec idem homo simul esse liber et servus, sui juris et alieni, stare simul et sedere, vel stare per se et simul inniti alteri : ita nec natura eadem simul potest subsistere hypostasi propria et aliena, creata et increata.

6. Quarto, idem probatur ex eo quod natura subsistens duplici subsistentia agere et pati poterit, vel non poterit. Hoc secundum, nisi absurde, dici non potest. Quid enim impediat? Primum autem non minorem continet absurditatem. Illæ enim ejus actiones et passiones vel simul erunt ex duobus illis suppositis, vel ex uno tantum. Non unius tantum. Nam cujus? et cur unius potius quam alterius? Ergo utriusque, ut et ipsa natura utrique communis est. Hoc autem dici non potest, quia una eademque actio simul erit meriti et dignitatis finitæ et infinitæ. Finitæ, ut a persona finita procedet; infinitæ, ut ab infinita. Deinde illa natura, ut persona humana actu peccare poterit, ut divina non poterit simulque erit in gratia et non erit, si peccet. Quartum.

7. Eadem sententia videtur etiam parum consentanea doctrinæ fidei, quia enervat et inutilia reddit omnia argumenta, quibus Sancti Patres et theologi Nestorianam hæresim refellunt. Nam ex eo quod persona divina sit realiter unita humanitati sæpe colligunt, et Christum vere esse Deum, et unam in eo esse personam. Iidemque ex sola divisione naturæ humanæ a divina inferunt duas necessario esse in Christo personas, ut diximus supra cap. 30. At si fieri potest ut natura aliqua humana subsistat simul subsistentia propria et divina, ejusmodi SS. Patrum contra Nestorium argumentationes nullæ erunt. Doctrinæ fidei parum favet. 1.

Dicet enim Nestorianus, juxta sententiam Hurtadi, unionem realem humanitatis cum Verbo divino non obstare quominus hæc sit persona humana, sitque in ea aliquis modus eam informans et terminans, ac formaliter constituens in ratione personæ humanæ. Dicet alius, ex utriusque naturæ divisione, non rectè inferri personarum in Christo pluralitatem, quia sine divisione ac separatione plures esse possunt. Dicet Nestorius non Deum, sed hominem affectum, scilicet, illa personalitate humana beatam Virginem genuisse, Herodem persequutum esse, Judam vendidisse, et Judæos in crucem egisse. Ut infirme argumenta SS. PP.

8. Præterea cum ex communicatione idiomatum iisque Scripturæ locis, quibus homo Deus, et Deus homo, Verbum caro factum, Filius hominis Filius Dei, et de cœlo descendisse Filius hominis ac

in cœlo esse Joan. 3. dicitur; et universim, quæ Dei sunt homini; et quæ hominis sunt Deo tribuuntur, Ecclesia Sanctique Patres, ac theologi hypostasis et personæ in Christo unitatem contra Nestorium intulerint, ejusmodi illatio nulla erit, si eadem natura humana potest subsistere simul hypostasi divina ac humana. Dicet etenim Nestorius quod si album et dulce, quia simul uniuntur in lacte de se invicem prædicantur; etiam persona humana, et modus subsistentiæ creatæ, qui inerit humanitati assumptæ a Verbo, de eadem persona Verbi prædicari poterunt. Si enim omne quod est in humanitate assumpta, sive ejus pars sit, sive facultas, modus, aut quodvis accidens, de persona Verbi in concreto prædicari potest, cur non et ille modus subsistentiæ creatæ? dicetque Verbum divinum non solum naturam humanam, sed etiam personam assumpsisse.

Responsio. **9.** Neque satisfaciet qui dixerit, omne quod erit in tali humanitate, prædicari posse de persona Divina assumente, præter modum illum constituentem personam creatam diversumque suppositum; quia suppositum de alio prædicari non potest, ut patet in Personis Divinis, quæ licet identificentur uni et eidem naturæ divinæ, tamen
Refellitur. de se invicem prædicari nequeunt. Neque enim est par ratio, quia Personæ Divinæ ita sunt idem in natura divina, ut tamen, quod sola fides docet, suam ab invicem discretionem et oppositionem relativam retineant : modus autem ille subsistentiæ creatæ in ipsa natura assumpta discretus non erit, nec ab ea, ut patet, nec a persona assumente. Huic enim æque, ut minimum, conjunctus erit, ac intellectus, voluntas et cætera accidentia ejusdem humanitatis.

Objectio. At, inquit Hurtadus, non implicat contradictionem. Igitur, etc.

Responsio. Respondeo revera qui censent subsistentiam esse formam aut modum quemdam a parte rei a natura distinctum, vix ullam posse afferre veram contradictionem nullamque rationem sufficientem ad probandam rei impossibilitatem, ut apparet ex quatuor aut quinque rationibus quas refert et refellit Suarez de Incarnatione disp. 14. sectione 1. Quas, qui volet, apud eum legat. Quibus nihilo melior est ea quam, ut maxime sibi satisfacientem, ipse affert, cum ait, id impossibile esse, propter naturalem et specialem repugnantiam quæ est inter modum unionis hypostaticæ et modum subsistentiæ creatæ; et quod per illum natura sit formaliter in alio. Esse autem per se, et non in alio, et non esse per se, sed in alio, sunt contradictoria.

Nam neuter ex illis modis vel est, vel esse potest in rerum natura. Igitur incompatibilitas inde peti non potest. Nos vero non unam, sed plures paulo ante contradictiones perspicuas attulimus. Itaque negandum antecedens.

CAPUT LXXI.

An substantia aliqua prima sive subsistentia propria vel aliena existere possit.

1. Substantia, inquam, prima, quia pars substantiæ primæ, ut anima rationalis separata etiam naturaliter existit, sine ulla subsistentia propria vel aliena. Consulto etiam quæstionem proponendo abstinui vocabulis, *Tota et completa*, quibus utuntur aliqui, quod cum, juxta nostram de quidditate subsistentiæ opinionem, subsistentia prima tota et completa, idem sit quod hypostasis et subsistentia, evidentissime est substantiam existentem, si sit tota et completa, fore hypostasim, vel personam.

Prima sententia affirmat.

2. Ac naturaliter quidem id fieri non posse consentiunt omnes. Supernaturaliter autem et de absoluta Dei potentia varie opinantur. Cajetanus enim, quamvis existimet subsistentiam esse formam quamdam naturæ, eam disponentem ad existentiam recipiendam, tamen, ad art. 2. q. 4. 3. part. ad 4. Scoti, existimat divina virtute fieri posse, ut existentia naturam afficiat sine ulla forma vel modo subsistentiæ; quam sententiam Suarez disp. 34. suæ Metaphys. sect. 6. num. 25. probabilem judicat, quod in ea nulla appareat contradictio. Si enim Deus naturam sine suo modo subsistentiæ conservaret, esset illa quidem, inquit, in alio et per se, non positive, sed negative. Eamdemque defendit De Lugo disp. 12. de Incarnatione num. 93. ubi argumenta pro contraria sententia a Suare allata ex suis principiis (sed non recte) dissolvit; nullamque pro ea vel probationem, vel contradictionem affert.

3. Nam ad primum Suaris exemplum de figura, qua omni quantitas carere non potest, respondet, quantitatem posse esse sine figura situali, si ad punctum redigatur. Sed hoc perinde est

ac si dicens quantitatem posse esse sine figura quadrata, concluderet posse esse sine omni. Etenim, ut communiter duplicem in quantitate distinguunt extensionem; unam in ordine ad locum, quam ipse, credo, *situalem* appellat; alteram *intrinsecam*, et in ordine ad se, quam retinet, cum ad punctum redigitur : ita duplex est quantitatis figura ; una situalis et extrinseca in ordine ad locum ; altera intrinseca et in ordine ad se. Quod sic demonstrare licet. Figura aliud nihil est quam situs et ordo extremarum partium cujusque rei quantæ. Hæc autem ad punctum redacta, et tantum in ordine ad se extensa, ut partes medias, sic et extremas semper habet. Et ut mediæ suum retinent internum situm et ordinem, quatenus eamdem habent cum iisdem partibus continuationem, quam habent extensæ; ita et extremæ suum etiam inter se ordinem, situmque retinent. Igitur quantitas in ordine ad se necessario figuram aliquam habet. Et Suarez, qui figuram modum esse putat a quantitate distinctum, dicet illo modo affici et informari necessario quantitatem, etiam ad punctum reductam.

Figura duplex.

4. Ad secundum autem Suaris exemplum de *ubi*, sine quo nulla res existere potest, concedit ita esse, et addit specialem esse repugnantiam; quia sequeretur rem *ubi* destitutam, esse distantem ab aliis et simul non esse distantem. At utrumque est falsum.

Primum quidem, quia sine *ubi* et loco res esse potest; ut diximus supra cum Philosopho 4. Phys. text. 43 et 45. ubi ait primum cœlum nullibi esse.

Et sane mirum est eos, qui Sanctum Thomam materiam primam, rem, ut ait Augustinus, *pene nullam et prope nihil*, non posse existere sine forma defendentem tam longe repellunt hoc uno argumento, quod existentiam propriam habeat, tam constanter nihilominus tueri non solum modos, quibus etiam propriam existentiam tribuunt, sed quamlibet substantiam totam et completam, v. g. hominem, arborem, solem, sine modo intrinseco *ubi* ne divina quidem virtute in rerum natura conservari posse.

Lib. 6. Confes. cap. 6. et 8.

5. Secundum item est falsum. Inde enim nullo modo sequitur contradictio quam opponit. Nam inter duas res sine *ubi* et loco existentes, vel quoddam spatium reale est, vel nullum est. Si est aliquod, omnino distabunt ab invicem, ut si unus homo esset in Zenith extra mundum supra cœli verticem, et alter in Nadir distarent tota mundi diametro. Si vero nullum est intermedium spatium, nec rectum, nec curvum; non distabunt. Aliqua enim

Rem esse sine *ubi* nullam involvit contradictionem.

distare realiter est reali aliquo spatio interjecto disjungi. Inter hos autem nullum est reale spatium, sed solum quoddam *spatiosum nihil,* ut cum Augustino loquar. Tum quia in omni distantia sunt medium et extrema; nihil autem, nec medium, nec extremum habet. Tum quia, ut nullus est homo, nisi sit hic vel ille homo; ita nulla esse potest distantia, nisi sit hæc vel illa : at duo homines in vacuo, vel in inani nulla certa et determinata distantia disjungerentur. Quæ enim et quanta esset? cum a Deo qualibet creari et qualibet disjungi possit. Tum quia omnis distantia est aliquid mensurabile ejusque mensura est linea recta; quia sola certa et finita est lib. 5. Phys. text. 24. Nihil autem nulla linea, sive recta, sive curva mensurari potest. Tum quia omnis distantia est, vel media, vel ultima, quæ contrarietas secundum locum dicitur ex Aristotele ibidem. Neutra autem esset inter duos homines in inani existentes. Igitur non distarent ab invicem. Lib. 7. Conf. cap. 1.

Dices, si non distant; ergo sunt simul. Nego consequentiam. Tum quia, si non distare ab aliquo est esse simul cum eo, omnia entia et possibilia et impossibilia, ut chymæra, simul erunt tecum. Hæc enim a te non distant. Tum quia illa sunt simul loco (de hac enim simultate hic agitur) quæ sunt in uno et eodem loco primo 5. Phys. text. 22. Quod autem nullo est in loco, quî potest dici esse in eodem loco primo cum alio? Igitur inferri tantum debet quod illa duo, neque sunt simul, neque distant ab invicem. Instantia responsio.

6. Atque hic intellectus noster imaginationem et ratio sensum corrigere debet. Nam quia in aere qui oculis non cernitur, atque adeo nihil esse vulgo putatur, et nubes, et aves distantes ab invicem ac volantes videntur, propterea in vacuo et inani id fieri posse sibi fingit imaginatio. Verum ut volare, ubi non est aer, et natare, ubi nulla est aqua, est impossibile; ita et moveri, et distare aliqua, ubi nullum est spatium reale, est impossibile. *Intellectioni* enim, seu imaginationi, ut ait Philosophus lib. 3. Physic. text. 73. *credere inconveniens est. Unumquemque enim nostrum intelliget utique aliquis multo majorem seipso, augmentans in infinitum; sed non propter id extra urbem quispiam est, extrave tantillam magnitudinem quam habemus, quoniam intelligit aliquis; sed quoniam est.* Itaque quemadmodum, cum dicitur esse aliquis extra vel supra mundum, illud *extra* vel *supra* ima- Aristoteles.

ginarium tantum est, et per negationem realis extra, ut notant Alensis in text. 29. libro 12. Metaphys. Sanctus Thomas ibidem lect. 5. et lib. 2. contra Gent. cap. 36. Ægidius Romanus 8. lect. 4. quia intra et extra realia, sunt differentiæ loci, illudque proprie est extra, quod est in alio loco; ita distantia vera et realis, est eorum tantum qui spatio reali distant, quod nullum est extra mundum.

Alensis. S. Thomas. Ægidius Romanus.

Sententia negans est vera.

7. Verum, ut ad quæstionem propositam redeamus, etsi nullam modistæ afferre possint contradictionem, ob quam nulla substantia prima existere possit sine subsistentia propria vel aliena, nihilominus hoc defendit Suarez supra, tanquam probabilius et nos verissimum esse putamus. Nam, in nostra de hypostasis quidditate et indistinctione reali a natura opinione, aliter fieri non posse manifeste demonstratur hunc in modum. Inter contradictoria nullum est medium. Ergo nec inter esse per se et non esse per se; esse unitum alteri et non unitum seu separatum ab alio; esse in alio et non esse in alio. Omnis autem substantia prima existens, si est per se, si sola et separata ab alio, si non est in alio per modum partis, est hypostasis propria. Si vero est in alio et non per se, si unita alteri et non sola, est in hypostasi aliena. Igitur impossibile est ullam in medio aliquo statu consistere.

Probatur.

Deinde totum et pars opponuntur contradictorie saltem consequenter. Totum enim est extra quod nihil est, quod sit ejus. Pars vero extra quam est aliquid ejus in quo est. Omnis autem substantia prima existens necessario est, vel tota, vel pars. Nam totum et pars, perfectum et imperfectum, ut entis in universum, sic et cujuslibet speciei entis sunt modi. Ergo et substantiæ. Igitur omnis substantia necessario est perfecta, vel imperfecta substantia. Si primum est hypostasis propria; si secundum est aliena.

Tertio. Omnis substantia existens vel est alicujus, vel nullius. Si est alicujus, cujus erit vel pars, sive integrans ut pes, manus in homine, sive essentialis, ut anima et corpus in eodem homine; vel erit assumpta ab alia ut humanitas Christi est Verbi divini. Igitur erit hypostasis aliena, seu erit in alio, ut in supposito. Si est nullius suique juris, erit hypostasis propria.

Objectio Responsio.

8. Neque dixeris, substantiam primam existentem negative tantum per se, et totam fore. Tum quia, nullus datur modus sub-

sistentiæ, quo positive perficiatur, ut probatum est supra. Tum quia ratio totius et perfecti positiva est et non negativa, ut ostendimus supra cap. 18. Tum quia, unumquodque est totum per suas partes, non autem per negationem, nec per ullum modum, etiamsi daretur, cum nullus sit pars rei. Tum quia alioqui omnis hypostasis et persona negative tantum esset per se et tota, quia non est in alio. Igitur omnino implicat dari substantiam primam sine subsistentia propria, vel aliena.

Estque sententia S. Thomæ, quia nullum agnovit modum subsistentiæ a natura distinctum, et quia id manifeste intelligitur ex iis locis, quos citavimus cap. 23. num. 11. in quibus diserte habet, quod si Verbum deponeret humanitatem, et si hæc illi non conjungeretur, *hoc ipso* subsisteret et esset persona, utique propria. Non enim esset aliena. Nam si posset esse sine subsistentia propria vel aliena, ex hoc ipso quod desineret esse aliena, non esset propria. Igitur alterutra necessario esse debet.

CAPUT LXXII.

Summa et brevis illatio eorum fere omnium quæ hoc libro continentur, ex uno principio et ex una hypostasis definitione.

Quæ a nobis toto hoc libro exposita sunt de hypostasi et persona, ea fere omnia hoc capite in pauca contrahimus, tum memoriæ causa, tum ut ordine pressimque posita, et principio unde fluunt, hoc est, definitioni hypostasis cohærentia, mutuam sibi lucem faciant fidemque certiorem.

Nam ex hac hypostasis definitione : *Substantia prima tota, vel substantia individua, integra et perfecta;* Sanctorum Patrum, doctorum theologorum et philosophorum auctoritate, inductione et syllogismis logicis, hoc est, modis omnibus, quibus potest, plenissime confirmata, evidenter necessario et demonstrative sequitur :

1. Nullum ens rationis, nullumque ens fictitium, apparens, intentionale et objectivum, sive in sensu, sive in intellectu

Cur ens rationis

Accidens 2. Accidens nullum, physicum et inhærens

Universale 3. Substantiam secundam nullam, nullumque universale

Forma 4. Formam substantialem nullam, sive actu informantem, sive separatam, ut anima rationalis extra corpus

Pars 5. Partem nullam, sive essentialem, sive integrantem

Modus 6. Modum nullum modaliter a parte rei a substantia distinctum

Existentia non sint hypostasis. 7. Existentiam nullam, sive a natura re distinctam, sive non, esse hypostasim vel subsistentiam; quia horum omnium nullum est substantia prima tota, vel substantia individua, integra et incommunicabilis :

Negatio. 8. Negationem nullam esse de conceptu intrinseco hypostasis et suppositi; quia nullo prædictæ definitionis termino negatio includitur.

Triplex perseitas in ea includuntur. 9. Adæquatam rationem hypostasis constitui ex triplici perseitate et perfectione, videlicet *perseitate substantiæ,* qua opponitur accidenti, *perseitate singularitatis,* qua opponitur secundæ et universali substantiæ, et *perseitate ac perfectione totalitatis,* qua opponitur parti et substantiæ imperfectæ. Hæ enim tres hypostasis definitione continentur.

Quæ habeat rationem differentiæ. 10. Quod cum perseitas et perfectio *totalitatis* in hypostasis definitione habeat rationem differentiæ ultimæ, ea vel sola a quocumque sublata, duabus aliis remanentibus, ab eo perit hypostasis propria, ut patet, tum in humanitate Christi, tum in omnibus substantiis, sive homogeneis, sive heterogeneis; cum suam totalitatem conjunctione cum aliis amittunt fiuntque partes.

Perit divisione et adjectione. 11. Quod totalitas et integritas substantiæ in rebus creatis duobus modis tolli potest, nempe *divisione* partium, seu *detractione alicujus,* et sola *adjectione* alterius substantiæ. Ideoque angeli hoc secundo tantum modo; substantiæ vero materiales et compositæ utroque suam totalitatem, atque adeo hypostasim propriam amittere possunt.

12. Naturam et substantiam primam esse quidem de ratione intrinseca hypostasis, non contra. Hæc enim sine illa esse non potest; illa vero sine hypostasi et sine totalitate substantiæ et concipi et esse potest, ut patet in humanitate Christi.

Est propria vel aliena. 13. Omnem naturam singularem existentem necessario vel esse hypostasim propriam, vel in aliena esse; quia necessario est vel substantia tota et per se, vel non tota, nec per se, sed in alio; ut pars in toto, imperfecta in perfecto.

14. Hypostasim et personam propriam ratione totalitatis substantialis quam includit, nec non etiam ratione singularitatis et individuationis, non realiter, sed solum ratione differre a natura, cum nullius rei totalitas et singularitas ab ipsa re differat. Si tamen natura sumatur inadæquate, eo modo et sensu quo vult Sanctus Thomas sumi posse in substantiis materialibus, nempe pro *sola forma*, cui ipsa materia singularis singularitatem et individuationem tribuit; tunc re distingui. Sicut etiam si hypostasis sumatur pro omnibus, quæ ei insunt, etiam accidentibus; cum in rebus creatis accidentia semper sint aliqua a substantia prima et particulari re distincta. Ratione tantum differ.

15. Incommunicabilitatem positivam et suppositi propriam idem esse quod substantiæ totalitatem, seu esse ipsam substantiæ, sive simplicis, sive compositæ perfectionem, qua est tota, non pars; est per se, non in alio, more partis, hoc est, in alio se perfectiori et a quo perficiatur. Omnis enim pars a sua comparte perficitur, et ipso toto, in quo est, minus perfecta est.

16. Omnem subsistentiam alteri, a qua substantialiter perficitur unitam et communicatam non esse hypostasim; quia non est substantia tota et integra habetque modum partis. Unde, quia omnis substantia creata, cum sit finita, alteri, sive increatæ, sive creatæ substantialiter unita, imperfectior est ipso toto, in quo est, habetque rationem partis, sequitur

17. Universim nullam substantiam creatam alteri creatæ unitam, eam habere hypostasim quam haberet separata; quia unita alteri, non est amplius substantia tota, et per se, et incommunicabilis, ut erat antea, sed habet rationem partis.

18. Nullam naturam, hypostasim aut personam creatam posse aliam assumere sibique unire, ita ut remaneat eadem hypostasis aut persona, quia, ut dictum est, unita alteri habet rationem partis constituitque aliam hypostasim. Cur hypostasis creata aliam naturam non possit assumere.

19. Humanitatem Christi, hypostasim et personam humanam non esse, non absentia ullius formæ vel modi ab ea re distincti, sed additione et unione substantiali Verbi divini cum ea, qua factum est, ut et totalitatis ac integritatis substantialis quam persona propria requirit, jacturam fecerit, et aliquem partis modum induens in ipsa Verbi persona subsistat.

20. Personas Divinas propter naturæ et substantiæ suæ infinitatem, inamissibilem et a natura inseparabilem habere personalitatem; Cur persona Verbi in Christo remaneat.

ac Verbum divinum in Christo humanitati realiter et substantialiter unitum et communicatum, suam nihilominus retinere hypostasim et personam propriam, quod substantiæ suæ totalitatem et perfectionem retineat, et quod propter suam infinitatem ab humanitate sibi assumpta vel etiam a toto mundo, si eum substantialiter assumeret, majus et perfectius fieri non possit.

21. Hypostasim et personam Christi, cum ad ejus totalitatem et perfectionem substantialem nihil conferat humanitas, non esse in se compositam, sed ipsam unam, simplicem, æternam, et relativam hypostasim Verbi divini, totam et solam esse personam Christi. In qua una, et ipsa natura divina per identitatem et humana natura per conjunctionem subsistunt, et mille aliæ, si tot vel etiam plures vellet assumere, subsisterent.

Cur aliud natura, aliud hypostasis.

22. Recte a Sanctis Patribus dictum est, *aliud esse naturam, aliud hypostasim,* quia ratione differunt, propter singularitatem et totalitatem substantiæ quam hypostasis addit naturæ.

23. Quod licet plures naturæ sive substantiales, sive accidentales, de eadem numero hypostasi in concreto prædicari possint, quia scilicet plures naturæ in ea una esse possunt; hæc tamen de pluribus prædicari non potest, quia non est in pluribus; imo in nullo.

24. Hypostasim aliam esse simplicem, aliam compositam. Sic enim dividitur substantia prima tota.

25. Impossibile esse hypostasim compositam componi ex subsistentiis partialibus : proindeque nullas dari subsistentias partiales; quia ratio partis pugnat cum ratione totius, quæ includitur in conceptu hypostasis.

26. Quod hypostasis et suppositum in quolibet est habens, seu quod habet reliqua; cum ipsum non habeatur ab illis sitque per se, non in alio.

27. Hypostasis et suppositi proprie est existere et esse.

28. Ejusdem esse *agere et pati,* atque adeo in personis, quæ mutationis capaces sunt, nasci, mori, subjici, recipere, bene vel male agere, mereri, vel demereri; quod habere, esse, agere, pati sint totius, et non partis. Hypostasis autem est substantia tota.

29. Nullam naturam creatam subsistere posse simul pluribus subsistentiis creatis, nec una creata et altera increata; quod id pugnet cum ratione hypostasis propriæ.

In una natura divina quare plures hypostases.

30. In una simplici Divina Natura posse esse plures hypostases;

quia in ea una possunt esse plures res realiter distinctæ, totæ et perfectæ ob ejus infinitatem.

31. Posse quamlibet Personam Divinam assumere simul plures naturas creatas, vel numero tantum, vel specie distinctas; quia eamdem semper retinet totalitatem, nec unius, nec plurium assumptione fit perfectior.

32. Incarnationis mysterium et commode perfici et recte intelligi et explicari posse, illæsa humanitate Christi, nullaque forma aut modo re distincto ab ea exulante.

33. Non consistere in eo quod humanitas existat existentia Verbi Divini.

34. Humanitatem assumptam a Verbo Divino proprie non sustentari, nec ejus hypostasim suppleri; sed excludi et impediri.

35. Humanitatem Christi a Verbo Divino proprie haberi, possideri, et ejus esse peculiari modo, et singulari quodam jure, quo non est Patris aut Spiritus Sancti; quia est ejus suppositum. Suppositi autem et totius est habere.

36. Ejusdem humanitatis non esse, sed proprie hypostasis Verbi Divini per humanitatem, mereri, satisfacere, agere, pati, nasci, mori, etc., eadem de causa.

37. Christum Dominum esse impeccabilem.

38. Beatam Virginem vere et proprie Matrem Dei esse, cum hominem Deum seu humanitatem, ut est in supposito divino, genuerit.

39. Actiones Christi per humanitatem, ut finitæ entitatis fuerint, infiniti tamen meriti et infinitæ satisfactionis, et valoris, et dignitatis infinitæ fuisse; quia fuerunt a supposito divino infinite digno.

Quæ definitiones hypostasis sint rejiciendæ. Aristoteles.

40. Eadem definitione refelluntur et falsitatis arguuntur aliæ omnes hypostasis et subsistentiæ definitiones a recentioribus pro arbitrio fabricatæ. Cum enim, ut ait Philosophus libro 6. Topicorum sub finem, nec unius rei duæ, nec duarum una definitio esse possit; et ut in rebus ac conventibus publicis posterior lex, si melior est, priorem abrogat : sic, inquit, in definitionibus, quæ melior est reique naturam facit magis perspicuam, interimit quamcumque aliam.

41. Per hanc eamdem hypostasis definitionem præciduntur plurimæ quæstiones, imo et disputationes integræ de modali subsistentia, ejusque emanatione, productione, corruptione, duratione, contrarietate et compositione, quas habent nonnulli recentiores. Ac plurima quæ de ea tradunt, Aristoteli ac D. Thomæ omnibusque

et theologis; et philosophis antiquioribus inaudita, vel etiam solidæ et communi eorum doctrinæ repugnantia, funditus evertuntur.

Humanitas Christi non appetit propriam subsistentiam.

Ac NOMINATIM evanescit quæstio illa, quam Cajetanus 3. part. q. 4. art. 2. agitat, aliique post eum. *An humanitas Christi retineat appetitum naturalem ad suam subsistentiam et personalitatem humanam.* Si enim subsistentia propria non est forma aut modus ab humanitate diversus, quî potest humanitas id appetere, quod nec est, nec esse potest? Si est in Verbo et in Christo, ut pars in toto, et in eo statu, quo altior digniorve nullus esse aut cogitari potest, quis in quæstionem vocet, an pars a suo toto, et humanitas a Verbo et Christo separari appetat?

D. Thomæ dictum.

NEQUE est quod dicat Cajetanus, hujus instituendæ quæstionis occasionem sibi a S. Thoma datam esse solutione ad 3. ubi explicans dictum Innocentii Pontificis, *persona Dei consumpsit personam hominis,* ita loquitur *: Ad tertium dicendum, quod consumptio ibi non importat destructionem alicujus, quod fuerat prius, sed impeditionem ejus, quod aliter esse posset. Si enim natura humana non esset assumpta a divina persona, natura humana propriam personalitatem haberet, et pro tanto dicitur persona consumpsisse personam, licet improprie, quia persona divina sua unione impedivit ne humana natura propriam personalitatem haberet.*

Exponitur.

HÆC ENIM responsio nulla est ullius absentis modalis subsistentiæ insinuatio; et impedire id quod aliter esse posset, id est, ne humanitas, quam persona divina assumpsit, haberet personalitatem propriam, non est impedire, ne formam aliquam habeat, aut modum aliquem ab ea excludere, aut ei aliquid detrahere, sed contra, est ei aliquid addere. Nam quemadmodum, ut alio loco diximus, volens ducere pedalem lineam, si longiorem trahat, aut pedali jam existenti aliquid longitudinis addat, illa ipsa additione facit, ut aliter sit, quam fuisset, impeditque ne pedalis sit; sic, ut ibi diserte habet S. Thomas, persona divina sua unione impedivit ne humana natura haberet propriam personalitatem : idemque adhuc longe expressius dixerat immediate ante in solutione ad secundum. Uno verbo, est impedire ne humanitas esset separata et esset homo alter, ut loquitur S. Leo Epist. XI. ad Julianum episcopum. *Nec Verbum in carnem, nec in Verbum caro mutata est : sed utrumque in uno manet, et unus in utroque est, non diversitate divisus, non permixtione confusus, nec alter ex*

S. Leo Pontifex.

Patre, alter ex matre, sed idem aliter ex Patre ante omne principium, aliter de matre in fine seculorum.

Præter hæc omnia corollaria sunt adhuc alia, ad alias materias theologicas pertinentia, v. g. *Relationes divinas esse perfectiones quasdam*, cum hypostasis formaliter dicat perfectionem et totalitatem. *Nullam in Deo esse subsistentiam absolutam et communem*, proindeque *Incarnationem in ea fieri non potuisse*, et similia, quæ ex tradita et explicata a nobis hypostasis definitione nullo negotio erui suisque locis collocari poterunt.

CAPUT LXXIII.

Epilogus.

Sed ut extremum habeat finemque noster hic labor de hypostasi (nam et ipsa terminus et complementum ultimum dicitur) propositum nobis erat Sanctorum Patrum, Doctoris Angelici, et antiquorum theologorum de hypostasi et persona doctrinam declarare, et ostendere augustissimum Dominicæ Incarnationis mysterium nulla ab humanitate Christi ejecta, vel exclusa, sive existentiæ, sive subsistentiæ forma, aut modo ab ea re distincto, integre perfici et constare posse, idque nec factu, nec intellectu impossibile esse, imo aliter mysterium Incarnationis exponere, nec Scripturæ, nec Sanctis Patribus, nec ejus veritati satis consentaneum esse. An id a nobis perfectum sit, ex commemoratis et discussis variis opinionibus et ex allegatis utrinque argumentis et responsionibus Lector æquus et intelligens pro arbitrio judicabit.

Scopus auctoris.

Idemque ex iisdem intelliget theologos ac philosophos de hypostasi (quod et in aliis quæstionibus non raro eis accidit) varie sentientes ac disputantes similes iis hominibus esse, qui excelsæ ac tam mole quam opere celebratissimæ pyramidis quadrilateræ, quales erant Memphiticæ, videndi cupiditate adducti, ad eam hoc artificio et ea materiæ diversitate constructam, ut qua Orientem aspicit, ex vulgari exurgat marmore, qua Meridiem, porphyretico, qua Occidentem, lateritio et tessellato opere et qua Sep-

Quibus similes theologi et philosophis

tentrionem, e quadro stet lapide, propius accesserint. Hanc, si qua cuique occurrit facie, aspexisse oculis et manu tetigisse contenti, domum redierint, totam ex ea constare materia quisque putabit, qua illam vidit et tetigit.

Quibus casu, nescio quo, postea in unum coeuntibus, si de pyramide hac sermo inciderit, quæ tunc inter eos pugna aspera surgat? quæ dimicatio? qui animorum, opinionum et sermonum conflictus? Certo certius affirmabit ille totam marmoream esse; alter, non aliam esse quam porphyreticam; tertius jurabit omnino lateritiam esse; quartus, cæcutiisse illos omnes, qui non adverterint eam ex communi stare lapide : omnes pari fide, iisdemque visus et tactus testibus freti. Tantos animorum motus quis componat? Quis tam acrem litem contentionemque dirimat? Is nimirum, qui pyramidem illam totam obierit, et quaquaversus perlustrarit, notaritque hanc materiæ in tanta mole et substructione diversitatem. Nempe, recte omnes dicere, sed ex parte; pyramidem vere talem esse, qualem quisque dixit ex ea parte qua illam vidit : at ex aliis non talem pronunciabit.

Haud absimiles tu nunc, Lector, esse theologos ac philosophos de subsistentia disputantes existimabis, ac plerosque (quod in simili causa de aliis lib. 1. de Generat. textu 48. dicit Philosophus;) *non ad totum, sed ad partem,* respexisse, dicesque illos, a quibus dissentimus, nec nihil recte, nec omnia bene dixisse, sed, ut sæpe fit, vera falsis miscuisse.

Quid bene, et quid male in hac materia a nonnullis dictum sit.

Ac antiquos illos hæreticos a nobis supra capite 6. commemoratos, qui hypostasim a natura, nec re, nec ratione distinguerent, in eo quod re nollent distingui, bene; in eo vero quod ne ratione quidem distinctas esse vellent, male omnino sensisse. Alios contra, qui utroque modo distingui affirmant, quod eas ratione distinguant, bene; quod autem etiam re, et ex parte rei, non bene opinari.

Verum item esse quod ait Scotus et qui eum sequuntur, hypostasim habere incommunicabilitatem, sive actualem, sive aptitudinalem, et ejusmodi negationes illi inexistere; at illas esse de ratione intrinseca hypostasis et personæ, non esse verum.

Recte item a Cajetano dictum subsistentiam non esse formaliter rei existentiam, et hanc illa posteriorem esse; at falso tria doceri. 1. Subsistentiam esse formam a natura et existentia re distinctam. 2. Humanitatem Christi existere per existentiam Verbi Divini. 3. Hanc doctrinam esse S. Thomæ.

Præterea quod alii asserunt subsistentiam esse terminum ultimum et complementum naturæ, id quidem verum esse, quod hypostasis essentialiter importet aliquid integrum, sitque substantia completa et perfecta. At quod dicunt illam perfectionem, illum terminum, illudque complementum esse formam a natura modaliter a parte rei distinctam, id non esse verum.

Verum item esse quod subsistentia et hypostasis est modus aliquis naturæ, etiam individuæ ac singularis. At falsum, esse modum ab ea re distinctum cum ei aliud nihil superaddat quam individuationem et totalitatem substantiæ : qui modus, et singularitatis, et totalitatis substantiæ ratione tantum a natura differt.

Recte etiam dici hypostasim a natura, hac manente, abesse, et aliquo modo separari posse, ut sensus et ratio docent in homogeneis, cum ad invicem uniuntur, et fides in humanitate Christi. At falli qui putant dicuntque separari per se et abesse detractione alicujus formæ, aut modi realis distincti; cum sanctissima Christi Domini humanitas prorsus integra sit et intacta.

Itaque illud Dei ad Cain Gen. 4. juxta versionem Septuaginta : *Si recte offeras, et non recte dividas, peccasti;* quod Ambrosius iis accommodat, qui de Christo ejusque Incarnatione partim bene, partim male sensere; non nemo etiam prædictis theologis applicarit dixeritque, eos, in quo bene sentiunt de hac quam tractavimus Incarnationis materia, recte offerre; in quo vero a nobis dissentiunt, non recte dividere. Lib. de Incarnatione. Cap. 1. 2. 3. 4.

Quanquam, ut hoc parergon coronidis loco huic nostro attexam operi, locus ille Geneseos, qui nonnullis inexplicabilis, aliis mendosus, omnibus visus est perobscurus, et in quo exponendo præstantissima quæque SS. Patrum et interpretum Scripturæ ingenia tantopere desudarunt, mihi longe aliter quam vulgo soleat, ad litteram explicari posse videatur. Nam cum juxta dictam versionem Græcè sic habeat, Ουκ ἐὰν ὀρθῶς προσενέγκῃς, ὀρθῶς δὲ μὴ διέλῃς, ἥμαρτες; ἡσύχασον. Πρός σὲ ἡ ἀποστσοφὴ αὐτοῦ, καὶ σὺ ἄρξεις αὐτοῦ. *Nonne si recte offeras, non recte autem dividas, peccasti? Quiesce : ad te enim conversio ejus; et tu dominaberis illius,* duæ potissimum locutiones ei tenebras offundunt. Prima est, *si non recte dividas.* Secunda, *ad te conversio ejus.* Quid enim sit illa *conversio,* et quid referat relativum, *ejus,* non satis claret. Primam quidem Augustinus lib. 15. de Civitate Dei, cap. 7. sic interpretatur. *In hac admonitione,* inquit, *quam Deus protulit ad Cain, illud* Expositio S. Augustini.

quidem, quod dictum est : Nonne si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti; quia non elucet cur vel unde sit dictum, multos sensus peperit hujus obscuritas, cum Divinarum Scripturarum quisque tractator secundum fidei regulam id conatur exprimere. Recte quidem offertur sacrificium, cum offertur Deo vero, cui uni sacrificandum est. Non autem recte dividitur, dum non discernuntur recte, vel loca, vel tempora, vel res ipsæ quæ offeruntur, vel qui offert, vel cui offertur, vel ii, quibus ad vescendum distribuitur, etc. Idem fere habent aliqui omnes et Patres et interpretes, ac nominatim Ambrosius supra et lib. 2. de Cain et Abel : ubi ait Cain non recte divisisse et in eo peccasse, quod Deo frugum suarum primitias, et adhuc earum non optimas, sed deteriores, rarius ac negligentius Deo offerret. Hieronym. in Quæst. Hebraicis, Cyrillus lib. 2. in Genesim, Chrysostom. homil. 18. in Genes., Pererius, Gordonus, Fernandez, Bonfrerius, Cornelius a Lapide in illum locum, Salianus ad annum mundi 130 et alii.

Improbatur hæc expositio. 1. Ratio.

Verum hæc expositio minus probanda videtur. Primo quod secundam sententiæ partem primæ repugnantem faciat. Qui enim non recte dividit, hoc sensu quod Deo vel deteriorem, aut minorem partem, aut non suo loco, tempore, et modo convenienti offert, is non potest dici recte offerre. At diserte ait Deus Cain quod, etiamsi recte offerat, si tamen non recte dividat, peccat.

Secunda.

Secundo, quia textus Hebræus, ut notat Bonfrerius in illum locum, si de verbo ad verbum reddatur, sic habet. *Nonne si bene egeris offerendo, et non bene egeris ad dividendum, peccasti.* Hic autem loquendi modus, non bene agere ad dividendum, indicat actionem diversam et non pertinentem ad oblationem et sacrificium rite offerendum,

Tertia.

Tertio. Nolebat Deus his verbis Cainum suæ in sacrificiis offerendis indevotionis et negligentiæ arguere, et de irreligione admonere. Id enim jam præstiterat facto ipso, quando respexit ad Abel et ad munera ejus; et ad Cain et ad ejus munera non respexit. Sed ejus, quam inde conceperat, invidiæ et odii fraterni eum commonefacere, et a nefaria voluntate occidendi fratrem revocare volebat. Igitur hæc verba Dei eo spectant et de his peccatis sunt intelligenda.

Quarta.

Quarto. Sicut reticentia quadam, his verbis, *Si recte offeras* subauditur *Deo;* ita eadem sermonis elegantia, his aliis, *et non*

recte dividas subintelligi debet *cum fratre*. Non recte autem dividere cum fratre est inique cum illo agere, et ipsum damno aut injuria afficere; sicut recte cum illo dividere, est juste, et, ut æquum est, cum illo tractare, ex æquo partiri. *Dividere* enim interdum idem est ac jus dicere, sententiam ferre, cum alio contrahere ac commercium habere, et aliquid cum eo partiri: idque, si ex æquo, et ut jus ac ratio postulant, est recte dividere; si secus, est non recte dividere.

Dividere aliquando juste vel injuste agere.

Quæ verbi *dividere* acceptio, ne nova gratisque a nobis conficta videatur, ea tum ex factis, tum ex prophanis auctoribus probanda est. Ac primum Job. cap. 21. ubi momentaneam impiorum felicitatem et in ea Dei oblivionem ac contemptum descripsit pluribus de eodem justam ab eis post interitum pœnam exigente, ita loquitur: *Quoties lucerna impiorum extinguetur et superveniet eis inundatio et dolores dividet furoris sui.* Ubi *dividere ac distribuere dolores,* idem est ac juste et pro peccatorum meritis pœnam impiis irrogare, ut exponunt Hieronymus, Philippus, Cajetanus, Vatablus, Pineda ibi.

Job.

Deinde Christus Lucæ 12. petenti cuidam a se, ut juberet fratrem secum dividere hæreditatem dixit: *Homo, quis me constituit judicem, aut divisorem super vos.* Credibile enim est eum qui e media turba sic Christum compellavit, a fratre paternam hæreditatem cum ipso, vel nullo modo, vel non ex æquo dividente injuriam passum; ideoque a Christo, quem Messiam, eumdemque judæorum errore regem ac judicem temporalem habebat, petiisse, ut tanquam judex decerneret, et inter eos juste divideret paternam hæreditatem. Præterea Matth. 24 et Luc. 12. Veniet *dominus servi illius in die qua non sperat, et hora qua nescit, et dividet eum partemque ejus cum infidelibus ponet;* per illud, *dividet,* non sola separatio, sed ipsum etiam judicium ac sententia in petulantem illum servum significari videtur.

Christus.

Sed ad hanc verbi *dividere* significationem demonstrandam insignis locus est apud Aristotelem libro 5. Ethic. cap. 4. *Jus,* inquit, *medium quoddam est, siquidem et judex. Judex autem ad æqualitatem redigit, et quemadmodum si linea in duas inæquales partes divisa sit, illud, quo major pars dimidium excedit ab ea aufert, et adjungit minori; cum autem totum æqualiter fuerit bipartitum, tum vero suum se habere inquiunt, cum æquum quisque acceperit. Æquum autem medium est pluris et paucioris arithmetica pro-*

Aristoteles.

portione. Ac propterea appellatur jus δίκαιον, *eo quod* δίχα, *id est, bifariam divisum est; quasi* διχαιον, *id est, bipartitum dixeris, et judex* δικαστής, *quasi* διχαστής, *id est bipartitor.*

Et certe cum duæ sint justitiæ species; distributiva, ut ipsum nomen admonet, in quadam vel honoris, vel pecuniæ aliorumque bonorum publicorum divisione ac distributione aperte consistit; necnon etiam commutativa, quia cum in privatis hominum inter se commerciis, ac in mutua actionum, officiorum ac rerum communicatione plus, minus, et æquum ac justum reperiantur, propterea in ipsis necessario partitio, et divisio quædam intervenit. Ideoque Aristoteles. Philosophus loco citato, *cum hic,* inquit, *percussus est, ille percussit; hic interfecit, ille autem interiit; affectio et actio in partes non æquas divisa est.* Et capite præcedenti ait pugnas et criminationes oriri inter homines simul unientes, *cum aut æquales non æqualia, aut non æquales æqualia habent et potiuntur.* Legantur reliqua quæ ibi tradit Philosophus.

Cum igitur hominum inter se societas et commercium sine aliqua vitæ, actionum, officiorum, et rerum communicatione et commutatione, atque adeo sine horum divisione et mensura aliqua esse nequeat; si ejusmodi communicatio sit æqua et justa, divisio recta; si injusta et iniqua, non recta divisio appellatur : et per locum a conjugatis *recte dividere,* est juste erga alium se gerere, quod suum est, quodque illi vel rei, vel officii, vel honoris, vel amoris pro dignitate ex jure debetur, tribuere; et contra *non recte dividere* est injuste erga alium se gerere, illum injuria afficere, facto, vel verbo in persona propria, vel in suis rebus lædere.

Quam apta sit huic loco Scripturæ allata expositio. Quæ vis et significatio verbi *dividere* mire quadrat huic loco, et quod Augustinus supra dicebat non elucere, *cur et unde sit dictum; Non autem recte dividas,* id statim aperit et ob oculos ponit. Etenim, cum iratus vehementer esset Cain quod Deus ad Abelem et ad munera ejus respexisset, ejusque sacrificia, neglectis suis, accepta et grata sibi esse ostendisset, misso, ut dicunt, cœlitus igne, qui oblationem Abelis inflammavit et in cinerem convertit, non autem Caini; et ob id tanta invidia et odio arderet in Abelem, ut de ejus nece cogitaret, Deus bonitatis ac clementiæ suæ non immemor, ut Cainum a perdito illo consilio revocaret et ad pœnitentiam invitaret, sic eum allocutus est. *Quare iratus es? Et cur concidit facies tua? Nonne si recte offeras, non recte autem dividas, peccasti? Quiesce. Ad te enim conversio ejus et tu dominaberis illius.* Quibus

verbis quatuor rationes adhibet optimas et efficacissimas ad eum a malo et peccato revocandum.

Primo enim ut ab eo peccati sui confessionem extorqueat, malam ejus mentem se non latere declarat, ipsum interrogando his verbis : *Quare iratus es? et cur concidit facies tua?*

Secundo. His aliis verbis : *Etiamsi recte offeras, et non recte dividas, peccasti,* miserum animæ suæ statum Caino aperit, ostenditque peccati odiique fraterni gravitatem et malitiam tantam esse ut, etiamsi *recte,* id est, plurima Deo munera, sacrificia et innumeras hostias easque opimas, loco, modo, et tempore, ac devote offerat; etiamsi, ut ait Apostolus, corpus suum tradat, ita ut ardeat, charitatem autem fraternam non habeat, nec recte dividat, nihil id ei profuturum sit, nec propterea fuerit innocens et immunis a peccato. *Peccasti,* inquit. 1. Ad Corinth. 13.

Nam, ut idipsum explicans ait Joannes : *Qui dicit se in luce esse et fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc.* Et cap. 3. *Omnis qui non est justus non est ex Deo, et qui non diligit fratrem suum; quoniam hæc est annuntiatio quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum. Non sicut Cain, qui ex maligno erat, et occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? quoniam opera ejus maligna erant, fratris autem justa.* Et cap. 4. *Si quis dixerit quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est.* Itaque quod nos Christus Matth. 5. admonet his verbis : *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum.* Idipsum Caino longe ante dictum fuit, eum nimirum, ut justus sit, debere esse non solum pium et religiosum erga Deum; sed etiam erga fratrem, æquum et justum, hunc amare debere, si a Deo diligi et amari velit. D. Joannes. Epist. 1. Christus.

Tertio clare et diserte Deus Cainum admonet, ut mentem mutet. *Quiesce,* inquit, id est cessa fratri invidere, eum odisse, eique nocendi voluntatem abjice; et ut recte Chrysostomus homil. 18. in Genesim; *Tranquillitatem facito tuarum cogitationum et libera mentem a procellis fluctuum inundantium. Cohibe tumultus illos tuos, ne addas priori peccato gravius aliud, neque consilium aliquod immedicabile accipias ne teipsum maligno dæmoni captivum tradas.* Vel *Quiesce,* id est, æquo ac securo sis animo, vanum Exponitur verbum; Quiesce.

illum pelle metum, ne frater tuus jus primogenituræ tibi præripiat, unde tibi invidentia fraterna, unde odium illius, unde tibi conscelerata illa voluntas ipsum occidendi. Sic enim Deus, cui nuda et aperta sunt omnia cordis humani secreta, securim ad radicem admovebat, et congruam morbo medicinam proferebat. Jubet eum securum esse; jus primogenituræ integrum ac dignitatem illi salvam, et Abelem fratrem sibi semper subditum fore spondet his verbis : *Ad te enim conversio ejus, et tu dominaberis illius.*

Ad te conversio ejus quid significet.

Chrysostomus idem habet homil. 13. in Epist. ad Romanos.

Ita hæc verba exponit Chrysostomus homilia 18. in Genes. *Ne putes*, inquit Deus, *licet tuum aversatus sim sacrificium ob pravam mentem, fratrisque oblationem acceptam habuerim ob sanam intentionem, quod ideo primatu te destituam et primogenituræ dignitatem a te auferam. Nam licet honore illum prosecutus fuerim acceptaque fuerint illius dona, verumtamen ad te conversio illius, et tu ipsius dominaberis, atque post peccatum hoc permitto, ut primogenituræ privilegiis gaudeas illumque sub tua potestate et dominio esse jubeo. Vide misericordiam Domini quomodo furorem et insaniam illius demulcere, et verbis his impetum auferre nititur*, etc. Et Oratione sexta adversus Judæos : *Peccasti*, inquit, *quiesce, ad te conversio ejus, et tu illius dominaberis. Vide sapientiam prudentiamque Dei. Hoc metuis*, inquit, *ne te frater spoliet prærogativa primogenitorum, propterea quod mihi charus est; ne principatum sibi usurpet tibi debitum. Nam primogenitos posterius genitis oportebat honorabiliores esse. Bono*, inquit, *animo sis, ne metue, ne hac de causa despondeas animum; ad te conversio ejus, et tu dominaberis illius. Quod autem dicit hunc habet sensum. Mane in honore primogeniti et esto fratri tuo refugium, umbraculum ac patrocinium, imperaque et dominare illius; tantum ne ad parricidium prosilias, neque ad impiam illam feraris occisionem.*

Confirmatur expositio Chrysostomi.

Quam interpretationem existimo esse omnium optimam. Primo quia qui illam improbant, ut Augustinus supra his verbis : *Quiesce*, inquit, *ad te enim conversio ejus, et tu dominaberis illius. Numquid fratris? absit. Cujus igitur, nisi peccati?* etc. nullam suæ improbationis causam afferunt.

Secundo, quia hæc verba, juxta illum quem diximus sensum, quartam rationem continent ad sanandum Caini animum efficacissimam.

Tertio, verba illa, *Ad te conversio ejus,* hebræa phrasi hunc eumdem sensum habent capite præcedenti Geneseos, ubi Deus ad mulierem loquens : *Multiplicabo ærumnas tuas, et conceptus tuos, in dolore paries filios,* quod habet Vulgata editio; *Et sub viri potestate eris et ipse dominabitur tui,* hæbraica lectio et græca Septuaginta versio habent : *Et ad virum conversio tua.* Quam optime et a Hieronymo et a Septuaginta sic redditam esse notat Eugubinus ibidem, aitque esse hæbræam phrasim elegantissimam, quæ subjectionem et obsequium cum timore et reverentia conjunctum significat, probatque ex Chrysostomo et ex Rabbi Aven Ezra.

Quarto, hunc eumdem sensum ferunt hæc Vulgatæ editionis verba : *Sed sub te erit appetitus ejus,* id est fratris tui appetitus et voluntas tuæ subjicientur. Pronomen enim, *ejus,* ad Abelem fratrem refertur, ex Chrysostomo supra, et patet; tum quod sit masculini generis, non secus ac pronomen hebræum *Hatah* et Græcum αὐτοῦ. Igitur multo commodius Abelem refert quam peccatum quod Græce generis est fœminini. Tum quod tota præcedens Dei oratio ad Abelis odium de Caini animo ejiciendum comparata est, ut constat, ex antedictis.

Igitur si litteralis et nativus sacræ Scripturæ sensus hic est, qui et subjectæ rei et verbis, tum ipsis quibus constat, tum antecedentibus et consequentibus congruit, et qui ex aliis Scripturæ locis, in quibus eodem sensu sumuntur confirmari potest, loci Scripturæ a nobis hactenus tractati et lectionem, et interpretationem optimam, clarissimam, et historiæ ac rei gestæ veritati accommodatissimam esse nemo negare potest.

Neque vero propterea damnanda et rejicienda est Vulgatæ editionis lectio, quæ sic habet. *Nonne si bene egeris, recipies; sin autem male, statim in foribus peccatum aderit? sed sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius.* Licet, ut apparet, longe diversa sit. Tum quia communior est apud Scripturæ interpretes, et vulgo usurpata. Tum quia eam etiam ferunt verba hæbraica. Eorumdem enim verborum Scripturæ, ut duplex, aut etiam multiplex potest esse sensus litteralis, ex Chrysostomo homilia 7. in 1. ad Corinth. Augustino lib. 12. Confess. cap. 31. et lib. 2. de Doctrina christiana cap. 27. Sancto Thoma. 1. part. quæst. 1. art. 10. ut pluribus ostendit Bonfrerius in suis Proloquiis in Scrip-

turam cap. 20. sect. 5. Ita eorumdem verborum hæbræorum, præsertim si varie dispungantur, aut diversis punctis adnotentur, multiplex versio esse potest ac sensus diversus.

LAUS DEO OPTIMO MAXIMO
EJUSQUE SANCTISSIMÆ
MATRI.

FINIS.

RERUM

QUÆ HOC LIBRO CONTINENTUR PRÆCIPUARUM

JUXTA NUMERUM PAGINARUM

INDEX.

A

Abstracta nomina quid significent. *Pag.* 21. A concretis quomodo differant, ibidem. Et ab iisdem subtiliter discernenda ibid. et 238. enumerantur plurima, 267. Physica a Metaphysicis quomodo differant, 258.

Accidens quid sit, 215. Ejus definitio explicatur, 216, 217. et seqq. Aliud est physicum, aliud logicum et prædicamentale, 222. Non potest esse hypostasis, 57. Subjecto immediate inhæret, 232, 266. Ab eo quomodo inseparabile, 221. Non existit existentia subjecti, 185. Quo sensu dicatur non habere esse, 184.

Actio multa includit in suo conceptu, 325. Adæquate sumpta quid includat, 327. Est abstractum metaphysicum, 295. Quid sit ibid. Cur dicatur via et medium inter agens et patiens, 297. Est ignotior suo termino, 332. Non est modus re distinctus a termino, 280, 293 et 296. Quæ specie, non semper re differt ab alia, 328. Ex parte termini alia est simplex, alia composita, et quomodo, 327, 329. Ejus novitas, diversitas, et specificatio a termino præcipue sumitur, 326. Quomodo a parte rei separetur a motu et a termino, 280, 287, 294.

Actus et potentia seipsis uniuntur, 241, 242.

Additio alteri fit multis modis, 290. Sola additione perit rei totalitas et hypostasis, 120, 121.

Agens creatum agendo perficitur, 341. Actione transeunte extrinsece mutatur, 337.

Agere quid sit, 315, 320. Est totius, non partis, 368.

Aliquid non semper est transcendens, 220. Aliquid et aliquis quo differant, 16, 17.

Angeli cur plures solo numero diversi esse nequeant, 37. Nihil minus in Christo videbant quam in aliis hominibus, 134.

Aristotelis sententia de hypostasi, 48 et seqq. Argumenta pro æternitate mundi solvuntur, 348. Argumenta pro modis re distinctis solvuntur, 230, 231, 275, 304, 324.

Assumptio naturæ alicujus duplex, substantialis et accidentalis, seu catholica et nestoriana, 162.

Axioma modistarum. *Non potest fieri transitus a contradictorio, etc.*, varie proponitur, 334 et seqq. Ut sit admittendum, 349. Ut negandum, 350. Et variæ instantiæ contra illud, ibid.

B

Bonum universale particulari, infinitum finito non est contrarium, 199.

C

Causa est modus entis, 264, 267. Ejus varia sunt genera et modi, 318. Nulla per se est contraria suo effectui, 198. Causæ formalis non est, nec quærenda est alia causa formalis, 305 et 306. Ad scientiam prima et necessaria rei causa diligenter quærenda, 316. De causis cur sæpe scripserit Aristoteles, 317. Causæ interdum sibi invicem causæ, 221.

Christus caret filiatione reali ad matrem, 46. Latria et dulia adorari potest, 376. Ejus persona est simplex et sola Verbi persona, 128, 136, 187. Cur impeccabilis, 375. Ejus libertati nihil officit impeccabilitas, 375. Aliud Chris-

tus, aliud persona Christi, 385. Quomodo sit compositus, 386. Non autem ejus persona, 391, 392 et seqq. Ejus actiones cur valoris infiniti, 375. Communicabilitas duplex realis et rationis, 85, 116.

Conceptus sola ratione diversi eamdem realitatem pro objecto habent, 254. Uno conceptu simplici multa re distincta simul uniri possunt tribus modis, 258.

Contrarium non est causa per se sui contrarii, 198.

Controversia olim de nomine hypostasis, 8.

Creatio quid sit, 329, 350, 382. Aliquando est mutatio activa, 329. Non potest terminari ad existentiam divinam, 192.

D

Definitionis utilitas, et momentum in scientiis, 53, 54. Ejus conficiendæ ratio, 55. Una unius rei, 94. Bonæ definitionis notæ, 262.

Deus cur solus bonus, 64. Cur circulo comparatus, 63. Cur pars esse non possit, 140. Cur unione cum natura creata non amittit suam personalitatem, 4, 76, 123, 170. Agendo non mutatur, nec perficitur, 340, 341. Ei nihil est contrarium positive, 197. Deus Filius alius Deus a Patre quomodo, 125. Non potest esse causa materialis, nec formalis, 192.

Differens et diversum, ut distinguantur, 288. Tripliciter aliqua diversa, 254.

Distinctio formaliter non consistit in negatione, 109 et 110. Distinctio ex natura rei improbatur, 32. Distinctio rationis naturæ a supposito declaratur, 115 et seqq.

Divisionis commendatio, usus, et conficiendæ ratio, 55. Divisio entis in substantiam et accidens est adæquata, 112.

Durandus. Modos re distinctos non defendit, 210.

E

Eductio formæ non semper est mutatio, 328.

Ens sumitur nominaliter et participialiter, 219.

Ens reale multis modis dicitur, 251. Et quis maxime proprius, 252. Ejus in decem prædicamenta divisio quomodo sit in decem re diversa, 247 et seqq.

Ens intentionale quid, et quotuplex, ibid.

Ens rationis quid sit, et quotuplex, ibid.

Ens morale quid sit, 352. Ad quod genus relationis pertinet, 353. Non est denominatio extrinseca, nec forma inhærens, 354.

Ens per se dicitur multis modis, 72. Ens in alio pluribus, ibid. et 220.

Essendi modi generales quatuor A, Ad, Ex, In, 293. Esse A active et passive sumitur, ibid. Esse Ex septem modi, ibid.

Esse objectivum, et esse subjectivum quid sint, 253. Esse objectivum multiplex est, 253.

Esse inhæsive in aliquo quid sit, 222.

Entia realia per entia rationis, et positiva per negativa cur definiantur, 86, 87.

Existentia nec est hypostasis, nec de ejus conceptu, nisi in Divinis, 202, 203, 223, 224. Existentia propria humanitas Christi non caret, 187.

F

Figura quid sit, 307. Ratione tantum a quantitate differt, ibid.

Forma rei multis modis dicitur, 285. Forma naturalis per se et immediate unitur, 241. Proprie non fit, sed compositum, 369.

G

Generatio compositi non est una simplex actio, 329.

H

Habere præstantioris est, 141.

Habitus est abstractum quoddam et actus duorum, 260. Non habetur, 261.

Homo univoce dicitur de Christo, et aliis hominibus, 137. Cur non sit suppositum, 13, 76.

Honor quid sit, 376. Est proprie rei subsistentis et personæ, 376.

Humanitas Christi non est de ratione personæ Verbi, 187, 385. Habetur, non habet, 146. Existit propria existentia etiam secundum S. Tho-

mam, 178 et seqq. Cur non sit persona humana, 67, 128. Relicta a Verbo esset alius homo, 123, 124.

Hypostasis quid sit, 59. Late et stricte sumitur, 22, 39, 94. Ratione tantum differt a natura, 111, 112 et seqq., 268, 269 et seqq. Non est modus a parte rei a natura distinctus, ibid. Amitti potest additione et detractione, 5 et 121. Acquirendo perditur, perdendo acquiritur, 4. Est substantia prima tota, 58. Negatione definitur, et cur, 60, 86, 87. Tribus modis est incommunicabilis, 74. Quomodo sit accidens naturæ, 90. Quo differat a persona, 19. Non est forma realis et solida, 204, 205. Est quid perfectum, et in quo sit illa perfectio, 105. Ejus proprietates sunt habere, esse, agere, 366 et seqq. Quotuplex sit, et quomodo simplex vel composita, 378 et seqq. Partiales hypostases nullæ dantur, ibid.

I

Incarnationis substantia declaratur, 127, 128 et seqq. Ut dæmones latuerit, 134. Ei repugnat subsistentia a natura distincta, 196, 197 et seqq. Active et adæquate sumpta, non est actio simplex, 331. Ut mutatio hypostatica quid sit, 345.

Individuum nomen est primæ et secundæ intentionis, et quot modis sumatur, 81.

L

Latio quid sit, et quomodo fiat, 312, 313. Est extrinseca ei quod fertur, 311.

Locus est veluti forma extrinseca, 309. Mutata superficie quomodo idem numero, 314. Ejus immobilitas unde, ibid. Esse in loco quid sit, 309.

Logicæ peritia necessaria ad scientiam comparandam, 225.

M

Modus rei multipliciter dicitur, 208. Quid sit proprie, 245, 262. Non est actualis determinatio rei indifferentis, 224. Non recipit denominationem rei modificatæ, 259. De modis communes notiones novem, 263. Cur ab eo cui inest separari nequeat, et inesse alteri, 263. Non facit compositionem realem cum eo cujus est modus, 263. Idem uno respectu est modus, alio non est, 265. Modi entis alii generales, alii speciales, 245. Modi alii essentiales, alii accidentales, qui sunt proprie modi, 259, 260. Non sunt a parte rei distincti a rebus modificatis, idque implicat, 112 et seqq., 225, 226 et seqq. De modis re distinctis doctrina est nova, 207. Et unde orta, 238. Variis modis applicatur. definitio modi, 264, 265, 267.

Mobile prout mobile, quid sit, 301.

Motus seu mutatio sumuntur adæquate, 298. Mutatio est ipsa res in fieri, et quibus constat, ibid. Est ens imperfectum, 299. Explicatur ejus definitio, actus entis in potentia, 300, 301 et seqq. Tria in eo distinguenda, 301. Quomodo sit accidens physicum et metaphysicum, 302. Quomodo separetur a termino, 303. Motus, actio, passio et terminus ratione solum distincta, quomodo tamen separentur a parte rei, 280, 302. Quomodo sit accidens metaphysicum, ibid.

Mutatio multiplex, propria, impropria, intrinseca et extrinseca, 334, 335. Est aliqua in omnibus categoriis, 338. Mutatio secundum actionem quid sit, 337, 348.

N

Natura eadem potest subsistere simul pluribus subsistentiis divinis, 112. Non potest pluribus propriis, 110, nec una propria et simul aliena, 117. Nec omnino esse sine aliqua, 118.

Naturæ nomen varie sumitur, 25. Quid eo intelligat S. Thomas, 37.

Negatio nulla est de ratione hypostasis, aut ullius entis creati, 97, 98.

O

Omne et totum quo differant, 121.

Ordo unius rei ad aliam quomodo pereat, 292. Est rerum perfectio, 291. Duplex est, ibid.

P

Particulare, singulare et individuum quo differant, 82.

Pars quid sit, 62. Ejus imperfectiones multæ, 64, 65. Ejus ratio pugnat cum conceptu personæ, 67. Partem non esse, proprietas est hypostasis, 100.

Perfectum quid sit, 62.

Perseitas triplex necessaria ad rationem suppositi, 73.

Persona quid sit, 19, 59, 80. Quomodo differat ab hypostasi, ibid. Ad quod prædicabile pertineat, 89. Persona nomen in Divinis est commune, 24. Non tamen universale, 88. Personæ definitio Divinis convenit, 85. Hæ relative concipi debent, 256.

Potentia activa et passiva quid sint, 356. Aliæ sunt innatæ, aliæ acquisitæ, ibid.

Potentia activa non semper est productiva formæ intrinsecæ, 311.

Prædicamenta adæquate sumpta non semper re differunt, 246 et seqq.

Prius natura est prius a quo, non in quo, 194, 338. Esse in priori naturæ, non recte dicitur, ibid.

Q

Quando quid sit, 308. Quæstio petit causam, 317. Quæstione an sit quid quæratur, 23. Quæstio quid et propter quid coincidunt, 318. Quæstioni duplici duplex responsio facienda, 318.

R

Res naturæ quid sit, 14 et 15. Res et reale multis modis dicuntur, 147, 251 et seqq.

Relatio non differt re a fundamento, 248, 279. Quomodo sit activa, 356, sublato termino quomodo pereat, et separetur, 287.

Relata secundum dici quænam, 355.

S

Separatio quælibet non est signum certum distinctionis a parte rei, 234. Alia est per se et simpliciter, alia per aliud et secundum quid, 278, 282, 283.

Subsistere varia significat, 11.

Subsistentiæ et hypostasis nomina sunt concreta, 19 et 20. Est verus modus naturæ, non re, sed ratione tantum ab ea distinctus, 268, 269 et seqq. Quomodo sit accidens logicum, 222. Subsistentia absoluta in Deo nulla, 80. Nullæ dantur subsistentiæ partiales, 381.

Suppositum nomen est primæ et secundæ intentionis, 14. Idem est quod res naturæ, 15. Dicit rationem totius et integri, 4, 39, 58, 135. Quo sensu dicatur aliud a natura, 175. Ejus est habere, esse, agere, 183, 366.

Sustentare in supposito quid sit, 103.

T

Terminus et totalitas idem, 68. Non proprie dicitur de Personis Divinis, 70. Sumitur tripliciter, 71. Terminus formalis actionis quis sit, 331.

D. Thomas suppositum a natura ut distinxerit, 39, 40. Existentiam esse subsistentiam nunquam docuit, 27. Nec humanitatem Christi existere existentia Verbi Divini, 18. Incarnationis substantiam ut exposuerit, 135, 139. Quid de modis senserit, 245.

Totalitas est quædam unitas, 63.

Totum quid sit, 62. Quo differat a perfecto, 63. Sola additione perire potest, 120. Perit adæquate, vel inadæquate, 286. Est unum actu, et multa potentia, 283, 284. Multiplex est, 65. Totum et pars modi entis, 62.

U

Ubi intrinsecum est nullum, 308. Per quid formaliter res est alicubi, 313.

Unio alia substantialis, alia accidentalis, 164. Unio modalis materiæ cum forma, vel humanitatis cum Verbo nulla est, 239 et seqq. Destruit essentiam materiæ primæ, 244. Unio materiæ cum forma absolute et in abstracto sumpta est ipsa essentia compositi naturalis in abstracto, relative sumpta est relatio categorica, 239.

Unio hypostatica absolute et relative, quid sit, 345. Unitum absolute idem quod compositum. Unum et idem quæ proprie dicantur, 175.

V

Verbi Divini cur in Christo personalitas non pereat, 67, 76. Verbum assumpsisse naturam non personam quid sit, 164, 165 et seqq. Quod ab eo non est assumptum, ut intelligendum sit, 107.

INDEX ET NUMERUS CAPITUM.

		Pag.
Cap. I.	Rationes suscepti operis ejusque utilitas, dignitas, methodus et partitio	1
Cap. II.	De nominibus hypostasis, substantiæ et subsistentiæ	8
Cap. III.	Exponuntur voces, suppositum, res naturæ et hoc Aliquid	13
Cap. IV.	De nomine personæ	18
Cap. V.	An sint hypostases et personæ	23
Cap. VI.	Referuntur variæ sententiæ de quidditate hypostasis ejusque distinctione a natura	25
Cap. VII.	Refertur et declaratur sententia Divi Thomæ	33
Cap. VIII.	Solvuntur argumenta Cajetani S. Thomam alio trahentis	43
Cap. IX.	Quid senserit Aristoteles de hypostasi et supposito	48
Cap. X.	Hypostasis et personæ definitiones investigantur	53
Cap. XI.	Construuntur et probationibus fulciuntur	59
Cap. XII.	Quid totum, quid pars, quid perfectum et quænam totalitas ac integritas sit de quidditate hypostasis et personæ	61
Cap. XIII.	Quod definitio hypostasis, qua dicitur *ultimus naturæ terminus, seu complementum ultimum substantiale* eadem sit cum præcedente	68
Cap. XIV.	Explicatur tertia definitio hypostasis, qua dicitur : *Ens per se existens*, vel *substantia per se subsistens* et eadem esse cum prioribus monstratur	72
Cap. XV.	Quod hypostasis a Sanctis Patribus recte definiatur : *Substantia discreta, separata, per se et seorsim existens*	77
Cap. XVI.	Personæ definitio a Severino Boetio tradita, scilicet; *Naturæ rationalis individua substantia,* explicatur et defenditur	80
Cap. XVII.	Proponuntur et solvuntur quædam objectiones contra præcedentes definitiones hypostasis et personæ	88
Cap. XVIII.	Quod nulla negatio sit de ratione intrinseca hypostasis, aut personæ	95
Cap. XIX.	Hypostasim esse quid non solum positivum, sed summe perfectum in ratione entis et substantiæ	104
Cap. XX.	Proponuntur et solvuntur argumenta Scoti cum nonnullis aliis.	107
Cap. XXI.	Quod SS. Patres hypostasim et personam a naturæ ratione tantum distinxerunt	111
Cap. XXII.	Explicatur distinctio rationis hypostasis et personæ a natura, quam tradunt Sancti Patres	115

Pag.

Cap. XXIII. Quomodo hypostasis, licet ratione tantum distincta a natura, hac manente, corrumpi, aut impediri et ab ea abesse possit 119

Cap. XXIV. Declaratur fides et substantia mysterii Incarnationis absque distinctione reali suppositi a natura 127

Cap. XXV. Prædicta declaratio, Sanctorum Patrum ac doctorum scholasticorum auctoritate, nec non rationibus theologicis comprobatur 130

Cap. XXVI. S. Thomæ amplior lectuque dignissima mysterii Incarnationis declaratio, sine reali hypostasis et suppositi a natura distinctione 135

Cap. XXVII. Idem iterum ab eodem eodem modo alibi declaratur 139

Cap. XXVIII. Subsistentiam humanitatis Christi a Verbo Divino proprie non suppleri, sed potius impediri et excludi 143

Cap. XXIX. Humanitatem Christi, in ipsa Incarnatione, nullius formæ realis, aut modi a se re distincti jacturam fecisse ostenditur ex Scriptura, Conciliis et Sanctis Patribus 148

Cap. XXX. Proferuntur alia Sanctorum Patrum testimonia 157

Cap. XXXI. Exponitur propositio Sanctorum Patrum; *Verbum divinum assumpsit naturam, non assumpsit personam* 162

Cap. XXXII. Quo sensu Sancti Patres dicant; *aliud esse naturam, aliud personam, et non esse idem* 173

Cap. XXXIII. Quod humanitas Christi secundum S. Thomam existat sua propria ac creata existentia 178

Cap. XXXIV. Cur nonnulli Thomistæ opinati sint humanitatem Christi carere propria existentia, idque sensisse Divum Thomam. 182

Cap. XXXV. Explicatur doctrina articuli 2. quæstionis 17. 3. partis Sancti Thomæ 186

Cap. XXXVI. Quod impossibile sit naturam humanam in Christo existere existentia Verbi Divini 191

Cap. XXXVII. Subsistentiam re aut modaliter a natura diversam cum mysterio Incarnationis non posse consistere 196

Cap. XXXVIII. Quod hypostasis non sit naturæ existentia, nec hanc in suo conceptu quidditativo includat 201

Cap. XXXIX. Hypostasim ac subsistentiam non esse formam realem a natura re distinctam 204

Cap. XL. An hypostasis seu subsistentia sit modus : Quidve de modis sentiant recentiores 206

Cap. XLI. Proponitur primum argumentum adversus modos substantiales re distinctos a rebus modificatis 212

Cap. XLII. Accidentis definitio ab Aristotele tradita expenditur ad modos substantiales expugnandos 216

Cap. XLIII. Aliis argumentis et contradictionibus oppugnatur modorum a rebus modificatis distinctio 224

Pag.

Cap. XLIV. Referuntur et solvuntur argumenta Francisci Suaris pro modis et pro modali distinctione..... 230

Cap. XLV. Unde orta sit nova et recens de modis modalique distinctione philosophia, deque unione materiæ cum forma..... 237

Cap. XLVI. Quæ fuerit sententia Divi Thomæ de modis..... 245

Cap. XLVII. Referuntur nonnullæ hypotheses metaphysicæ ad modorum intelligentiam necessariæ..... 250

Cap. XLVIII. Definitionem modi a S. Thoma traditam esse optimam et quibus conveniat..... 262

Cap. XLIX. Quomodo subsistentia sit modus et quomodo non sit..... 268

Cap. L. Proponitur et solvitur objectio de separatione hypostasis a natura 275

Cap. LI. Eadem objectio a Scoto aliter proposita, aliter etiam solvitur. 284

Cap. LII. Cur ex duobus conceptibus objectivis ratione tantum distinctis et in eadem entitate fundatis, uno manente, alter a parte rei interdum pereat, et ab alio quodammodo separetur..... 289

Cap. LIII. Inferuntur nonnulla corollaria ex doctrina superiorum capitum..... 295

Cap. LIV. Proponitur et solvitur argumentum pro modis a rerum indifferentia ductum..... 304

Cap. LV. Responsiones datas capite præcedenti scientificas esse et primas ac necessarias rei quæsitæ causas continere 315

Cap. LVI. Solvitur tertium pro modis argumentum, ex actionum novitate et diversitate..... 324

Cap. LVII. Examinatur tritum axioma modistarum : *Non potest fieri transitus a contradictorio in contradictorium sine mutatione*.. 333

Cap. LVIII. Expenduntur aliæ idem axioma proponendi formulæ 342

Cap. LIX. Solvitur quartum pro modis argumentum ex prædicto axiomate ductum..... 349

Cap. LX. Proponuntur et solvuntur reliqua argumenta adversariorum pro distinctione modali et reali hypostasis a natura..... 357

Cap. LXI. De proprietatibus hypostasis et personæ..... 366

Cap. LXII. Inferuntur quædam corollaria theologica ex prædictis proprietatibus..... 371

Cap. LXIII. Quotuplex sit hypostasis et quæ simplices quæve compositæ et quomodo..... 378

Cap. LXIV. Utrum hypostasis seu persona Christi post Incarnationem sit composita..... 384

Cap. LXV. Personam et hypostasim Christi nec esse, nec dici debere in se, absolute et ex aliquibus compositam..... 391

Cap. LXVI. Possitne natura quælibet creata subsistere subsistentia et personalitate Divina..... 402

Pag.

Cap. LXVII. Utrum hypostasis et persona creata aliam naturam assumere possint, et eadem duas, aut plures naturas terminare.... 408

Cap. LXVIII. Possitne eadem numero natura creata divina virtute subsistere pluribus simul subsistentiis propriis..... 410

Cap. LXIX. Possitne eadem numero natura creata subsistere simul pluribus hypostasibus et Personis Divinis..... 412

Cap. LXX. Possitne natura aliqua subsistere simul hypostasi creata et increata 416

Cap. LXXI. An substantia aliqua prima sine subsistentia propria et aliena existere possit 419

Cap. LXXII. Summa et brevis illatio fere omnium, quæ hoc opere continentur, ex uno principio et ex una definitione hypostasis. 423

Cap. LXXIII. Epilogus 429

ERRATORUM INDEX

ET CORRECTIO.

Pag. 39, lin. 12, *incomplementi* *pro* *complementi.*

Pag. 40, lin. 27, *compositum* *pro* *suppositum.*

Pag. 69, lin. 24, cum ea *pro* ea.

Pag. 215, lin. 3, Dies et sinus *pro* Dies anni et sinus.

Pag. 215, lin. 4, Quadrantis annis *pro* Quadrantis quem complet, non.

BARRI-DUCIS, EX TYPIS CONTANT-LAGUERRE.

50671

233.4
T499

TIPHANUS, S. J., CLAUDIUS
AUTHOR

De Hypostasi Et Persona.
TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	DATE RETURNED
	STORAGE - CBPL	

50671